SUPPLEMENTA

ANNALIUM C. C. TACITI;

APPENDIX

AD LIB. V. HISTORIARUM;

STEMMA CÆSARUM ILLUSTRATUM;

ANECDOTA

DE

TIBERIO, CAIO, CLAUDIO, NERONE, GALBA, OTHONE, VITELLIO, VESPASIANO, TITO, DOMITIANO, NERVA, ET TRAJANO;

FRAGMENTUM LIB. XCI. T. LIVII

SUPPLEMENTO ET ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATUM;

APPENDIX CHRONOLOGICA;

C. C. TACITI POLITICA;

ET

INSCRIPTIO TABULÆ TRAJANÆ.

A GABRIELE BROTIER.

LONDINI:
IN ÆDIBUS VALPIANIS.
1821.

CONSPECTUS

EORUM QUÆ HOC VOLUMINE

CONTINENTUR.

SUPPLEMENTA

LIBRORUM V. VII. VIII. IX. X. XI. et XVI.

ANNALIUM

C. CORNELII TACITI.

EX EDIT. G. BROTIER.

5 Vol. 8vo. Lond. 1812. in Ædib. Valpianis.

SUPPLEMENTUM

LIBRI QUINTI

ANNALIUM C. C. TACITI.

AUCTORE GABRIELE BROTIER.

BREVIARIUM LIBRI.

1. Julia Augusta moritur. 2. Ex eo gravior Tiberii dominatio; audacior Sejani ambitio. Agrippina et Nero accusantur. 6. Inauspicatæ Drusi et Æmiliæ Lepidæ nuptiæ. 7. Accusationum facilitas simul et atrocitas. 8. Mors Jesu Christi et prodigia. 10. Agrippina in insulam Pandatariam, Nero in Pontiam deportati. 13. Drusus in ima palatii parte clauditur. 15. Sejanus, successu scelerum superbus, insolescit: adversus eum Tiberii artes. Ob ejus amicitiam Asinius Gallus pervertitur. 23. Velleius Paterculus scriptor et adulator. 24. Sejanus honoribus mactatur. 26. Geminius Rufus et Publia Prisca mortem voluntariam oppetunt. 27. Urbs in Sejani venerationem intenta: Tiberius ejus in ruinam intentior. 30. Caius imperii hæres ostentatur. Nero interficitur. 32. Sejanus, irrita spe amens, conjurationem machinatur. Tiberius, eam ab Antonia edoctus, Macronem deligit, qui Sejanum opprimat. Perit Sejanus, ruina quam fortuna insignitior. 43. Ejus in filium et avunculum sævitum. Visa filii cæde,

Apicata ad scelerum Sejani et Liviæ confessionem evicta. 44. Livia fame enecta. 45. In omnes Sejani asseclas advertitur. 50. Pseudo-Drusus apud Cycladas visus. 51. Consulum discordia.

Hæc triennio gesta

A. U.	J. C.		
DCCLXXXII.	29.	Coss.	L. Rubellio Gemino, C. Fufio Gemino.
DCCLXXXIII.	30.	Coss.	M. Vinicio, L. Cassio Longino.
DCCLXXXIV.	31.	Coss.	Tiberio Augusto V. L. Ælio Sejano.

Rubellio et Fufio consulibus,[1] quorum utrique Geminus cognomentum erat, Julia Augusta mortem obiit, ætate extrema, nobilitatis per Claudiam familiam, et adoptione Liviorum Juliorumque clarissimæ. Primum ei matrimonium et liberi fuere, cum Tiberio Nerone, qui bello Perusino profugus, pace inter Sex. Pompeium ac triumviros pacta, in Urbem rediit. Exin Cæsar, cupidine formæ, aufert marito, incertum an invitam, adeo properus, ut ne spatio quidem ad enitendum dato, penatibus suis gravidam induxerit. Nullam posthac sobolem edidit. Sed sanguini Augusti per conjunctionem Agrippinæ et Germanici annexa, communes pronepotes habuit: sanctitate domus priscum ad morem, comis ultra quam antiquis fœminis probatum, mater impotens, uxor facilis, et cum artibus mariti, simulatione filii, bene composita. Funus ejus modicum, testamentum diu irritum fuit: laudata est pro rostris a C. Cæsare pronepote, qui mox rerum potitus est.

2. At Tiberius, quod supremis in matrem officiis defu-

1 *Rubellio et Fufio coss.*] Ad majorem historiæ lucem quinque priora C. Cornelii Taciti capita hic repræsentasse haud erit inutile. Ea suo loco notis illustravimus, quas iterum edere supervacaneum foret, et ingratum.

isset, nihil mutata amœnitate vitæ, 'magnitudinem negotiorum' per literas excusavit: honoresque memoriæ ejus ab senatu large decretos, quasi per modestiam imminuit, paucis admodum receptis, et addito, 'ne cœlestis religio decerneretur; sic ipsam maluisse.' Quin et parte ejusdem epistolæ increpuit 'amicitias muliebres,' Fufium consulem oblique perstringens: is gratia Augustæ floruerat, aptus alliciendis fœminarum animis, dicax idem, et Tiberium acerbis facetiis irridere solitus: quarum apud præpotentes in longum memoria est.

3. Ceterum ex eo prærupta jam et urgens dominatio: nam incolumi Augusta, erat adhuc perfugium; quia Tiberio inveteratum erga matrem obsequium, neque Sejanus audebat auctoritati parentis anteire. Tunc velut frænis exsoluti proruperunt: missæque in Agrippinam ac Neronem literæ, quas pridem allatas, et cohibitas ab Augusta, credidit vulgus: haud enim multum post mortem ejus recitatæ sunt. Verba inerant quæsita asperitate: sed non arma, non rerum novarum studium; 'amores juvenum, et impudicitiam' nepoti objectabat: in nurum ne id quidem confingere ausus, 'arrogantiam oris et contumacem animum' incusavit, magno senatus pavore ac silentio: donec pauci, quis nulla ex honesto spes, et publica mala singulis in occasionem gratiæ trahuntur, 'ut referretur' postulavere, promtissimo Cotta Messallino cum atroci sententia: sed aliis a primoribus, maximeque a magistratibus, trepidabatur: quippe Tiberius, etsi infense invectus, cetera ambigua reliquerat.

4. Fuit in senatu Junius Rusticus, componendis patrum actis delectus a Cæsare, eoque meditationes ejus introspicere creditus: is fatali quodam motu (neque enim ante specimen constantiæ dederat) seu prava solertia, dum, imminentium oblitus, incerta pavet, inserere se dubitantibus, ac monere consules 'ne relationem inciperent:' disserebatque, 'brevibus momentis summa verti posse, quandoque Germanici stirpem, ubi spatium pœnitentiæ senis, resurgere.' Simul populus, effigies Agrippinæ ac Neronis gerens, cir-

cumsistit curiam, festisque in Cæsarem ominibus, 'falsas literas, et, Principe invito, exitium domui ejus intendi,' clamitat: ita nihil triste illo die patratum. Ferebantur etiam sub nominibus consularium fictæ in Sejanum sententiæ, exercentibus plerisque per occultum, atque eo procacius, libidinem ingeniorum: unde illi ira violentior, et materies criminandi, 'spretum dolorem Principis ab senatu; descivisse populum; audiri jam et legi novas conciones, nova patrum consulta: quid reliquum, nisi ut caperent ferrum? et quorum imagines pro vexillis secuti forent, duces imperatoresque deligerent.'

5. Igitur Cæsar, repetitis adversum nepotem et nurum probris, increpitaque per edictum plebe, questus apud patres, 'quod fraude unius senatoris imperatoria majestas elusa publice foret, integra tamen sibi cuncta' postulavit: nec ultra deliberatum, quominus, non quidem extrema decernerent, id enim vetitum, sed 'paratos ad ultionem vi Principis impediri' testarentur: olim ad servitutem proni,[1] nunc projecti.

6. Sejanus, hac Principis et senatus inclinatione factus audacior, nisi tamen intestinis discordiis grassaretur, semper invalidus, ad atrociora aspirabat. Casus, an consilium, easdem adversum Germanici stirpem, quibus ipsum Tiberii sanguinem fuerat aggressus, artes obtulit. Drusus enim, L. Othonis filiæ quondam pactus,[2] uxorem accepit Æmiliam Lepidam,[3] generis nobilitate insignem, ingenii pravitate fœdam, marito discordem, Cæsaris odio, Sejani ambitione exitiabiliorem.

7. In tanta regnatricis domus confusione, non deferbuit publica accusandi rabies: acrius etiam exarsit. Princeps, natura immitis, et, defuncta matre, truculentus, ut sævi-

1 *Olim ad servitutem proni*] C. Cornelii Taciti Annales supplere aggredior. Opus arduum: quod utinam quanta cum historiæ necessitate, tanta cum laude exequar.

2 *L. Othonis filiæ quondam pactus*] Suet. in Oth. 1. Lucius Otho 'tulit et filiam, quam nondum nubilem Druso, Germanici filio, despondit.'

3 *Æmiliam Lepidam*] Ejus flagitia et mortem memorat Tacitus, Annal. VI. 40. Vide stem. Cæs. n. 84.

tiam *diu* coërcitam exereret, omnes Juliæ amicitias[1] et familiaritates afflixit; eique intimum equestris ordinis virum, quo pœnæ infamia diuturniorem terrorem faceret, ceterosque, quæ imminerent, doceret, in antliam condemnavit. Violentior quoque Sejani, dicteriis fictisque sententiis illusi, ira; præmiis irritata vestigatorum et accusatorum aviditas, præclaros quosque et in civitate præstantes corripuit, civilique bello gravius confecit. Excipiebatur lætantium risus, querentium dolor, jocantium simplicitas,[2] ipse ebriorum sermo. Nihil erat tutum: omnis sæviendi placebat occasio: unusque reorum omnium eventus, aut mors propera, aut turpe supplicium.

8. Cum Romana civitas in sui internecionem ita fureret, scelus unum, sed in plura scelera et portentosa mala erupturum, patravere Hierosolyma.[3] Pontius Pilatus,[4] quem Cæsar Judææ procuratorem fecerat, non vecors, imbellis tamen, Jesum Christum,[5] novæ religionis auctorem, a

1 *Omnes Juliæ amicitias*] Sueton. in Tiber. LI. 'Testamentum quoque ejus pro irrito habuit, omnesque amicitias et familiaritates, etiam quibus ea funeris curam moriens demandarat, intra breve tempus afflixit: uno ex his equestris ordinis viro et in antliam condemnato.'

2 *Jocantium simplicitas*] Senec. de Benefic. III. 26. 'Sub Tiberio Cæsare fuit accusandi frequens et pæne publica rabies, quæ omni civili bello gravius togatam civitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas jocantium: nihil erat tutum: omnis sæviendi placebat occasio. Nec jam reorum expectabatur eventus, cum esset unus.'

3 *Patravere Hierosolyma*] Mortem Jesu Christi, paucis memoratam, Annal. XV. 44. forte in hac Annalium parte omiserat Tacitus. At Christianum scriptorem puderet id silere, quo nihil majus peperere sæcula, et in quo salus nostra, spes, amor et gloria.

4 *Pontius Pilatus*] Joseph. Antiq. Jud. XVIII. 2. Πόντιος δὲ Πίλατος διάδοχος αὐτῷ Γράτῳ ἧκεν: 'Pontius Pilatus Grato successit.'

5 *Jesum Christum*] Licet ex D. Luca III. 1. et Antiochenorum nummis Jesus Christus non XV. sed XIX. Tiberii anno mortuus esse videatur; cum tamen veteres omnes scriptores in priore sententia consentiant, ab iis in vetere scriptore supplendo discedere nefas duxi. Ne autem omnes appellem, sit satis laudasse Lactantium, Divin. Instit. IV. 10. 'Exinde Tetrarchas habuerunt (Judæi) usque ad Herodem, qui fuit sub imperio Tiberii Cæsaris; cujus anno quinto decimo, id est, duobus Geminis consulibus, ante diem decimam Calendarum Aprilium Judæi Christum cruci affixerunt:' et Tertullianum adversus Judæos, VIII. 'Passio hujus exterminii intra tempora septuaginta hebdomadum perfecta, sub Tiberio Cæsare, coss. Rubellio Gemino, et Fusio, (corrige *Fufio,*) Gemino, mense Martio, temporibus Paschæ, die 8. Kal. April.' Eadem fuit Julii Africani, Clementis Alexandrini,

Judæis pervicacius accusatum, nullius criminis compertum, morte affecit. Diffissa saxa, concussa terra, sol cassus lumine,[1] ejus cædem ulcisci et innocentiam testari visa: ipse, effracto sepulcro, astantibus custodibus, redivivus ac integer egressus, magnum fuit numinis argumentum; Tiberiumque omnibus intentum advertit,[2] religionem non infixit.

9. Princeps, in pacis curas fixus, inturbidum fovebat imperium. Idque majore felicitate incertum an industria, assecutus, ut dum Urbem luctu fatigaret, provincias diffu-

Hieronymi, Augustini, aliorumque veterum et eruditorum Patrum sententia. In fastis quoque consularibus duobus Geminis coss. Christus passus esse dicitur. Ergo saltem quadriennio ante vulgarem æram erat natus: quod fatentur eruditi ferme omnes, duce Josepho, qui, Antiq. Jud. XVII. 8. et 11. Herodem quadriennio ante vulgarem æram mortuum narrat.

1 *Sol cassus lumine*] Non modo Christianorum, sed ipsius populi Romani acta, prodigia in Christi morte patrata testabantur. Inde Tertullianus, Apologetic. XXI. 'Eodem momento dies, medium orbem signante sole, subducta est—eum mundi casum in archivis vestris habetis'—et cum varia mortis ac resurrectionis Christi miracula recensuisset, addit: 'ea omnia super Christo Pilatus, et ipse jam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tunc Tiberio nuntiavit.' Martyr quoque Lucianus apud Rufin. Hist. Eccl. IX. 6. 'Requirite in annalibus vestris, invenietis temporibus Pilati, Christo patiente, fugato sole, interruptum tenebris diem.' Olim fuisse vera Pilati acta, postea, circa Maximini tempora, alia, adversum Christum probrosa, esse conficta norunt viri omnes eruditi. Moses Choronensis, Hist. Armeniac. II. 30. literas Abgari ad Tiberium, Tiberii ad Abgarum, de morte Christi, et prodigiis, quæ in ea evenere, recitat; et in Edesseno tabulario asservari affirmat. Utinam penes scriptorem plus foret auctoritatis!

2 *Tiberiumque omnibus intentum advertit*] Teste enim Tertulliano Apologet. v. 'Tiberius, cujus tempore nomen Christianum in sæculum intravit, annuntiata sibi ex Syria Palæstina, quæ illic veritatem istius divinitatis revelarant, detulit ad senatum cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia non ipse probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.' Senatum ac præcipue Sejanum contradixisse ne ex Tiberii relatione 'Christus Deus haberetur' testatur Orosius, VII. 4. At, ut egregie observat Eusebius Hist. Eccles. II. 2. *Τῇ δ' ἀληθείᾳ, ὅτι μηδὲ τῆς ἐξ ἀνθρώπων ἐπικρίσεώς τε καὶ συστάσεως ἡ σωτήριος τοῦ θείου κηρύγματος ἐδεῖτο διδασκαλία*: 'id vere contigit quod salutaris divinæ doctrinæ prædicatio auctoritate et auxilio hominum minime indigeret.' Eadem pro more suo fusius eloquentiusque prosequitur D. Chrysostomus, Homil. XXVI. in Ep. II. ad Corinth. Tertulliani vero auctoritatem hac in re merito asseruit eruditus Pearson, Lectiones in Acta Apostolor. Lect. IV. 15. 'Nihil igitur est quod in hac historia refelli possit. Et cum Tertullianus adeo gravis, adeo antiquus auctor, adeo rerum Romanarum peritus fuerit, tutius multo est istam Tiberii ad senatum de divinitate Christi relationem amplecti.'

sa in omnes terrarum orbis partes tranquillitate recrearet;[1] præmiorum parcus, injuriarum vindex acerrimus, præcellentis virtutis raro invidus, semper metuens: ducibus magistratibusque usus non optimis, sed bonis, a quibus sibi minor gloriæ, at major dominationis spes.

10. M. Vinicio et L. Cassio consulibus,[2] Tiberius, atrox odii, tandem in Agrippinæ et nepotum pœnas duravit. Asseverabat Sejanus, 'impunitate gliscere reorum animos, non jam verbis, sed factis pudendisque libidinibus grassari: patres, milites corrumpi: Neronem Principem ostentari; Tiberium Capreis, Agrippinam Romæ dominari.' Cæsar, iræ non retinens, ubi dominationis anceps, duces, exercitus firmat, ad senatum scribit, 'doloribus animum suum lacerari,[3] abstruso pectus flagrare incendio: se ex nuru, ex nepote dolere, indignari, erubescere: Deos, imperii custodes, obtestari, ut in majestatis reos, meritas, et a patribus negatas, pœnas immittant.'

11. Territi senatores, mala sibi imminentia deprecentur, an in Agrippinæ et Neronis cædem ruant dubii, paventes consultant, et atroci senatusconsulto in eorum damnationem[4] conspirant; inito tamen consilio, 'suspensis et ambiguis literis pertentandum Principem. Se ejus doloribus anxios, periculis exanimos, scelera exhorrescere: ad ultionem paratissimos, non retardari nisi Principis jussu, qui integra sibi cuncta postulavit, et imperatoriæ majestatis dignitate, quæ non festinatis, sed lentis suppliciis vindi-

1 *Tranquillitate recrearet*] Velleius, II. 126. 'Quando pax lætior? Diffusa in Orientis Occidentisque tractus, et quicquid meridiano aut septentrione finitur, pax augusta per omnes terrarum orbis angulos a latrociniorum metu servat immunes.' Inde nummus Tiberii, cusus, ut videtur, Corinthi, PACE AVG. PERP. *pace Augusti perpetua:* ara incorona quercea.

2 *L. Cassio coss.*] M. Vinicius et L. Cassius Longinus consules fuere A. U. 783. J. C. 30. Tiberio acceptissimi, duas Germanici filias uxores accepere: Drusillam Cassius Longinus, Juliam Vinicius. Vide stem. Cæs. n. 95. 96. 97. et 99.

3 *Doloribus animum—lacerari*] Velleius, II. 130. 'Abstruso, quod miserrimum est, pectus ejus flagravit incendio, quod ex nuru, quod ex nepote dolere, indignari, erubescere, coactus est.'

4 *In eorum damnationem*] Quam memorat Suet. in Tiber. LXIV.

catur. In Cæsaris discrimine non modo reorum pœna, at retectis et oppressis eorum consiliis, consulendum.'

12. Tiberius, his literis obsequii patrum certus, centuriones mittit, qui Agrippinam[1] in Pandatariam insulam,[2] Neronem in Pontiam,[3] catenatos projiciant.[4] Accusationum fama, pœnæ celeritas, populum in subitis incertum, in adversis pavidum, percellit. Agrippina, sui conscia, injuria impatiens, trahenti obnititur, in Principis convicia erumpit, exuere ferociam, et sævienti fortunæ submittere animum nescia: centurio, ad acerbissima secreto exstimulatus, os ejus verberat, oculum excutit, tantaque audacia accusationibus fidem, animis terrorem addit. Malorum invicta, fortuna major, ipsa vulneris indignitate lætatur Agrippina, gnara vel in sceleribus modum esse, potentiamque Sejani, in insanas atrocitates effrænam, esse ruinæ proximam.

13. At ille, successu scelerum superbus, Drusum aggreditur: eumque ut pervertat, Æmiliam Lepidam stupris sibi illigatam,[5] affinitatis et dominationis spe ad fœdas accusatricis partes excitat. Fœmina, quanto in libidinem

1 *Centuriones mittit, qui Agrippinam*] Sueton. in Tiber. LIII. 'Novissime calumniatus (Agrippinam) Pandatariam relegavit: conviciantique oculum per centurionem verberibus excussit.'

2 *In Pandatariam insulam*] In Puteolano sinu Pandataria, nunc *the isle St. Mary*. Pontia, nunc *Ponza*.

3 *Neronem in Pontiam*] Sueton. in Tiber. LIV. 'Patefacta interiore animi sui nota, omnium criminatoribus obnoxios (Neronem et Drusum) reddidit: variaque fraude inductos, ut et concitarentur ad convicia, et concitati perderentur, accusavit per literas, amarissime congestis etiam probris, et judicatos hostes fame necavit: Neronem in insula Pontia, Drusum in ima parte palatii.'

4 *Catenatos projiciant*] Sueton. in Tiber. LXIV. 'Nurum ac nepotes nunquam aliter post damnationem, quam catenatos, obsutaque lectica, loco movit: prohibitis per militem obviis ac viatoribus respicere usquam vel consistere.'

5 *Æmiliam Lepidam stupris sibi illigatam*] Dio, LVIII. p. 623. Ὁ δὲ Σηϊανὸς καὶ τὸν Δροῦσον διέβαλλε διὰ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ. Πάσας γὰρ, ὡς εἰπεῖν, τὰς τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν γαμετὰς μοιχεύων, τά τε λεγόμενα ἢ καὶ πραττόμενα ὑπ' ἐκείνων ἐμάνθανε, καὶ προσέτι καὶ συνεργοὺς σφᾶς ὡς καὶ γαμηθησομένας οἱ ἐποιεῖτο: 'Sejanus vero et Drusum per uxorem ejus calumniatus est. Omnes enim propemodum matronas illustrium virorum stupro cognitas habebat, quarum ope a conjugibus dicta factaque resciseret: quinetiam ad consiliorum societatem, velut sibi nupturas, pellexerat.' De Druso et Æmilia Lepida vide item. Cæs. n. 83. et 84.

projectior, tanto audacior, adit Principem; plurimis in Agrippinam, in Neronem criminationibus, vetera odia, recentes iras inflammat: tum iisdem sceleribus Drusum innectit; ætate tamen imparem, sibique junctum thalamo paululum excusat, ut magis urgeat. Indefensus juvenis statim in Urbem amovetur.

14. Satis Principi, non satis Sejano consultum: animum injuria exacerbatum, Tiberii pœnitentiam metuit; duoque imperii munimenta[1] superesse invidet. Cassium Longinum,[2] consulem, venali magistratu sordidum, ad novam Drusi accusationem subornat. 'Juvenem, pœna ferociorem, res novas moliri, et malevolorum civium gratiam populari ambitu aucupari,' ad senatum retulit, Cæsarique scripsit consul. 'Nepotem, mitiore pœna indignum, in ima palatii parte[3] claudi; acri custodia cingi: omniaque ejus facta et dicta excipi, describi, sibique mitti,' a Principe rescriptum.

15. Imperatoriam dignitatem, senili capite[4] et imbelli juventa subnixam, tandem in se totam inclinare Sejanus eo effusius gaudebat, quod spes suas certus ipse pasceret, securus senesceret Tiberius. Ut suspicacem ejus animum magis adhuc obfirmet, 'sapientia Principis oppressam ambitionem, dominationem assertam, firmatam hæreditatem, perennem imperii tranquillitatem,' ei gratulatur. Cæsar, laudibus spernendis validus, ingenii tamen et dominationis commendationem lætus excepit; maximaque parte in Sejanum cessit, dictitans, 'se ejus vigilantia defendi,[5] consiliis juvari, recreari obsequiis: in illo præcipuum esse imperii levamentum, senectæ suæ præsidium.'

1 *Duoque imperii munimenta*] Drusum et Caium.

2 *Cassium Longinum*] Dio, loc. cit. Ἐπεὶ δὲ ὁ Τιβέριος ἁπλῶς τὸν Δροῦσον ἐς τὴν Ῥώμην ἔπεμψεν, ὁ Σηϊανὸς δείσας μὴ μεταβάληται, ἔπεισε τὸν Κάσσιον χρεματίσαι τι κατ' αὐτοῦ: 'Postquam Tiberius Drusum simpliciter Romam misit, veritus Sejanus, ne sententiam mutaret, Cassio persuasit ut de Druso ad senatum referret.'

3 *In ima palatii parte*] Sueton. in Tiber. LIV. Tacit. Annal. VI. 24.

4 *Senili capite*] 'Senili capite' Tiberii, 'imbelli juventa' Caii Caligulæ.

5 *Se ejus vigilantia defendi*] Hæc omnia indicat Vell. II. 126. et 127. Tum maxime in Sejani 'virtutum æstimatione judicia civitatis cum judiciis Principis certavere.'

Verbis honores addit, ut, qui usu necessarius, dignitate emineat.

16. Tum ruere omnes in Sejani venerationem: legationibus, gratulationibus,[1] votis studia ostentat senatus, equester ordo, populus Romanus, plebs ipsa, novarum rerum intemperans. In foro, in templis, in privatis ædibus, ponuntur ejus statuæ: passim fumant altaria: dies ejus natalis celebratur: per Tiberii ac Sejani fortunam juratur: Princeps et amicus Principis Diis commendantur, honoribus æquales, appellatione vix dispares.

17. Abblandientis fortunæ magna accessere subsidia, Asinius Gallus et Lentulus Gætulicus. Ille, patre et uxore[2] incertum an sobole clarior, Sejanum sectari, patrum obsequia appromittere, tanto acrius quod ob causas supra memoratas[3] Tiberio esset invisus. Hic, legionum superioris Germaniæ legatus, Sejani affinitatem ambire;[4] ipso Principe conscio, obtinere, et exercitus, in quorum cognomentum asciscebantur imperatores,[5] pignus præmiumque affinitatis, ostentare. Nunquam summæ rei propior fuit Sejanus: at quo altior, eo magis in lubrico; eniti valuit, assequi non potuit. Cum callidum Tiberii ingenium haud alias magis innotuerit,[6] nihilque ad memoriam, ad exemplum illustrius habeant Annales, id diligentius exequar.

18. Tiberius, gravescente ætate, libidinum immodicus, principatus tamen minime incuriosus, ipsis etiam vitiis ad occulenda consilia tutandamque dominationem utebatur. Specie quidem iners summam rerum Sejano permittebat,

1 *Legationibus, gratulationibus*] De hac Sejani veneratione plurima habet Dio, LVIII. p. 623. et 624.

2 *Patre et uxore*] De patre et uxore Annal. I. 12. De ejus quoque sobole vid. not. ad Annal. III. 75.

3 *Supra memoratas*] Annal. I. 12.

4 *Sejani affinitatem ambire*] Ipsius Tiberii consilio *Sejani filium generum* destinaverat Lentulus Gætulicus, Tacit. Annal. VI. 30. Dio, LIX. p. 657.

5 *Asciscebantur Imperatores*] Hac de re dictum Annal. I. 31.

6 *Haud alias magis innotuerit*] Aliter, sed minime probabiliter, Tiberio sæpe iniquissimus, Suet. in Tiber. LXV. 'Sejanum res novas molientem, quamvis jam et natalem ejus publice celebrari, et imagines aureas coli passim videret; vix tandem et astu magis ac dolo, quam principali auctoritate subvertit.' De his adhuc dicetur infra cap. 37.

sed nunquam fuit oculatior, ut virum introspiceret, quem socium dignitatis volebat, eversorem verebatur. Inclinatum ad suspicionem animum advertit Gætulici affinitas, firmavit Asinii studium: et arte plurima, ipsa timoris causa in diu meditatam Asinii ruinam cessit; ita tamen, ut fides, si Sejano inesset, cresceret, perfidia, si qua foret, retardaretur.

19. Igitur cum Asinius Sejanum[1] novis honoribus cumulandum censuisset, et annuentibus patribus, Campaniam, ut Cæsarem hac super re consuleret, esset profectus; perlatæ Romam Principis literæ, quibus 'turbatorem Asinium, in Agrippina adulterum, suo Syriaco[2] male contentum, et Sejani amicitiam Principi invidentem' accusat: 'eum *statim corripi*; consulum, vel, Principe consule, prætorum custodiæ tradi' jubet. Patres, gnari apud Cæsarem moras verti in crimen, confestim mittunt prætorem, qui Asinium comprehendat.

20. Ille ingruentis mali nescius, et a Principe honorifice exceptus, lætus mensæ intererat, cum ei nuntiata senatus jussa: Principis conviva pariter et reus expalluit; jamque, ut liberis consuleret, extremam necessitatem parabat. Tiberius eum, 'Senatus, Sejani ac Principis gratiæ certum, ad animi firmitudinem, accusationemque strenue repellendam,' hortatur. At, cum Romam venit, nulla data defensionis facultate, ademto etiam sermonis et colloquii usu, spei egenus clauditur, iis tantum, quibus vix viveret, mori tamen non posset, permissis. Syriaco, viro diserto,[3] nullius criminis reo, sed ob Asinii amicitiam inviso, sors lætior, deproperata morte, obtigit. Lætum enim interfici in hac gravi ætate, qua Princeps vita ipsa sævire cœpit,[4]

1 *Cum Asinius Sejanum*] Hæc fuse narrat Dio, LVIII. p. 622. Ad Dionem ejusque excerpta haud satis attendit Cl. Crévier, cum scripsit, *Histoire des Empereurs*, vol. I. p. 551. 'Asinius ayant été député par le sénat vers l'Empereur, sans que nous puissions dire à quel sujet.'

2 *Suo Syriaco*] Syriacus Asinii Galli amicus. Dio, loc. cit.

3 *Viro diserto*] Senec. II. Controv. 9. 'Syriacus—multa diserte dixit.'

4 *Vita ipsa sævire cœpit*] Sueton. in Tiber. LXI. 'Mori volentibus vis adhibita vivendi. Nam mortem adeo leve supplicium putabat, ut, cum audisset

eamque morte tristiorem facere: nunquam sævior, quam cum, supplicii parcus, mortem, ultimum malorum levamen, invidit; vitæ usuram in tormenta convertit.

21. Interim Tiberius, in majora intentus, ipsaque Sejani obsequia veritus, omnes pertentandi animos, et dominationem retinendi artes meditari; Sejanum explorare, circumspectare vultus; dicta, facta, consilia observare. At hominum callidus, eosque, adversis cautos, dubiis obscuros, prosperis totos patere certus, iis grassatur, ut vel inviolatam ejus fidem aperiat, vel perfidiam prosperitatis mole obruat. Sejanus nunquam visus carior; Principis continuus et intimus, ob laboris patientiam, animi vigorem, egregiam modestiam, novis in dies honoribus mactatur: in conscientia arcanorum, et reipublicæ capessendæ cura innectitur: Consul, collega Principe,[1] designatur: Livia, quondam negata,[2] permittitur: omnia principatus auctoramenta cumulantur, ut principatu certius excidat.

22. Ipse impar tantis artibus, Cæsarem venerari, Caium spernere,[3] spes ostentare, sibi invisos opprimere,[4] clientium vota excipere, multa elargiri, plura appromittere, luxu et otio Principem inumbrare: lætissimo Tiberio, qui male tectam mentem, et crescentibus honoribus, in certiora indicia cito erupturam introspexerat.

23. Inter hos fortunæ lusus, et suspicacis Principis simulationes, Velleius Paterculus, scriptor elegantis ingenii, sed hominum rudis, laudis et favoris avidus, ingentia populi Romani facta brevi libello complectitur: totque sæculis, tot victoriis partam imperii majestatem, in Tiberio comprehensam, a Sejano sustentatam, exhibet. Adulationem, vel in

unum e reis, Carvilium nomine, anticipasse eam, exclamaverit: Carvilius me evasit. Et in recognoscendis custodiis, precanti cuidam pœnæ maturitatem, respondit: Nondum tecum in gratiam redii.'

1 *Consul, collega Principe*] De his Tiberii artibus, honoribusque Sejani, vide Dionem, LVIII. p. 623.

2 *Livia, quondam negata*] Olim negatam vidimus Annal. IV. 40. Postea permissam, Annal. V. 6. Vide quoque Annal. VI. 8.

3 *Caium spernere*] Nec tantum spernere, sed etiam Sextium Paconianum, qui ei dolum pararet, deligere, ut dicitur Annal. VI. 3.

4 *Sibi invisos opprimere*] Hos inter oppressus videtur Curtius Atticus, de quo Annal. VI. 10.

volucribus verbis infamem, scriptis cum summo nominis sui et historiæ dedecore perennem fecit:[1] fato odioque Sejaniano semper premendus, damnandus semper, sed ob curiosos laudum homines et deformem scriptorum servitutem, paucos ingenii, plurimos adulatoriæ fœditatis imitatores pari cum opprobrio semper habiturus.

24. Tiberius Cæsar v.[2] et Ælius Sejanus consulatum acerrimis, sed diversissimis, utriusque votis expetitum iniere; Tiberius Capreis, Sejanus Romæ. Nunquam lætior, aut splendidior Urbis facies. In consulem, quem futurum mox dominum suspectabat, intenta, Principis ferme oblita, Sejanum veneratur[3] eo demissius quod novorum hominum facilis offensio, gratia difficilis, atrox superbia, odium pervicax. *Omnes* consulis foribus assistere, ejus libertis ac janitoribus notescere, eum aspicere, ambire, salutare, ex ejus alloquio et nutu ingentes spes agitare: omnium vocibus, omnium laudibus celebratur; et quem adhuc pudet in hac servitii cruditate numinis cultum præsenti offerre, is ad ejus imagines sine verecundia defertur.

25. Tanta Urbis studia haud miratus Princeps, sed cautior, L. Pisonem,[4] patre censorio nobilem, ob rarissimum luxus ac virtutis temperamentum, et nullam inter acerrimas

1 *Perennem fecit*] Fœda hæc adulatio se passim toto libello prodit, ac maxime Libro II. cap. 126. et seq. De Sejano longe aliter scripturus, si sub finem anni sequentis scripsisset: tum forte Valerio Maximo conviciorum feracior. De Valerio Maximo vide infra cap. 39.

2 *Tiberius Cæsar V.*] Tiberius Cæsar v. et L. Ælius Sejanus consulatum iniere A. U. 784. J. C. 31. In nummis Bilbilitanorum TI. CAESAR DIVI AVG. F. AVGVSTVS, Tiberii capite laureato. Ex adversa parte, MV. AVGVSTA BILBILIS. TI. CAESARE. V. L. AELIO SEJANO. Intra coronam cos. 'Municipium Augusta Bilbilis: Tiberio Cæsare quintum, Lucio Ælio Sejano consulibus.' Vide Harduinum, Select. Oper. p. 709. Omnes Tiberii collegas, Quintilium Varum, Cn. Calpurnium Pisonem, Germanicum, Drusum, Sejanum, violenta morte periise observatum apud Dionem, LVII. p. 616.

3 *Sejanum veneratur*] Optime Dio, LVIII. p. 623. 'Ut paucis dicam, Sejanus Imperator, Tiberius quidam insulæ rector videbatur:' *ὥστε συνελόντι εἰπεῖν, αὐτὸν μὲν, αὐτοκράτορα, τὸν δὲ Τιβέριον, νησίαρχόν τινα εἶναι δοκεῖν.*

4 *L. Pisonem*] De quo Seneca Ep. 83. 'L. Piso, Urbis custos, ebrius, ex quo semel factus est, fuit—officium tamen suum, quo tutela Urbis continebatur, diligentissime administravit.'—Huic et Tiberius dedit secreta mandata, 'proficiscens in Campaniam cum multa in Urbe et suspecta relinqueret et invisa.' Laudatur Annal. VI. 10.

curas occupationis ostentationem acceptissimum, secretiorisque imperii in Urbis præfectura participem, vigilantiæ admonet: consulis colloquia, senatorum obsequia, equitum vota, populi dicteria, rumores omnes clam anquirit, offensionum negligens, ut plures futurorum exitiorum causas habeat: ipseque novam obsequiorum materiem addit, missis ad senatum literis, quibus 'Sejani fidem curasque' commendat; et 'eum insignem principalium onerum adjutorem, imperii socium, Sejanum suum' appellat.[1]

26. Consul, ut truculento Principi grates agat incertum an ut simultates faciat, primores illi invisos corripit, et fictis criminibus damnatos interficit. Hos inter Geminius Rufus,[2] majestatis postulatus, senatum adiit, et, ut Cæsarem liberis suis placabilem redderet, testamentum recitavit, quo eum, partita hæreditate, liberis exæquabat. Id haud satis virile habitum: domum itaque, lata nondum sententia, regressus, et quæstorem, supremæ necessitatis nuntium, oppertus, ubi eum vidit, gladium sua in viscera direxit; vulnusque ostendens, 'Refer,' ait, 'senatui, sic virum occumbere.' Publia Prisca, maritum æmulatur: in jus vocata, curiam venit; ibique, pugione, quem sinu occuluerat, adacto, mortua corruit.

27. Sejanum tot funeribus dominationi inhiantem ad magnas spes casu an consilio patres erexere: ejus enim favore et Cæsaris literis permoti, quid summum in adulatione valeant, consultant. Visum 'præcellentem, sed brevem, esse consulatus dignitatem: consultissimum fore, si prorogaretur.' Decretum itaque 'Cæsarem ac Sejanum[3] per

1 *Sejanum suum appellat*] De his aliisque plurimis Dio, sæpe citatus, LVIII. p. 623.

2 *Hos inter Geminius Rufus*] Geminii Rufi et Publiæ Priscæ exitum narrat Dio, loc. supra cit. Neque Geminius ille confundendus cum Geminio, de quo dicitur Annal. VI. 14. Missos quæstores, qui supplicia curarent, multis exemplis compertum. Vide Annal. XVI. 34.

3 *Cæsarem ac Sejanum*] De his honoribus Dio, LVIII. p. 623. Καὶ τέλος ἐψηφίσθη, ὑπάτους τε σφᾶς διὰ πέντε ἐτῶν ἅμα ἀποδείκνυσθαι, καὶ ἀπάντησιν, ὁπότε ἐς τὴν Ῥώμην ἐσίοιεν, ἀμφοτέροις ὁμοίως γίγνεσθαι: 'Denique decretum est, ut ad quinquennium consules simul constituerentur: utrique, cum Romam intrarent, obviam procederetur.'

quinquennium consulatum continuaturos; et iis, cum Romam intrarent, senatores obviam processuros.' Sejanum, honoris recentem, et excelsa pedetentim, non cursim, peti nescium, obcæcat dignitatis diuturnitas, Principis senecta; jamque summam spem præcipit.

28. At ubi senatusconsultum ad Cæsarem perlatum, quantum e republica peteretur persensit: ne tamen ambitionem aut facilitate provocaret, aut repulsa irritaret, rescripsit, 'in hac optimorum senatorum multitudine, imperii amplitudine, sapienter a majoribus provisum, ut ne annuus quidem esset consulatus: quinquennali dignitate egregios viros virtutis præmio, provincias rectoribus privari: consulendum non quid sibi, quid suo Sejano sit honorificentius; utrique rempublicam laude sua potiorem esse.' Hic Sejano favoris, tot sceleribus parati, finis: declinare cœpit; tanto citiore lapsu, quanto altiore, ruiturus.

29. Suffecti VII. Idus Maii[1] consules Cornelius Sylla et Sexteidius Catullinus. Sejanus, vel exuta dignitate, potentia haud impar Principi, id maxime sategit, ut Capreas repeteret, senem certius obsequiis devincturus, vel facilius, si facultas daretur, oppressurus: 'morbum Liviæ, diuturnam absentiam, suum in Cæsarem studium' obtendit. Callidior Tiberius 'urbana negotia, suumque Romam reditum'[2] objicit: mox datis ad senatum literis, Sejanum oblique perstringit, vel laudando modice, vel maligne silendo: deinde ut pronos ad nova animos incitet simul ac retardet, modo se 'annis et morbo gravem, in principalibus curis opis alienæ indigum' simulat, modo se, 'refectis viribus, et confirmata valetudine, quam primum Romam venturum, et reipublicæ consulturum' nuntiat.

30. Prudentibus, sed paucis,[3] suboluere Principis con-

1 *Suffecti VII. Idus Maii*] Die nona Maii. Vide inscriptionem supra laudatam Annal. v. 24. not. sup.

2 *Suumque Romam reditum*] Dio, LVIII. p. 624. et 625. Miror Cl. Catrou, *Histoire Romaine*, vol. XX. p. 664. hæc insigni errore de Caio Caligula dicta accepisse.

3 *Prudentibus, sed paucis*] Dio, LVIII. p. 625. hæc fusius prosequitur, quam ut describantur. Immanem enim in molem notæ excrescerent.

silia: ceteros divisa in Cæsarem et Sejanum principatus potentia illudebat: ipseque Sejanus, bona inter et mala licet ambiguus, spe dominationis, qua ambitiosis in pectoribus nihil tenacius, prolectabatur. Cæsar, ut occultiores sensus tandem extruderet, eum honoribus pariter et æmulatione aggreditur; ipsum enim ejusque filium sacerdotiis exornat cum Caio,[1] quem, Capreas accitum,[2] moxque sumta toga, ut futurum hæredem, laudavit. Æmulum, fortunæque ostentatum, juvenem, nimia populi in revirescentem Germanici domum studia invidit Sejanus. Patres vero, ad deforme obsequium semper projecti, nec artium callidi 'proconsulare imperium[3] illi' decrevere; 'eumque in posterum consulibus exemplar proponendum' censuere: invidiam mollivit aucta dignitas, servilisque adulatio. Sed mox timorem addidit Princeps, cum Hispaniæ aliarumque provinciarum[4] rectores, Sejano infensos, et criminum postulatos, absolvisset.

31. Tum pœnitere[5] quod in consulatu, demissaque in servitutem civitate, nihil attentasset: dubias tamen spes paululum firmavere Cæsaris ad consules literæ,[6] quibus appellato quidem Sejano, minime tamen laudato, Neronem, atrocius increpitum, 'hostem judicari, et necari'[7] jussit: at inconsultos ob cædem tamdiu expetitam lætitiæ sensus brevi temperavit, et terrores vividius incussit. Gnarus

1 *Sacerdotiis exornat cum Caio*] Dio, LVIII. p. 625. Ὁ Τιβέριος ἱερέας μετ' αὐτοῦ (Γαΐου) τε καὶ ἐκεῖνον καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἐποίησε: 'Tiberius Sejanum filiumque ejus cum Caio sacerdotes fecit.'

2 *Capreas accitum*] Sueton. in Caio, x. 'Caius vicesimo ætatis anno accitus Capreas, uno atque eodem die togam sumsit; barbamque posuit: sine ullo honore, qualis contigerat tirocinio fratrum ejus.' Sacerdotia laudesque a Tiberio datas silet scriptor indiligens, ferme totus in Principum criminationibus et libidinibus.

3 *Proconsulare imperium*] Dio, LVIII. p. 625. Τήν τε ἀνθυπατικὴν ἐξουσίαν αὐτῷ ἔδωκαν, καὶ προσεψηφίσαντο πᾶσιν ἀεὶ τοῖς ὑπατεύουσι παραγγέλλεσθαι, κατὰ τὸ ἐκείνου ζήλωμα ἄρξαι: 'Proconsulare imperium ei dederunt; id etiam decreto addidere præcipiendum omnibus, in posterum consulibus, ut ejus ad imitationem magistratum gererent.'

4 *Hispaniæ aliarumque provinciarum*] Hæc pluribus prosequitur Dio, LVIII. p 626.

5 *Tum pœnitere*] Dio, ibid.

6 *Ad consules literæ*] Dio, ibid.

7 *Hostem judicari, et necari*] Sueton. in Tiber. LIV. in Caio, VII. Dio quoque, loc. cit.

enim, imminuta veneratione, imminui homines dignitate, quam virtute, majores, imperavit 'ut nemini mortali[1] sacrificaretur; in ceteris etiam Principis honoribus modus foret: nihilque novi de iis referretur.' Hæc quidem obsequia spernebat Cæsar, principatus, quam religionis, studiosior: ea vero ambiebat Sejanus, sui cultor ipse et numen, religione ad principatum usus, et adorata capita odiosius evilescere nescius.

32. Sublato Sejani cultu, et infracta paulatim potentia, ardentiora fuere in Caium, ipsumque Principem, Germanici domui æquiorem, studia. Cæsar, animorum inclinatione lætus, hæredis certus, de se securus, Sejanum ad fidei perfidiæve extrema impellit; ejusque intimos, criminum postulat, morte afficit; in imperii tranquillitatem haud alias intentior. Dissimulatione et patientia suspicacem Principem oppressisset Sejanus: sed urgebant fata, sceleribus gravida; et lævam mentem in conjurationem adegere. 'Spes vanescere, se peti' infremens, prætoriisque cohortibus superbus, senatores, equites, libertos,[2] criminum socios,

1 *Nemini mortali*] Dio, LVIII. p. 626. Καὶ ἀπεῖπε, μήτ' ἀνθρώπων τινὶ θύεσθαι, διότι καὶ ἐκείνῳ (Σηϊανῷ) τοῦτ' ἐγίγνετο, μήτε ἐπὶ τῇ ἑαυτοῦ τιμῇ τι χρηματίζεσθαι, διότι πολλὰ ἐκείνῳ ἐψηφίζετο, τοῦτο γὰρ ἀπηγορεύκει μὲν καὶ πρότερον, τότε δὲ διὰ τὸν Σηϊανὸν ἀνενεώσατο: 'Edixit ne cui homini sacrificaretur; quod Sejano res sacra fieri solebat; neve de sui honore quicquam referretur; quippe multa Tiberio decernebantur, quod jam ante interdictum, tum propter Sejanum repetebatur.'

2 *Senatores, equites, libertos*] Josephus Antiq. Jud. XVIII. 6. Ἐπιβουλῆς γὰρ μεγάλης συστάσης ἐπ' αὐτὸν (Τιβέριον), ὑπὸ Σηϊανοῦ, φίλου τε ἀνδρὸς, καὶ δύναμιν ἐν τῷ τότε μεγίστην ἔχοντος διὰ τὸ τῶν στρατευμάτων εἶναι ἡγεμονίαν αὐτῷ, καὶ τῆς τε βουλῆς οἱ πολλοὶ, καὶ τῶν ἀπελευθέρων προσέθεντο, καὶ τὸ στρατιωτικὸν διέφθαρτο, προὔκοπτέ τε ἡ ἐπιβουλὴ ἐπὶ μέγα, κἂν ἐπέπρακτο Σηϊανῷ τὸ ἔργον, μὴ τῆς Ἀντωνίας τόλμῃ χρησαμένης σοφωτέρᾳ τῆς Σηϊανοῦ κακουργίας. Ἐπεὶ γὰρ μανθάνει τὰ ἐπὶ τῷ Τιβερίῳ συγκείμενα, γράφει πρὸς αὐτὸν τὰ πάντα ἀκριβῶς, καὶ Πάλαντι ἐπιδοῦσα τὰ γράμματα τῷ πιστοτάτῳ τῶν δούλων αὐτῆς, ἐκπέμπει πρὸς Τιβέριον εἰς τὰς Καπρέας· ὁ δὲ μαθὼν, τόν τε Σηϊανὸν κτείνει καὶ τοὺς συνεπιβούλους· τήν τε Ἀντωνίαν, καὶ πρὶν ἀξιολόγως ἄγων, τιμιωτέραν τε ὑπελάμβανε κἀπὶ τοῖς πᾶσι πιθανήν: 'Magna conjuratione in Tiberium facta a Sejano, Principis amico, maximamque potestatem ob prætoriarum cohortium præfecturam adepto, multi e senatoribus cum libertis sese ei adjunxerunt, corruptisque militibus, conjuratio invalescebat, resque Sejano successisset, nisi Antonia prudenti audacia Sejani malitiam superasset. Ubi enim nefandas in Tiberium machinationes intellexit, omnia ei diligenter perscripsit, traditisque literis Pallanti, servorum suorum fidissimo, misit eum Capreas ad

Principi invisos solicitat, et nefario fœdere illigat; atrocior simul ac felicior, quam ut infaustis, quæ tum percrebuere, portentis retardaretur.[1] Sceleris horrore dubium an præmiorum spe, conjurationis indicium apud Antoniam Satrius Secundus,[2] Sejani cliens, professus est.

33. Antonia, grandi animo, nec minore in Caium, nepotem,[3] caritate, missis per Pallantem,[4] servorum suorum fidissimum, literis, crimen Principi demonstrat. Tiberius, quanquam ad omnes eventus casusque paratus, periculum exhorruit: invicta tamen mente, solitas moras vincit, et promtissimas opprimendæ conjurationis vias meditatur: Sejanum exosus, Prætorianos metuens, ceteros aspernatus, Prætorianos in obsequio præmiis retinere, Sejanum supplicio infamare statuit: ceteros imbelles in pœnas ultro ruituros.

34. Tum consules erant Memmius Regulus et Fulcinius Trio:[5] hic Libonis accusatione et Sejani favore infamis; ille paulo segnior, sed auctoritate et constantia egregius; ideoque delectus, qui Sejanum circumveniret. Mox Cæsar Sertorium Macronem,[6] secretorum participem, advocat,

Tiberium. Ille vero, re cognita, Sejanum occidit et hujusce consilii participes; et Antoniam, quam antea magni faciebat, majore in honore habuit, eique in omnibus confidit.' Tacitum quoque Annal. VI. 8. et 14. videas. Verum Cl. Crévier, *Histoire des Empereurs*, vol I. p. 552. Auctores Anglos, *Histoire Ancienne tirée de l'Anglois*, vol. IX. p. 498. et Cl. Tillemont, vol. I. p. 109. secutus, hanc conjurationem anno priore conflatam ac detectam scripsit: quo nihil potest fingi Josepho, ac Tacito, veritati historicæ, Sejani Tiberiique ingenio contrarium magis. Inde tot eorum in hac historiæ parte errores.

1 *Portentis retardaretur*] In his portentis recensendis plurimus Dio, LVIII. p. 624. et 625. Puderet referre: in iis enim vulgo pauca vera; multa fortuita: mendacia plurima.

2 *Satrius Secundus*] Tacit. Annal. VI. 47. 'Satrio Secundo conjurationis indice.'

3 *In Caium, nepotem*] Vide stem. Cæs. n. 42. et 86. Caius, relegata matre sua Agrippina, ad Antoniam aviam transierat, Sueton. in Caio, X.

4 *Per Pallantem*] Qui, Claudio imperitante, tanto protervior Sejano fuit, quanto vilior. De illo plurima Annal. XII. XIII. et XIV.

5 *Memmius Regulus et Fulcinius Trio*] Cornelio Syllæ et Sexteidio Catullino fuerant suffecti. Vide inscriptionem veterem Annal. V. 24. not. sup.

6 *Cæsar Sertorium Macronem*] Hæc ceteraque, quæ Sejani exitum spectant, fuse prosequitur Dio, LVIII. p. 626. 627. et 628.

cohortibus prætoriis præfectum destinat; explicatis consiliis, datisque literis, Romam mittit; monetque (id enim quidam tradidere) 'ut, si quid tumultus[1] in Urbe oriatur, armaque ab Sejano tententur, Drusum, in palatio clausum, educat, et ducem populo imponat.'

35. Macro, Urbem noctu ingressus, Principis jussa cum Memmio Regulo, consule, et Græcino Lacone, Vigilum præfecto, communicat; ceteraque ad Urbis tranquillitatem, Cæsaris securitatem, Sejani exitium, providet. Interea Cæsar, in summo discrimine nullam satis magnam esse prudentiam certus, naves, quibus, si adversa evenerint, ad fidissimas legiones perfugiat, aptare; ipse ex altissima rupe,[2] signa, quæ, ne nuntii morarentur, ad spei timorisve indicia, tolli mandaverat, speculari.

36. Tandem feralis illuxit dies. XV. Kalendas Novembris,[3] vocati patres in ædem Apollinis, palatio vicinam, convenere. Sejanus ipse venit, prætorianis stipatus: palatium subit, visoque Macrone, nihil literarum a Principe ad se allatum stupet. At cum veneratione a Macrone salutatus, secretoque monitus, 'se tribuniciæ potestatis collegam a Cæsare deligi; mox dandas consuli, qui ad patres referret, Principis literas,' ædem intrat, quod summa tandem adeptus sit superbus. Prætorianos statim alloquitur Macro, 'Principem iis singula denarium millia[4] elargiri, seque eorum præfectum esse' nuntiat: deinde curiam ingressus, datisque Principis literis, ad eos revertitur, et 'ad castra simul pergere,' jubet. Rei novitate læti magis, quam attoniti, properant. Ubi recessere, Laco Vigiles ædi Apollinis circumdedit.

1 *Ut, si quid tumultus*] Dio, LVIII. p. 629. et 630. Τῷ τε Μάκρονι, ὥς τινές φασιν, ἐνετείλατο, ὅπως ἄν τι παρακινήσῃ, τὸν Δροῦσον ἔς τε τὴν βουλὴν καὶ ἐς τὸν δῆμον ἐσαγάγῃ, καὶ αὐτοκράτορα ἀποδείξῃ: 'Macroni, ut quidam referunt, mandaverat, si quis gravior motus incidisset, ut Drusum ad senatum et populum produceret, et imperatorem constitueret.' Vide et Tacitum Annal. VI. 23. Suet. in Tiber. LXV.

2 *Aptare; ipse ex altissima rupe*] Ista Suetonius Tiberio iniquior, ut sæpe monuimus, in Tiberii dedecus perperam vertit, in Tiber. LXV.

3 *XV. Kal. Novembris*] Tacit. Annal. VI. 25. Cetera vide apud Dionem, LVIII. p. 626.

4 *Singula denarium millia*] Angl. 33*l.* 6*s.* 8*d.*

37. Tum flamma,[1] ingentis pilæ specie visa, statimque evanida, vana et mira sectantibus versabilis fortunæ fuit prænuntia. Patrum enim vota inter et obsequia tribuniciam potestatem Sejano gratulantium, apertis Cæsaris literis,[2] Memmius Regulus plurima de rebus ad rempublicam spectantibus legit; mox pauca et ambigua de Sejano, a patribus in melius accepta; deinde quædam de Sejano tristia, mirantibus patribus, seque nonnullis ab illo dissociantibus; denique truculentiora, et Principis jussa 'senatores duos, Sejano intimos plecti, Sejanum comprehendi' (eum enim, ne efferarentur animi, morte afficiendum secretioribus imperiis mandaverat): 'se Romam modo venturum: alterum ex consulibus[3] mittendum, qui senem Principem, auxilii inopem, in conspectum eorum cum militari præsidio perduceret.' Sejanus, statim solus, et in subita vastitate trepidus, pallescere; prætoribus ac tribunis plebis cinctus, exhorrescere; ad vocem consulis inclamantis, 'Ades huc, Sejane,' non fastu, sed parendi desuetudine, et captus animi, auribus non competere. Consule iterum et tertium, protenta manu, inclamante, 'Adesdum, Sejane,' cum surgeret exanimus, Laco astitit, vimque paravit. Versa fortuna, confestim senatorem confusis clamoribus et maledictis undique impetitur.

38. Memmius Regulus, studiorum tamen et deliberationum incerta veritus,[4] neque omnium sententiam rogare, neque capitis inquirere; sed senatore uno 'vinciendum reum' illi assentiente, jubet 'vincla injici.' Ipso duce, stipantibus magistratibus, in carcerem trahitur. Disrupto Sejaniano jugo, effusa civitas omnia principatus facinora

1 *Tum flamma*] Senec. Natural. Quæst. I. 1. 'Nos quoque vidimus non semel flammam ingentis pilæ specie, quæ tamen in ipso cursu suo dissipata est. Vidimus circa Divi Augusti excessum simile prodigium: vidimus cum de Sejano actum est; nec Germanici mors sine denuntiatione tali fuit.'

2 *Apertis Cæsaris literis*] Hæc omnia Dio, LVIII. p. 627. Juvenal, x. 71. 'Verbosa et grandis epistola venit A Capreis.' Epistolam hanc, 'pudendam miserandamque orationem' appellat Suet. in Tib. LXV. Tiberio injurius.

3 *Alterum ex consulibus*] Suet. loc. cit.

4 *Incerta veritus*] Dio, LVIII. p. 627. hæc particulatim memorat.

in Sejanum congerere, Principem laudare; plebs tanto insolentior, quanto reus excelsior, ipsaque miserior, lætari, insultare, exprobrare crimina, spes irridere, et, ut ad infamiam pateat, velatam faciem retegere: discerpere imagines, statuas devellere, raptare,[1] confringere, et, quasi in Sejanum sævirent, furere. Ipse, in laceris præteritæ fortunæ reliquiis imminentium sibi testis, clauditur.

39. Nec mora. Patres ad ædem Concordiæ[2] coacti, cum nihil turbaret populus, neque Prætoriani apparerent, 'ut properata Sejani morte Principi gratificarentur' censuere. Confestim misso mortis exactore, supplicio affectus est; et in Gemonias projectus, Deos, ob fortunata scelera diu invisos, absolvit, ruina quam fortuna insignitior. Post fata etiam sævierc patres: et ad abolendam exosi hominis memoriam, factum senatusconsultum 'quo Sejanus nemini lugeretur:[3] ejus nomen fastis et monumentis eximeretur:[4] libertatis effigies[5] poneretur in foro.' Quæ

1 *Statuas devellere, raptare*] Dio, LVIII. p. 628. Elegantius Juvenalis, x. 58. 'Descendunt statuæ, restemque sequuntur. Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis Cædit, et immeritis franguntur crura caballis. Jam strident ignes, jam follibus, atque caminis Ardet adoratum populo caput, et crepat ingens Sejanus: deinde ex facie toto orbe secunda Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ. Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum, Cretatumque bovem: Sejanus ducitur unco Spectandus: gaudent omnes. Quæ labra; quis illi Vultus erat? nunquam, si quid mihi credis, amavi Hunc hominem.'

2 *Patres ad ædem Concordiæ*] Dio, LVIII. p. 628.

SALVTI. PERPETVAE. AVGVSTAE
LIBERTATIQVE. PVBLICAE
POPVLI. ROMANI

3 *Sejanus nemini lugeretur*] Dio, LVIII. p. 629. Postea id ultro permisit Princeps, tum clemens, quia inutilis sævitia: forte etiam, ut novas exitiorum causas haberet. Vide Dionem, LVIII. p. 631.

4 *Fastis et monumentis eximeretur*] Inde in fastis consularibus unus Tiberius hujus anni consul appellatur. TIBERIO CAESARE V. SOLO. Vel in ipsis nummis erasum est Sejani nomen. Vide Cl. Florez. Medallas d' España, p. 183. Cumque homines amoris et odii sint immodici, ne nominabatur quidem Sejanus, sed hostis tantum dicebatur, ut in vetere marmore, quod extat Interamnæ, nunc *Terni*, Gruter. p. 113. n. 2.

GENIO. MVNICIPI. ANNO. POST
INTERAMNAM. CONDITAM
DCCIIII AD. CN. DOMITIVM
AHENOBARBVM——COS

PROVIDENTIAE. TI. CAESARIS. AVGVSTI. NATI. AD. AETERNITATEM
ROMANI. NOMINIS. SVBLATO. HOSTE. PERNICIOSISSIMO. P. R.
FAVSTVS. TITIVS. LIBERALIS. VI. VIR. AVG. ITER.
P. S. F. C.

etiam nova,[1] 'diem festum, per cunctos magistratus et sacerdotes celebrandum; ac per singulos annos, necis die, ludos et venationes, quas quatuor collegia sacerdotum et sodales Augustales ederent,' decrevere: demum ut respublica ausis impudentibus haud ultra pateret, 'ne quis in posterum ad nimios honores eveheretur; neu per quenquam alium, quam per Imperatorem, juraretur,' sanxere: olim adulationis, nunc opprobrii immodici.[2]

40. Interim diversi Urbis sensus;[3] læti, quicumque a Sejano, vel injuria lacessiti, vel in beneficiis omissi, vel fortunæ insolentia offensi: tristes vero ac trepidi, scelerum socii, consanguinei, affines, amici. In hac etiam rerum

Id est, 'pecunia sua faciendum curavit.' Punito Sejano, amphitheatrum Interamnense saluti perpetuæ Augustæ, libertati publicæ et providentiæ Tiberii dedicatum et consecratum fuisse existimat Angeloni, *Historia di Terni*, p. 2.

5 *Libertatis effigies*] Dio, LVIII. p. 629.

1 *Quæ etiam nova*] Dio ibid. Nova quidem erant hæc honorum insignia, quod non a solis sacerdotibus, ut Annal. III. 64. sed a cunctis etiam magistratibus celebraretur festus ille dies; quod ludos et venationes, necis die, sacerdotum collegia et sodales Augustales ederent.

2 *Opprobrii immodici*] Quæ lues scriptores quoque pervasit, ac maxime Valerium Maximum, IX. 11. n. 4. 'Sed quid ego ista consector, aut quid iis immoror, cum unius parricidii cogitatione cuncta scelera superata cernam! Omni igitur impetu mentis, omnibus indignationis viribus, ad id lacerandum pio magis quam valido affectu feror. Quis enim amicitiæ fide extincta genus humanum cruentis in tenebris sepelire conatum, profundo debitæ execrationis satis efficacibus verbis adegerit? Tu videlicet efferatæ barbariæ immanitate truculentior habenas Romani imperii, quas princeps, parensque noster salutari dextra continet, capere potuisti? Aut te compote furoris, in suo statu mundus mansisset? Urbem a Gallis captam, et trecentorum inclytæ gentis virorum strage fœdatam, Alliensem diem, et oppressos in Hispania Scipiones, Thrasymenum lacum, et Cannas, bellorumque civilium domestico sanguine madentem Æmathiam amentibus propositis furoris tui repræsentare, et vincere voluisti. Sed vigilarunt oculi Deorum: sidera simul vigorem suum obtinuerunt: aræ, pulvinaria, templa præsenti numine vallata sunt: nihilque quod pro capite Augusti, ac patria excubare debuit, torporem sibi permisit. Et inprimis auctor ac tutela nostræ incolumitatis, ne excellentissima merita sua totius orbis ruina collaberentur, divino consilio providit. Itaque stat pax, valent leges, sincerus privati ac publici officii tenor servatur. Qui autem hæc violatis amicitiæ fœderibus tentavit subvertere, omni cum stirpe sua populi Romani viribus obtritus, etiam apud inferos, si tamen illuc receptus est, quæ meretur, supplicia pendit.' Vere Juvenalis, X. 73. 'Sed quid Turma Remi? Sequitur fortunam, ut semper, et odit Damnatos.'

3 *Diversi Urbis sensus*] Hæc et cetera Dio, LVIII. p. 628.

perturbatione, licet Urbis custodia magistratibus omnibus a Tiberio fuisset demandata, tumultuantur prætoriani, indignati sibi fide et observantia in Principem Vigiles fuisse antehabitos; incendia, direptiones miscent, dum populus in præcipuos Sejanianæ sævitiæ satellites irrumpit, et plurimorum morte vetera damna ulciscitur.

41. Pacata demum Urbe, de Principis honoribus,[1] Macronisque et Laconis præmiis relatum: decretumque 'ut Cæsar pater patriæ appellaretur; dies ejus natalis decem equorum certaminibus et senatus epulo celebraretur: Consul Memmius Regulus cum senatoribus, equitibus, et nonnullis e plebe legati Capreas mitterentur, et Principi providentiam salutemque publicam gratularentur.' Magna vero *pecuniarum* vi munerantur Sertorius Macro et Græcinus Laco: huic quoque quæstoria, illi prætoria insignia decreta: permissumque Macroni, 'ut spectaculis inter senatores assisteret, ludisque votivis prætexta uteretur.' Quos honores uterque recentis exempli pavore potius quam modestia repudiavere.

42. At Tiberius, signis supra memoratis, mox nuntiis, eventum edoctus, haud magis securitate sua quam dissimulatione lætus, artes obfirmat: nunquam obscurior et secreti amantior, in villa Jovis[2] per novem proximos menses[3] abditus, milites devinxit, dato Syriacis legionibus,[4] quod nullam Sejani imaginem inter signa coluissent, donativo: legatos vero senatus[5] ne excepit quidem. Memmium Regulum, consulem, quod se, cum Princeps Romam

1 *De Principis honoribus*] Dio, LVIII. p. 629. Principis honores, Macronis et Laconis *præmia* recenset.

2 *In villa Jovis*] De duodecim villarum nominibus et molibus dictum *Annal.* IV. 67.

3 *Per novem proximos menses*] Ita Suet. in Tiber. LXV. *Cl.* Crévier, *Histoire des Empereurs*, Vol. I. p. 563. existimat Tiberium per tot menses non delituisse, cum Tacitus Annal. VI. 1. cœpta sequentis anni narratione, Principem Campaniam prælegentem exhibeat. Haud attendit vir Clar. Tacitum a temporum ratione nonnunquam discedere, ut narratio magis niteat.

4 *Dato Syriacis legionibus*] Sueton. in Tiber. XLVIII.

5 *Legatos vero senatus*] Dio, LVIII. p. 630.

peteret, itineris comitem offerret,[1] repulit: honores quoque sibi delatos aspernatus, 'ne de iis posthac referretur' vetuit, metu incertum an ut ad Sejanianorum pœnas patres acrius incenderet.

43. Certe ut primum legati rediere, Cæsaris silentio, quam ullis unquam imperiis patres incitati, Sejani propinquos, affines, intimos, corripiunt. In filium natu maximum, et Junium Blæsum,[2] avunculum, fortunæ propiores, quam ut sceleris puros, advertitur. Apicatam, mariti morte[3] haud tristem, nati, in Gemonias abjecti,[4] visus penetravit: ad scelerem Sejani et Liviæ confessionem evicta, libellum de Drusi morte[5] ejusque interfectoribus componit, ad Cæsarem mittit: mox, ne filiis superstes vivat, se ipsa interfecit.

44. Cæsarem, in silentia obstinatum, vicit accusationis gravitas: ad Senatum scribit, 'manifestos mortis Drusi reos: æque atrocia adversum se attentata:' jubet, Eudemum ac Lygdum[6] tormentis subjici: utriusque conjurationis compertos opprimi.' Tum publica in Sejanum odia recrudescere: invalescere Drusi desiderium, Tiberii amor: confessione Eudemi ac Lygdi, qui Sejani ac Liviæ facinora, et ab iis propinata Druso venena patefecere, aucta miseratio. Ipseque Tiberius, virtutum, ubi artibus suis utiles, haud rudis, clementiæ laudem obtinet, vita Liviæ,[7]

1 *Itineris comitem offerret*] Dio, ibid. 'Crediderat nimirum epistolæ subsidio sibi alterum ex consulibus poscentis, ut tutus a Capreis Urbem peteret,' Tacit. Annal. vi. 2. Vide et Suet. in Tiber. lxv.

2 *In filium natu maximum, et Junium Blæsum*] Id ipse Tacitus innuit Annal. v. 7. et 9.

3 *Apicatam, mariti morte*] Apicatam, Sejani uxorem, sed domo pulsam, ut dictum Annal. iv. 3.

4 *Nati, in Gemonias abjecti*] Dio, lviii. p. 628. ait Apicatam ad eam confessionem fuisse evictam, cum natorum suorum corpora in scalas abjecta videret, μαθοῦσα δὲ ὅτι τὰ τέκνα αὐτῆς τέθνηκε, καὶ σφῶν τὰ σώματα ἐν τοῖς ἀναβασμοῖς ἰδοῦσα. Ego vero narrationis Cornelianæ Annal. v. 9. vestigia secutus, id post mortem filii natu maximi evenisse existimo.

5 *Libellum de Drusi morte*] Hæc omnia Dio, loc. cit. Drusus, Tiberii filius. De ejus morte dictum Annal. iv. 8.

6 *Eudemum ac Lygdum*] Tacit. Annal. iv. 11.

7 *Vita Liviæ*] Dio, loc. cit. De Livia et Antonia vide stem. Cæs. n. 71. et 42.

infandi sceleris convictæ, ob Antoniæ merita et virtutem permissa. Indulgentia Cæsaris abuti haud valuit; ab optima parente, sed maximas pietatis partes in criminum vindicta positas rata, fame enecta. Illam a Tiberio interemtam quidam prodidere,[1] nullum ab immiti Principe clementiæ signum unquam editum opinati.

45. Demum in Sejani asseclas tota incubuit legum severitas. Correpti quotquot ejus favore[2] et societate celebrati, nisi ipsi delatorum nomine et accusationum atrocitate impunitatem mercarentur; in jus etiam retracti, olim accusati, et ejus gratia absoluti: senatores, equites, virile ac muliebre secus, in carcerem contrusi, aut apud magistratus vadesve asservati: plurimi, ne publicarentur bona, et infami morte dehonestarentur, sibi manus intulere: ceteri damnati, et supplicio affecti: nonnulli defensionem suscipere ausi.

46. Quatuor et quadraginta orationes super ea re habitæ, ex quis ob metum et scelerum memoriam paucæ viriles, plures assuetudine servitii, imbelles. Orationem melius flexit Sejani amicorum integerrimus:[3] crimina, quæ nihil ad se pertinerent, siluit: sacram intactamque amicitiam purgavit. 'Nunquam,' inquit, 'Sejani amorem, mihi pudorem, aut Sejano invidiam allaturum censui: ejus amicitia ad reipublicæ utilitatem sum usus. Versa est fortuna; et ille quidem, qui collegam et generum asciverat, sibi ignoscit: ceteri, quem per dedecora fovere, cum scelere insectantur. Cæsarem absolvit, experta per sexdecim annos, Sejani fides. Hos arguit probrosa assentatio. *Me* sacra amicitiæ jura tueantur. Miserius sit ob amicitiam accusari, an amicum accusare, haud discreverim: prius expertus, posterius horresco: nec me degenerem reperient vitæ extrema. *Vixi* insons, haud moriar ignobilis. Non crudelitatem,[4] non clementiam cujusquam experiar,

1 *Quidam prodidere*] Ipse Dio, ibid.

2 *Correpti quotquot ejus favore*] Dio, LVIII. p. 630.

3 *Integerrimus*] Periit nomen viri integerrimi.

4 *Non crudelitatem*] Cetera notis illustrata vide Annal. v. 6. et seq.

sed liber et mihi ipsi probatus anteibo periculum. Vos obtestor, ne memoriam nostri per mœrorem quam læti retineatis, adjiciendo me quoque iis, qui fine egregio publica mala effugerunt.'

47. Tunc singulos, ut cuique assistere, alloqui animus erat, retinens aut dimittens, partem diei absumsit; multoque adhuc cœtu et cunctis intrepidum vultum ejus spectantibus, cum superesse tempus novissimis crederent, gladio, quem sinu abdiderat, incubuit. Neque Cæsar ullis criminibus aut probris defunctum insectatus est, cum in Blæsum multa fœdaque incusavisset.

48. Relatum inde de P. Vitellio, et Pomponio Secundo: illum indices arguebant, 'claustra ærarii, cui præfectus erat, et militarem pecuniam rebus novis obtulisse:' huic a Considio, prætura functo, abjectabatur 'Ælii Galli amicitia, qui, punito Sejano, in hortos Pomponii, quasi fidissimum ad subsidium, perfugisset:' neque aliud periclitantibus auxilii, quam in fratrum constantia fuit, qui vades extitere: mox, crebris prolationibus, spem ac metum juxta gravatus Vitellius, petito per speciem studiorum scalpro, levem ictum venis intulit, vitamque ægritudine animi finivit. At Pomponius, multa morum elegantia, et ingenio illustri, dum adversam fortunam æquus tolerat, Tiberio superstes fuit.

49. Placitum posthac, 'ut in reliquos Sejani liberos adverteretur;' vanescente quanquam plebis ira, ac plerisque per priora supplicia lenitis. Igitur portantur in carcerem, filius imminentium intelligens, puella adeo nescia, ut crebro interrogaret, 'quod ob delictum, et quo traheretur? neque facturam ultra,' et, 'posse se puerili verbere moneri.' Tradunt temporis ejus auctores, 'quia triumvirali supplicio affici virginem inauditum habebatur, a carnifice, laqueum juxta, compressam:' exin oblisis faucibus, id ætatis corpora in Gemonias abjecta.

50. Per idem tempus Asia atque Achaia exterritæ sunt, acri magis quam diuturno rumore, 'Drusum, Germanici filium, apud Cycladas insulas, mox in continenti visum:' et

erat juvenis haud dispari ætate, quibusdam Cæsaris libertis, velut agnitus, per dolumque comitantibus. Alliciebantur ignari fama nominis, et promtis Græcorum animis ad nova et mira: quippe 'elapsum custodiam, pergere ad paternos exercitus, Ægyptum aut Syriam invasurum' fingebant simul, credebantque. Jam juventutis concursu, jam publicis studiis frequentabatur, lætus præsentibus et inanium spe; cum auditum id Poppæo Sabino. Is Macedoniæ tum intentus, Achaiam quoque curabat. Igitur, quo vera seu falsa anteiret, Toronæum Thermæumque sinum præfestinans, mox Eubœam, Ægæi maris insulam, et Piræum Atticæ oræ, dein Corinthiense littus, angustiasque Isthmi evadit: marique alio Nicopolim, Romanam coloniam, ingressus, ibi demum cognoscit, solertius interrogatum, 'quisnam foret,' dixisse, 'M. Silano genitum,' et multis sectatorum dilapsis, ascendisse navem, tanquam Italiam peteret: scripsitque hæc Tiberio: neque nos originem finemve ejus rei ultra comperimus.

51. Exitu anni, diu aucta discordia consulum erupit: nam Trio, facilis capessendis inimicitiis, et foro exercitus, 'ut segnem Regulum ad opprimendos Sejani ministros' oblique perstrinxerat: ille, nisi lacesseretur, modestiæ retinens, non modo retudit collegam, sed 'ut noxium conjurationis' ad disquisitionem trahebat. Multisque patrum orantibus, ponerent odia in perniciem itura, mansere infensi ac minitantes, donec magistratu abirent.

SUPPLEMENTUM

LIBRI SEPTIMI

ANNALIUM C. C. TACITI.

AUCTORE GABRIELE BROTIER.

BREVIARIUM LIBRI.

1. Nuntiata Romæ Tiberii morte, timor, mox furor. 2. Caius Macronis artibus Princeps appellatur. 3. Funus Tiberii. 5. Caii in matrem fratremque pietas. 6. Honores in Antoniam, Claudium, Caiique sorores collati. 7. De his imperii auspiciis publica lætitia. 8. Inde fracta principatus vis et affectata popularitas. 10. Tiberii legata Caii liberalitate aucta. 11. In reges exteros, Agrippam et Antiochum, beneficentia. 12. Artabani obsequia. 13. Felicitatem publicam verbis factisque intendit Caius. 15. Templum Augusti dedicatum: datum congiarium. 16. Spectacula. 17. Caio, ut Urbis restitutori, honores decreti. Hos inter ad ingenita vitia Princeps delabitur. 19. Ejus morbus; Urbisque dolor. 20. Caius convalescit, sed mutato in pejus animo. 21. Tiberium, Tiberii nepotem, interficit. 22. In alios quoque crudelis. 23. Uxorem ducit Liviam Orestillam, quam mox repudiat. 24. Labantem famam propagata Saturnalium hilaritate sustinet. 25. Portenta tamen vulgari cœpta. 26. Eorum invidia Principis popularitate et liberalitate depellitur.

27. At malesana ejus mens nefariis Heliconis et Apellis artibus pessumdatur. 28. Effræna spectaculorum libido. 29. Favet senatus; suaque inter funera plaudit populus. 30. Macronis ejusque domus ruina. 31. Ut plures perirent, excogitata nova crimina. 32. Mors Drusillæ. Immodesta Principis tristitia. 33. Cœlestes Drusillæ honores. 34. Livii Geminii adulatio. Publicum in exitium vertit Drusillæ cultus. 35. Lollia Paullina Principi nupta, miro luxus apparatu. 36. Data regna. 37. Agrippa, Alexandriam profectus, ibi injuriis appetitur, Flacci Avillii temeritate, aut incuria. 39. Pœna Avillii. 41. Publica opera laudabiliter suscepta, leviter omissa. 42. Mortes laudesque Antoniæ et Julii Græcini. Passienus hæredis fraude enectus.

Hæc ferme biennio gesta

A. U.	J. C.		
DCCXC.	37.	Coss.	Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigrino.
DCCXCI.	38.	Coss.	M. Aquillio Juliano, P. Nonio Asprenate.

Audita Romæ Tiberii morte, trepidatum[1] ne nova abstrusiorque dissimulatio omnium ruinam pararet. Postero die, certioribus nuntiis, quo tardiora, eo acriora erupere odia; pudebatque, vel post fata, tristissimum Principem timuisse. Plebs, ut metus, sic lætitiæ et spei immodica, gaudio furere: pars 'Tiberium in Tiberim'[2] clamitare: pars

1 *Trepidatum*] Joseph. Antiq. Judaic. XVIII. 6. n. 10. Οὐ μὴν πιστεύειν γε θάρσος ἦν αὐτοῖς, οὐ τῷ μὴ βούλεσθαι, πρὸ πολλῶν γὰρ ἂν ἐτίμησαν χρημάτων τὸ ἐπαληθεῦσαν τῶν λόγων, δέει δὲ μὴ ψευδοῦς τῆς ἀγγελίας γενομένης προεξαναστάντες ἐπίδηλοι ὦσι τοῦ αὐτῶν χάρματος, εἶτ' ἀπόλοιντο διαβολῆς αὐτῶν γενομένης: Mortuum esse Tiberium Romani 'vix audebant credere, non quod id magnopere non vellent, nam verum esse quod nuntiaretur, vel ingenti pecunia redemtum irent; sed quod vererentur ne falso rumore ante tempus excitati gaudium suum proderent, deinde accusatione in eos instituta male perirent.'

2 *Tiberium in Tiberim*] Suet. in Tiber. LXXV. 'Morte ejus (Tiberii) ita lætatus est populus, ut ad primum nuntium discurrentes, pars Tiberium in Tiberim

'Terram matrem, Deosque Manes orare, ne mortuo sedem ullam, nisi inter impios, darent:' alii 'uncum et Gemonias' cadaveri minitari. Omnes exacerbavit recens atrocitas: sævitum enim in damnatos, qui in diem decimum,[1] quo de Tiberio erat nuntiatum, dilati, hominum fidem, absente novo Principe, implorabant. Irritis precibus, a custodibus, ne quid adversus constitutum fieret, sunt strangulati, et corpora in Gemonias[2] abjecta, pristina crudelitate superstite.

2. Animos molliere literæ Caii Cæsaris ad senatum cum testamento Tiberii a Macrone allatæ.[3] 'Cœlestes religiones avo decerni' mandabat, 'se modo Romam venturum, et cum patribus de republica consulturum. Juvenem, Germanici filium, benevolentia foverent, consiliis regerent.' Testamentum vero, quo Tiberius biennio ante duos nepotes[4] æquis partibus hæredes scripserat, Claudium in spem tertiam,[5] legato etiam circa vicies sestertio,[6] assumserat, rescindi, et Caium Principem appellari curabat Macro. De

clamitarent: pars Terram matrem, Deosque Manes orarent, ne mortuo sedem ullam nisi inter impios darent: alii uncum et Gemonias cadaveri minarentur, exacerbati super memoriam pristinæ crudelitatis, etiam recenti atrocitate. Nam cum senatusconsulto cautum esset, ut pœna damnatorum in decimum semper diem differretur, forte accidit, ut quorundam supplicii dies is esset, quo nuntiatum de Tiberio erat. Hos implorantes hominum fidem, quia absente adhuc Caio, nemo extabat qui adiri, interpellarique posset, custodes, ne quid adversus constitutum facerent, strangulaverunt, abjeceruntque in Gemonias. Crevit igitur invidia: quasi, etiam post mortem tyranni sævitia permanente.'

1 *In diem decimum*] De senatusconsulto, quo in diem decimum vitæ spatium damnatis prorogatum est, dictum supra Annal. III. 51.

2 *In Gemonias*] In scalas Gemonias, de quibus dictum Hist. III. 74.

3 *A Macrone allatæ*] Vide Josephum, Antiq. Judaic. loc. cit. Dionem, LIX. p. 640. Suetonium in Tiber. LXXVI. 'Testamentum duplex ante biennium fecerat Tiberius: alterum sua, alterum liberti manu, sed eodem exemplo: obsignaveratque etiam humillimorum signis. Eo testamento hæredes æquis partibus reliquit, Caium ex Germanico, et Tiberium ex Druso nepotes: substituitque invicem.'

4 *Duos nepotes*] Caium et Tiberium, ut modo dictum est. Vide stem. Cæs. n. 72. et 86.

5 *Claudium in spem tertiam*] Sueton. in Claud. VI. Tiberius moriens, et in tertiis hæredibus eum (Claudium), ex parte tertia nuncupatum, legato etiam circa HS. vicies prosecutus, commendavit insuper exercitibus, senatui, populoque Romano inter ceteras necessitudines nominatim.'

6 *Vicies sestertio*] Angl. 16,666*l*. 13*s*, 4*d*.

testamento et Caio Principe statim assensere patres,[1] principatus arbitrio superbi, veteremque ignominiam ulturi pariter et novum favorem eodem dedecore emercaturi. De mortui cœlestibus honoribus post adventum Principis consultandum censuere.[2]

3. Interim Miseno[3] Romam Tiberii corpus per milites deportabatur.[4] Effusus oppidorum populus densissimo ac lætissimo agmine undique accurrit, ad novæ dominationis obsequia, quam ad funerum solennia, paratior. Non lacrymis, non ploratibus, sed confusis in invisum Principem dicteriis, festis vocibus et laudibus Caii Cæsaris,[5] lugentis habitu funus prosequentis, omnia personant. Ipse incedens inter altaria et victimas, tædasque ardentes et feralis pompæ ministeria, sui fama fruitur, et in avum convicia majori mœstitiæ ac pietatis specie invitat.

4. Urbem noctu ingressus,[6] mane Tiberium, antequam publico funere cremaretur,[7] plurimis lacrymis, modicis laudibus celebravit, magna de Augusto, maxima de Germanico, nonnulla de se prolocutus. Mox cum patribus curiam subiit;[8] paucaque et modesta præfatus, imbellem cohæ-

1 *Assensere patres*] Tiberiumque Cæsarem, juniorem quam ut in curiam venire posset, imperio imparem pronuntiarunt. Ita elusa extrema Tiberii voluntas. Vereque Dio, LIX. p. 640. *Οὐδὲν γὰρ οὔτε πρὸς τὴν ἀγνωμοσύνην, οὔτε πρὸς τὴν δύναμιν τῶν διαδεχομένων τινὰ, ἐπίσκηψίς τις ἰσχύει*: 'Nullum est consilium, quod adversus ingratum animum, vimque successorum, valeat.'

2 *Consultandum censuere*] Dio, LIX. p. 642.

3 *Miseno*] Tiberium *Miseni* esse mortuum vidimus Annal. VI. 50.

4 *Deportabatur*] Sueton. in *Tiber.* LXXV. '*Corpus* ut moveri a Miseno cœpit, conclamantibus plerisque, Atellam potius deferendum, et in amphitheatro semiustulandum, Romam per milites deportatum est, crematumque publico funere.' Notæ omnibus fabulæ Atellanæ.

5 *Laudibus Caii Cæsaris*] Sueton. in Caio, XIII. 'Ut a Miseno movit Caius, quamvis lugentis habitu, et funus Tiberii prosequens: tamen inter altaria et victimas, ardentesque tædas densissimo et lætissimo obviorum agmine incessit super fausta nomina, sidus, et pullum, et puppum, et alumnum appellantium.'

6 *Noctu ingressus*] Hæc, ceteraque, quæ sequuntur Dio, LIX. p. 642. et 643.

7 *Cremaretur*] Romæ in S. Andrea prope SS. Apostolos, ex vetere Inscriptione, apud Gruterum, p. 236. n. 1.

OSSA
TI. CAESARIS. DIVI. AVG. F
AVG. PONT. MAX
TR. POT. XXXIIX
IMP. VIII. COS. V

8 *Curiam subiit*] Dio, LIX. p. 642. et 643. Sueton. in Caio, XIV. 'Ingresso Urbem, statim consensu senatus, et irrumpentis in curiam turbæ, irrita Tiberii

redis ætatem[1] querens, seque illi patris loco futurum pollicitus, irrumpente turba, irritaque Tiberii voluntate, Princeps omnium vocibus salutatur. Varia honorum nomina, Augusto probata, a Tiberio spreta, in Caium, gliscente semper adulatione, aggerantur. Modestiæ retinens incertum, an simulator, omnia remisit:[2] studia hominum, ob memoriam patris, miserationemque prope afflictæ domus, jam accensa, omni genere popularitatis incendere enisus.[3]

5. Ut magis exardescerent, confestim Pandatariam et Pontias,[4] ad transferendos matris fratrisque cineres,[5] festinavit, tempestate turbida, quo magis pietas emineret: adiitque venerabundus, ac per semet in urnas condidit. Nec

voluntate, qui testamento alterum nepotem suum prætextatum adhuc cohæredem ei dederat, jus arbitriumque omnium rerum illi permissum est.'

1 *Imbellem cohæredis ætatem*] Philo, Legat. ad Caium, p. 995. Συναγαγὼν τοὺς ἐν τέλει, Βούλομαι μὲν, ἔφη, τὸν γένει μὲν ἀνεψιὸν, εὐνοίᾳ δὲ ἀδελφὸν, ἑπόμενος καὶ τῇ τοῦ τετελευτηκότος Τιβερίου γνώμῃ, κοινοπραγεῖν τῆς αὐτοκρατοῦς ἐξουσίας. Ὁρᾶτε δὲ καὶ αὐτοὶ νήπιον ἔτι ὄντα κομιδῇ, καὶ χρήζοντα ἐπιτρόπων, καὶ διδασκάλων, καὶ παιδαγωγῶν· ἐπεὶ τί ἂν ἦν μεῖζον ἀγαθὸν, ἢ τοσαῦτα βάρη τῆς ἡγεμονίας, μὴ μίαν ψυχὴν ἢ σῶμα ἓν ἐπιχθίσθαι, ἀλλ' ἔχειν τὸν δυνησόμενον ἐπελαφρίζειν καὶ συνεπικουφίζειν; Ἐγὼ δὲ, ἔφη, παιδαγωγοὺς καὶ διδασκάλους καὶ ἐπιτρόπους ὑπερβαλὼν, ἐμαυτὸν ἤδη γράφω πατέρα, υἱὸν δὲ ἐκεῖνον: 'Convocatis patribus, Vellem, inquit, hunc cognatione patruelem, benevolentia fratrem, juxta extremam Tiberii voluntatem, in imperii societatem assumere. Sed ipsi videtis eum admodum puerum opus habere curatoribus, pædagogis, præceptoribus: alioquin quid mihi contingere potest optatius, quam tanto imperii pondere non onerari unum corpus unamque animam; et habere me a quo pro parte sua subinde adjutante sublever? Equidem, inquit, plus quam pædagogum, vel curatorem, vel præceptorem ei me fore jam nunc profiteor, et me patrem appellari, illum filium jubeo.' In his quidem Caii sensus, sed loquacioris Judæi verba facile agnoscas.

2 *Omnia remisit*] Dio, LIX. p. 641. Μήτε τῶν ὀνομάτων τῶν ἀρχικῶν προσθέσθαι τι: 'Titulos Principibus tribui solitos respuit.'

3 *Incendere enisus*] Sueton. in Caio, XIII. et XV.

4 *Confestim Pandatariam et Pontias*] Hæc et sequentia totidem verbis habet Suetonius in Caio, XV. Agrippinam, Caii matrem, in insulam Pandatariam, nunc *isle St. Mary*, Neronem, ejus fratrem in Pontiam, nunc *Ponza*, fuisse projectos diximus in Supplemento Annal. V. 12.

5 *Matris fratrisque cineres*] Extat adhuc Romæ in area Capitolina, sub porticu domus Conservatorum, urna marmorea, inscripta:

OSSA
AGRIPPINAE. F. M. AGRIPPAE
DIVI. AUG. NEPTIS. VXORIS
GERMANICI. CAESARIS
MATRIS. C. CAESARIS. AVG.
GERMANICI. PRINCIPIS

Ibidem in alia urna inscriptum:

OSSA
NERONIS. CAESARIS

minore scena Ostiam, præfixo in biremis puppe vexillo,[1] et inde Romam Tiberi subvectos, per splendidissimum quemque equestris ordinis, medio ac frequenti die, duobus ferculis Mausoleo intulit:[2] inferiasque[3] his annua religione publice instituit: matri[4] Circenses, carpentumque,[5] quo in pompa traduceretur, addidit. In memoriam quoque patris Septembrem mensem *Germanicum* appellavit. Cœlestium religionum, quas avo petierat, plane incuriosus.[6]

6. Eodem in domus suæ superstites studio, Antoniæ, aviæ,[7] quicquid unquam Livia Augusta honorum cepisset, uno senatusconsulto congessit:[8] patruum Claudium, equi-

GERMANICI. CAESARIS. F
DIVI. AVG. PRON. FLAMIN
AVGVSTALIS. QVAESTORIS

Vide Gruterum, p. 227. n. 3. et 4.

1 *In biremis puppe vexillo*] Velum purpureum *imperatoriæ navis insigne* memorat Plinius, XIX. 1. Fixum vero vexillum in puppe, non in prora, quod hæc biremis non ad bellum, sed ad transvectionem erat adornata. Vide Schefferum, de Militia naval. III. 1. p. 175.

2 *Mausoleo intulit*] Augusti tumulo, in quo conditos Germanici cineres vidimus Annal. III. 4. Caium hæc fecisse, 'prætexta amictum, cinctum lictoribus, tanquam in triumpho,' tradit Dio, LIX. p. 642. Ἐς τὸ τοῦ Αὐγούστου μνῆμα κατέθετο, τὸ ἱμάτιον τὸ περιπόρφυρον ἐνδὺς, καὶ ῥαβδούχοις τισὶν, ὥσπερ ἐν ἐπινικίοις, κοσμηθείς. In divinis triumphalibusque cærimoniis Romani ferculis utebantur, quibus Deorum imagines, signa, victarum gentium spolia aliaque victoriæ insignia vehebantur. Vide Suetonium in Jul. XXXVII. et LXXVI.

3 *Inferiasque*] De hoc funebri ritu dicetur infra, in Suppl. Annal. IX. 18.

4 *Matri*] Cum Caius Agrippinam Germanicumque honoribus ita prosequeretur, tunc sane a Mytilenæis cusus est æreus nummus, quem laudat Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Peuples et de Villes*, vol. III. p. 239. ΘΕΟΝ ΓΕΡΜΑΝ—ΜΥΤΙ. id est, 'Divum Germanicum' colunt 'Mytilenæi.' Caput Germanici. In aversa parte, ΘΕΑΝ. ΑΙΟΛΙΝ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ. ΜΥΤΙ. Caput Agrippinæ. ΑΙΟΛΙΝ autem erratum est scalptoris pro ΙΟΥΛΙΑΝ. Sensus autem est, 'Divam Juliam Agrippinam' colunt 'Mytilenæi.'

5 *Carpentumque*] Hoc carpentum, duabus mulis tractum, nummi plurimi exhibent. Hos inter præstat nummus æreus e Cimelio Regio maximi moduli a Morellio aliisque laudatus: ex una parte caput Agrippinæ. AGRIPPINA. M. F. MAT. C. CAESARIS AVGVSTI. id est, 'Agrippina, Marci filia, mater Caii Cæsaris Augusti.' Ex altera parte, Carpentum. S. P. Q. R. MEMORIAE AGRIPPINAE. id est, 'senatus populusque Romanus memoriæ Agrippinæ.'

6 *Plane incuriosus*] Dio, LIX. p. 642.

7 *Antoniæ, aviæ*] Vide stem. Cæs. n. 42.

8 *Uno senatusconsulto congessit*] Sueton. in Caio, XV. Antoniam, Augustam, sacerdotem Augusti fecit, eique omnes Vestalium honores tribuit, teste Dione, LIX. p. 641. Ταύτην τε γὰρ Αὐγούσταν τε εὐθὺς καὶ ἱέρειαν τοῦ Αὐγούστου ἀποδείξας, πάντα αὐτῇ καθάπαξ,

tem Romanum ad id tempus, collegam sibi in consulatu destinavit: fratrem Tiberium[1] die virilis togæ adoptavit, appellavitque 'principem juventutis.' De sororibus auctor fuit, ut omnibus sacramentis adjiceretur, 'neque me liberosque meos cariores habeo, quam Caium et sorores ejus:' consulum vero relationibus, 'quod bonum felixque sit C. Cæsari sororibusque ejus,'[2] præmitteretur.

7. Hæc imperii primordia, bonum inter ac malum ambigua, et principalibus curis minora, populus, virtutum rudis, admirari, tanquam felicitatis omina extollere, Diis grates agere tam immodice, ut tribus proximis mensibus, ac ne totis quidem, supra centum sexaginta millia[3] victimarum ceciderint. Cæsar, insita levitate, et adulantium lenociniis vanus, insuper opibus a Tiberio acervatis tumens, ad solita juvenum Principum vitia divertere: nova sectari: superioris principatus æqua et iniqua[4] pariter immutare: laudes potius quam dominationem aucupari.

8. Nihil jam pristinæ severitatis reliquum. Damnati relegatique ullo sine discrimine restituuntur.[5] Criminum, quæ ex priore tempore superant, gratiam facit: ne domesticarum quidem injuriarum memor, commentarios ad matris et fratrum[6] causas pertinentes, convectos in forum,

ὅσα ταῖς ἀειπαρθένοις ὑπάρχει, ἔδωκε. Vide jam dicta Annal. I. 8. IV. 16. et dicenda in Suppl. Annal. IX. 19.

1 *Fratrem Tiberium*] De hac adoptione vide Suetonium, ibid. Cur Tiberius frater Caii appelletur, dicemus infra cap. 21.

2 *Sororibusque ejus*] Hæc et priora Sueton. loc. cit.

3 *Centum sexaginta millia*] Sueton. in Caio, XIV. Nec in Urbe tantum, sed in provinciis totoque imperio pariter peracta sacrificia, editaque maxima lætitiæ indicia; quæ fuse narrat Philo, Legat. ad Caium, p. 993. et 994. Inter hæc ferventia studia cusus videtur nummus, qui olim fuit in Museo Collegii Ludovici Magni, ex ære magno. C. CAESAR. AVG. GERMANICVS. PON. M. TR. POT. capite Caii laureato. Ex adversa parte in corona quercea, SPQR P. P. OB CIVES SERVATOS. id est, 'Senatus Populusque Romanus Patri Patriæ.'

4 *Æqua et iniqua*] Hæc et sequentia pluribus tradit Dio, LIX. p. 641. et 644.

5 *Restituuntur*] Tuncque restitutus videtur Pomponius Secundus, de quo dictum est Annal. v. 8. Dioni tamen LIX. p. 644. 'Quintus Pomponius et Consularis' appellatur. Suffectus tantum fuit consul, dictus quoque Plinio, VII. 19. 'Pomponius Consularis poëta:' De quo adhuc agetur infra Suppl. Annal. VIII. 50.

6 *Matris et fratrum*] Ad Agrippinæ,

obtestatus Deos, 'neque legisse, neque attigisse quicquam,' concremat:[1] Titi Labieni,[2] Cordi Cremutii,[3] Cassii Severi[4] scripta, senatusconsultis abolita, requiri, vulgari, passim lectitari probat, dictitans 'sua interesse, ut facta quæque posteris tradantur.'[5]

9. Auctoritatis æque negligens, voluit ut 'magistratibus libera foret jurisdictio,[6] et sine sui appellatione: populus, more comitiorum revocato,[7] ferret suffragia; rationesque imperii,[8] ab Augusto proponi solitæ, sed a Tiberio inter arcana habitæ, publicarentur.' Adversus ipsa vitia audax, nondum virtutis certus, spintrias,[9] ne profundo mergeret ex-

matris, Neronis et Drusi, fratrum, causas pertinentes. Sueton. in Caio, xv.

1 *Concremat*] *Vide infra cap.* 31.

2 *Titi Labieni*] De quo multa et curiosa scripsit Seneca, Controvers. v. in præfat. Labienus 'affectabat censorium supercilium, cum alius animo esset. Magnus orator, qui per multa impedimenta eluctatus, ad famam ingenii, confitentibus magis hominibus pervenerat, quam volentibus. Summa egestas erat, summa infamia, summum odium. Magna autem debet esse eloquentia, quæ invitis placeat. Cum ingenia favor hominum ostendat, favor alat, quantam vim esse oportet, quæ inter obstantia erumpat? Nemo erat, quin, cum homini omnia objecerat, ingenio multum tribueret. Color orationis antiquæ, vigor novæ. Cultus inter nostrum ac prius sæculum medius, ut illum posset utraque pars sibi vindicare. Libertas tanta, ut libertatis nomen excederet; et, quia passim ordines hominesque laniabat, Rabienus vocaretur. Animus per vitia ingens, et ad similitudinem ingenii sui violentus, et qui Pompeianos spiritus nondum in tanta pace posuisset. In hunc primum excogitata est nova pœna. Effectum est enim per inimicos, ut omnes ejus libri incenderentur. Res nova et insueta, supplicia de studiis sumi—Non tulit hanc Labienus contumeliam, nec superstes esse ingenio suo voluit, sed in monumenta se majorum suorum ferri jussit, atque ita includi: veritus scilicet, ne ignis, qui nomini suo subjectus erat, corpori negaretur: non finivit tantum se ipse, sed etiam sepelivit. Memini aliquando, cum recitaret historiam, magnam partem convolvisse, et dixisse: Hæc, quæ transeo, post mortem meam legentur. Quanta in illis libertas fuit, quam etiam Labienus extimuit?' Hæc forte longiora; quæ tamen legisse neminem pigeat.

3 *Cordi Cremutii*] De Cremutio dictum satis Annal. iv. 34. et 35.

4 *Cassii Severi*] Sordidæ originis et maleficæ vitæ hominis, de quo Annal. i. 72. iv. 21. Seneca quoque, loc. cit. 'Cassii Severi, hominis Labieno junctissimi, belle dicta res ferebatur. Illo tempore quo libri Labieni ex Sc. urebantur: Nunc me, inquit, vivum uri oportet, qui illos edidici.'

5 *Posteris tradantur*] Sueton. in Caio, xvi.

6 *Libera foret jurisdictio*] Sueton. ibid. Dio, lix. p. 646.

7 *Comitiorum revocato*] Tiberius enim comitia ad patres transtulerat, ut vidimus Annal. i. 15.

8 *Rationesque imperii*] De his rationibus dictum Annal. i. 11.

9 *Spintrias*] Monstrosæ illæ libi-

oratus, Urbe submovit. Sæviit quoque in equites Romanos,[1] equumque[2] palam iis ademit, quibus aut probri aliquid, aut ignominiæ inerat: si minore culpa tenerentur, eorum nomina in recitatione[3] omissa.

10. Pœnas, vitiorum dedecore, reorum dignitate, plebi haud illætas, liberalitate adhuc exhilaravit, persolutis Tiberii legatis,[4] licet, irrito ejus testamento, fuissent abrogata. Populo CCCCL.,[5] prætorianis singula nummum millia,[6] Urbanarum cohortium et Vigilum militibus quingenos nummos,[7] legionariis, ceterisque extra Italiam in numeros relatis, aut in minoribus oppidis præsidia agitantibus, trecenos[8] viritim elargitus, addidit ex sua munificentia singulis prætorianis una sestertia,[9] populo sexagenos denarios,[10] quos, quod cum virilem togam sumsisset, promiserat, et Tiberium veritus omiserat, fœnore quindecim denariorum[11] auctos cuique reddidit. Pari fide ac sine calumnia[12] Liviæ Augustæ legata, a Tiberio suppressa, exsolvit: singulari utriusque

dines sub Tiberio Principe invaluerant, teste Suetonio in Tiber. XLIII.

1 *In equites Romanos*] Sueton. in Caio, XVI. 'Equites Romanos severe curioseque, nec sine moderatione recognovit: palam ademto equo, quibus aut probri aliquid aut ignominiæ inesset: eorum, qui minore culpa tenerentur, nominibus modo in recitatione præteritis.'

2 *Equumque*] Equites donabantur equo publico, qui iis adimebatur, si inhoneste viverent. Vide Plutarchum in Paul. Æmil. p. 275. Inde autem in veteribus inscriptionibus sæpe occurrit, EQ. PVB. id est, 'equo publico donatus.'

3 *In recitatione*] Cum recitabantur nomina in recognitione equitum Romanorum. Minor autem fuit ignominia, quam si palam equum eis ademisset.

4 *Tiberii legatis*] De quibus generatim Suetonius in Tiber. LXXVI. Tiberius 'dedit et legata plerisque: inter quos virginibus Vestalibus, sed et militibus universis, plebique Romanæ viritim, atque etiam separatim vicorum magistris.'

5 *Populo CCCCL.*] Dio, LIX. p. 640. Τῷ δήμῳ τάς τε πέντε καὶ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν καὶ χιλίας μυριάδας, 'populo quadringenties quinquagies sestertium,' Angl. 375,000*l.*

6 *Nummum millia*] Angl. 8*l.* 6*s.* 8*d.*

7 *Quingenos nummos*] Angl. 4*l.* 3*s.* 4*d.*

8 *Trecenos*] Angl. 2*l.* 10*s.* Itaque legata Tiberii excessere Angl. 225,000*l.* Pauciora dederat Augustus, ut dictum est Annal. I. 8.

9 *Una sestertia*] Angl. 8*l.* 6*s.* 8*d.*

10 *Sexagenos denarios*] Angl. 2*l.*

11 *Quindecim denariorum*] Angl. 10*s.* Nunc vero si legatis Tiberii dona Caii addideris, Caius, ne numeratis quidem Liviæ legatis, largitus est circiter Angl. 2,000,000*l.*

12 *Sine calumnia*] Hæc Suetonius in Caio, XVI. Dio, LIX. p. 640. et 641. *Sine calumnia*, id est, integra, sine dolo malo, iniquaque criminatione exsolvit.

Principis vitio, ille tarda liberalitate, hic præcoce prodigentia pariter damnandus.

11. In partem lætitiæ venere reges exteri. Agrippa,[1] supremo Tiberii principatu imperium Caio precatus, ob idque vinctus, libertatem recuperavit; et ad abolendam injuriæ invidiam, simul et in necessitudinis præmium, catena aurea, ferreæ æquipondio, donatus, rexque appellatus, Philippi ac Lysaniæ tetrarchias[2] accepit. Antiochus in Commagenen,[3] patre defuncto, ad jus prætoris translatam, fuit restitutus: ejus quoque regno adjecta Ciliciæ maritima;[4] eique redditum sestertium millies.[5]

12. Faustos novæ dominationis nuntios, per provincias in majus diditos, audiit Artabanus,[6] fugato Tiridate, receptoque regno ferox. Mox Vitellii artibus,[7] et adversus Tiberium odio potius quam in Caium studio, positis hostilibus animis, Euphraten transgressus, pacem paciscitur: atque,

1 *Agrippa*] Agrippa I. dictus postea Magnus, Aristobuli et Berenices filius, Herodis I. Magni, et Mariamnes nepos, cujus historiam fuse prosequitur Joseph. Antiq. Judaic. XVIII. 6. et Bell. Judaic. II. 9. Vide et supra, Stemma Herodum, num. 7. Errat Dio, LIX. p. 645. cum scribit Agrippam avi sui imperium accepisse, Καὶ τῇ τοῦ πάππου ἀρχῇ προστάξας. Idem peccat Euseb. in Chronic. Aviti regni tertiam tantum partem, τρίτην μοῖραν, accepit, teste Philone, in Flaccum, p. 968.

2 *Philippi ac Lysaniæ tetrarchias*] De quibus D. Lucas, III. 1. Φιλίππου δὲ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ τετραρχοῦντος τῆς Ἰτουραίας καὶ Τραχωνίτιδος χώρας, καὶ Λυσανίου τῆς Ἀβιληνῆς τετραρχοῦντος. In Decapolitana regione erat Trachonitis, inter aquas Merom, nunc *Bahr-el-Houly*, et montem Libanum: Abilina in Cœlesyria Libanum inter et Antilibanum, haud procul Damasco. Ad ortum Abilinæ et Trachonitidis versus Arabiam desertam fuisse videtur Ituræa. Vide Plinium, V. 18. et 23. et Strabonem, XVI. p. 755. Porro non tota Ituræa, sed pars tantum Trachonitidi vicina, erat tetrarchiæ Philippi, ut patet ex dicendis infra cap. 36. et ex Josepho, Antiq. Judaic. XIII. 11. De Philippo vide Stemma Herodum, n. 24.

3 *Antiochus in Commagenen*] Antiochus IV. De ejus patre Antiocho III. regnoque ad jus prætoris translato dictum est Annal. II. 42. et 56. Dio quoque, LIX. p. 645. Antiochi IV. nummos vide apud Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, p. 126.

4 *Ciliciæ maritima*] Vide Annal. XII. 55.

5 *Sestertium millies*] Angl. 833,333*l.* 6*s.* 8*d.* Caius Antiocho reddidit sestertium millies *olim confiscatum*, ut loquitur Suetonius in Caio, XVI.

6 *Artabanus*] De Artabani Tiridatisque fortuna vide quæ dicta sunt Annal. VI. 41. et 44.

7 *Vitellii artibus*] Hæc Suetonius in Caio, XIV. In Vitell. II. Dio, LIX. p. 661. Errat Josephus Antiq. Judaic. XVIII. 4. num. 5. cum scribit Artabani et Vitellii colloquium, imperitante Tiberio, contigisse.

ut interpositam fidem magis obligaret, Romanas aquilas, Augustique ac Caii imagines adoravit, liberosque obsides[1] dedit, dignitatis suæ oblitus, ut veteres iras ulcisceretur.

13. Imperii, ob pacem inopinato firmatam exultantis, lætitia increvit accessione consulatus, quem Caius Claudiusque Calendis Julii iniere.[2] Nunquam acrioribus studiis certatum, intentis ad beneficia consulibus, civitate ad obsequia effusa. Princeps in senatu orationem habuit,[3] qua Tiberium suspicacem et obscurum, libidinibus fœdum, avaritia sordidum, crudelitate atrocem, religionis incuriosum, reipublicæ splendori infensum' criminatus, asseveravit, 'se avi patrisque[4] virtutes æmulaturum: inter exercitus eductum,[5] senatus populique Romani alumnum, non sibi, sed patriæ victurum: bonis ac miseris facilem, sceleribus tantum implacabilem, nihil dominationis usurpare velle, nisi ut Deum sacra, civium jura, publicam libertatem tueatur: satis magna fore, eaque una optare, principatus sui decora, illæsam imperii majestatem, et assertam populi felicitatem.' Hæc quanto rarius audita, tanto avidius accepta. Et ne Principi, qui optimus videbatur, malo fieri liceret, decretum a senatu 'ut ejus oratio quotannis recitaretur:'[6] quasi adultam dominantium licentiam moraretur pristinæ virtutis memoria.

14. Interim Cæsar, futurorum improvidus, factis magis quam verbis, Tiberio invidiam movere; vetera odia renovare; ad liberalitatem, humanitatem, magnificentiam, aliaque, superiore principatu, rara vel ignota, curas omnes

1 *Liberosque obsides*] Dio, LIX. p. 661. *παῖδας αὐτοῦ ὁμήρους.* Josephus tamen, loc. cit., unum tantum, nomine Darium, cum multis muneribus missum tradit. *'Αρτάβανος μετ' οὐ πολὺ πέμπει Τιβερίῳ* (errorem jam notavimus; legendum *Γαΐῳ*) *ὅμηρον Δαρεῖον τὸν υἱὸν μετὰ πολλῶν δώρων.*

2 *Calendis Julii iniere*] Cœpto principatu, consulatus, exauctoratis consulibus Acerronio et Pontio, Caio decretus; additumque ut eum quotannis gereret. Restitit Caius: nec nisi Kal. Julii, discedentibus e magistratu, ut moris erat, prioribus consulibus, consulatum, collega patruo suo Claudio, iniit. Dio, LIX. p. 644.

3 *Orationem habuit*] Dio, ibid.

4 *Avi patrisque*] Neronis Drusi, avi; patris, Germanici. Vide Stem. Cæs. n. 79. et 81.

5 *Inter exercitus eductum*] Annal. I. 44. et 69.

6 *Quotannis recitaretur*] Dio, loc. cit.

convertere: sublatum majestatis crimen:[1] jus novum[2] de servorum in domini caput quæstione non modo antiquatum, sed et mulier libertina, quod, tormentis excruciata, de scelere patroni reticuisset, octoginta millibus sestertium[3] donata est. Edebantur ludi; regaliaque impendia passim ostentabantur. Inter hæc speciosiora tamen, quam laudabiliora, egregia vox excidit: oblatum enim de salute sua libellum non recepit Princeps, 'nihil sibi admissum' dictitans, 'cur cuiquam invisus esset: neque se delatoribus aures habere.'[4]

15. Quæsita quoque ex religione commendatio. Tertio Calendas Septembres,[5] templum, quod Augusto Tiberius struxerat,[6] a Caio, triumphali veste induto, dedicatum est,[7] virginibus puerisque nobilissimis hymnum cantantibus.[8] Atque ut solennibus sacris celebritatem adderet, senatui, equestrique ordini, conjugibus etiam ac liberis[9] splendidissimum epulum, congiarium populo trecenos sestertios,[10] dedit. Hilaritati quoque publicæ omnigenis musicæ concentibus, novatisque ludis consultum.

16. Postridie lætiora adhuc rediere spectacula ob Prin-

1 *Majestatis crimen*] Dio, LIX. p. 642.

2 *Jus novum*] Novi illius juris repertor Tiberius, ut vidimus Annal. II. 30.

3 *Octoginta millibus sestertium*] Angl. 666*l.* 13*s.* 4*d.* Sueton. in Caio, XVI.

4 *Delatoribus aures habere*] Sueton. in Caio, XV.

5 *Tertio Calendas Septembres*] Die 30. Augusti. Dio, LIX. p. 644.

6 *Tiberius struxerat*] Tacit. Annal. VI. 45. Sueton. in Tib. XLVII.

7 *Dedicatum est*] Quam cærimoniam exhibet nummus ære maximo apud *Morellium*, Thesaur. *vol.* I. p. 650. C. CAESAR AVG. GERMANICVS PONT. MAX. TR. POT. Caput Caii laureatum. Ex adversa parte, DIVO. AVG. Caius stans velatus et togatus patera super aram sacrificat. Pone pateram tenet popa: alter popa taurum ducit, ante templum sex columnarum, statuis et lemniscis ornatum. SC. id est, senatusconsulto. Habentur quoque ibid. nummi ære magno cum eadem parte postica: sed ex altera sedet Pietas, pateram tenens. C. CAESAR AVG. GERMANICVS P. M. TR. POT. infra PIETAS. in aliis TR. P. II. P. P. vel TR. P. III. P. P. id est, 'tribuniciæ potestatis' anno II. vel III. 'pater patriæ.'

8 *Hymnum cantantibus*] Cantatricem hanc religionem egregie illustrat monumentum Stratonicense.

9 *Conjugibus etiam ac liberis*] Dio, loc. cit. Sueton. in Caio, XVII.

10 *Trecenos sestertios*] Angl. 2*l.* 10*s.* Si congiarium illud ducentis quinquaginta millibus hominum datum fuerit, ut potest supponi ex monumento Ancyrano, largitus est Caius circiter Angl. 625,000*l.*

cipis natalem.[1] Sejugibus,[2] quod nemini hactenus usurpatum, vectus prodiit. Ceterum nihil oblitus, quo modestiam popularitatemque testaretur, ne signum quidem[3] ludorum dedit, ipse tamen, circumstantibus sororibus sodalibusque Augustalibus, spectator: vetitis omnibus,[4] quæ lætitiam imminuere; quæ augere possent, permissis. Supra solitum[5] equi certavere. Interjecta adhuc Trojæ decursio,[6] tantaque venatio, ut CCCC. ursi,[7] totidemque aliæ Libycæ belluæ,[8] perierint.

17. Urbs, spectaculorum avida, et renascentis veteris splendoris imagine superba, conceptas de Germanico, et Germanici sanguine, spes memorare, superatas prædicare.

1 *Ob Principis natalem*] Dio, loc. cit. Sueton. in Caio, VIII. 'Caius Cæsar natus est pridie Kal. Septembres, patre suo et C. Fonteio Capitone consulibus, A. U. C. 765.'

2 *Sejugibus*] Sex equis ad currum junctis. Hactenus bijuges quadrijugesve fuerant currus. Dio, loc. cit. Τὸ ἅρμα τὸ πομπικὸν, ἐφ' οὗ ἤχθη, ἓξ ἵπποι εἵλκυσαν· ὃ μὴ πώποτε ἐγεγόνει.

3 *Ne signum quidem*] Dio, LIX. p. 645. Mappa ludos incipiendi signum dabatur. Quo de usu Polemeus Silvius in Laterculo, ad diem septimum Januarii 'Prima consulis mappa: quæ ideo sic vocatur, quia rex Tarquinius Romæ, dum die Circensium pranderet in Circo, de mensa sua mappam foras, ut aurigis post prandium currendi signum daret, abjecerat.' Signum autem non dedisse videtur Caius, ut id honoris Claudio tribueret. Teste enim Suetonio in Claud. VII. 'Præsedit nonnunquàm spectaculis in Caii vicem, acclamante populo, Feliciter, partim patruo Imperatoris, partim Germanici fratri.'

4 *Vetitis omnibus*] Ideo judicia distulit, luctum inhibuit, aliaque miræ levitatis fecit, quæ vide apud Dionem, loc. cit.

5 *Supra solitum*] Austerior Tiberius 'natalem suum plebeiis incurrentem Circensibus, vix unius bigæ adjectione honorari passus est.' Sueton. in Tiber. XXVI. Hactenus autem moris fuerat ut essent tantum duodecim missus equorum, contra Caius primo viginti, mox viginti quatuor missus fecit. Dio, loc. cit. Quod postea ita invaluit, ut, licet in his aurigationibus maximæ forent impensæ, passim tamen in Kalendario Herwartiano occurrat CMXXIIII. id est, 'Circenses, missus viginti quatuor.' Immo si geminaretur lætitia, missus quoque geminabantur. Inde in eodem Kalendario ad diem VI. ID. NOV. N. NERVAE ET CONSTANTII CMXLVIII. id est, 'sextum Idus Novembris, natalis Nervæ et Constantii, Circenses, missus quadraginta octo.'

6 *Trojæ decursio*] De hoc ludicro dictum Annal. XI. 11. Istud a patriciis pueris editum, Dio, loc. cit.

7 *CCCC. ursi*] Dio, LIX. p. 644. Ἄρκτους τετρακοσίας μεθ' ἑτέρων Λιβυκῶν θηρίων ἴσων ἀπέκτεινε. Ursos illos de leonibus intellexerim. Sic enim a Romanis appellabantur, ut videre est apud Plinium, VIII. 36. et Virgilium, Æneid. V. 37. Inde quoque Juvenalis, Satir. IV. 99. 'Cominus ursos Figebat Numidas, Albana nudus arena Venator.'

8 *Libycæ belluæ*] Pantheræ, hyænæ, aliæque id genus feræ, tunc frequentissimæ, nunc rarissimæ, ut videre est apud eruditum Shaw, *Voyages*, vol. I. p. 316.

Quisque, ut ingenio validus, privatos ac publicos honores excogitabat. Inter publicos, decretus clypeus aureus,[1] quem quotannis collegia sacerdotum in Capitolium ferrent, senatu prosequente, nobilibus pueris ac puellis, carmine modulato, laudes virtutum Principis canentibus: decretum quoque ut dies, quo cepisset imperium, *Palilia* vocaretur, velut rursus conditæ Urbis[2] argumentum.

18. Consulatus, non vero lætitiæ, finem fecere consules suffecti Idibus Septembris.[3] Diffusa etiam per provincias festivitate, ubique tanto hilarius victitatum,[4] quanto mœstior fuerat morum austeritas, imperitante Tiberio. At Princeps, natura imbutus malis artibus, mentitas ob avi metum species virtutum ponere: primo conviviis, mox scortis,[5] deinde *luxui ita* indulgere, ut centies sestertio[6] cœnaverit,

1 *Clypeus aureus*] Hæc et sequentia totidem verbis Suetonius in Caio, XVI.

2 *Rursus conditæ Urbis*] Roma condi cœpta XI. Kalendas Maii, quo die Pales, Dea pabuli, colebatur, unde *Palilia*, apud Romanos celebratissima. In Herwartiano Kalendario dies ille signatur: N. URBIS CMXXIIII. id est, 'Natalis Urbis, Circenses, missus viginti quatuor.'

3 *Suffecti Idibus Septembris*] Ita Dio, LIX. p. 645. Ταῦθ' οὕτως ἐν τῇ ὑπατείᾳ ἔπραξε, δύο τε μησὶ καὶ ἡμέραις δώδεκα αὐτὴν σχών. Τὸν γὰρ λοιπὸν τῆς ἑξαμήνου χρόνον τοῖς προαποδεδειγμένοις ἐς αὐτὴν ἀπέδωκε: 'Hæc in consulatu egit Caius, quem gessit duos menses ac dies duodecim. Reliquam semestris temporis partem iis, qui jam ante designati fuerant, tradidit.' Haud ita accurate Suetonius in Caio, XVII. 'Consulatus quatuor gessit: primum ex Kalendis Julii per duos menses.'

4 *Hilarius victitatum*] Oculatus testis Philo, Legat. ad Caium, p. 994. Οὐδὲν γοῦν ἦν ἰδεῖν ἕτερον κατὰ πόλεις, ἢ βωμοὺς, ἱερεῖα, θυσίας, λευχειμονοῦντας, ἐστεφανωμένους, φαιδροὺς, εὐμένειαν ἐξ ἱλαρᾶς τῆς ὄψεως προφαίνοντας, ἑορτὰς, πανηγύρεις, μουσικοὺς ἀγῶνας, ἱπποδρομίας, κώμους, παννυχίδας μετ' αὐλῶν καὶ κιθάρας, τέρψεις, ἀνέσεις, ἐκεχειρίας, παντοίας ἡδονὰς διὰ πάσης αἰσθήσεως—ὡς τὸν παρὰ ποιηταῖς ἀναγραφέντα Κρονικὸν βίον μηκέτι νομίζεσθαι πλάσμα μύθου, διὰ τὴν εὐθηνίαν καὶ εὐετηρίαν, τό τε ἄλυπον καὶ ἄφοβον, καὶ τὰς πανοικίας ὁμοῦ καὶ πανδήμους μεθ' ἡμέραν τε καὶ νύκτωρ εὐφροσύνας, αἳ μέχρι μηνῶν ἑπτὰ τῶν πρώτων ἄπαυστοι καὶ συνεχεῖς ἐγένοντο: 'Erat igitur videre nihil aliud per singulas urbes, quam altaria, victimas, sacrificia, candidatos, coronatos, hilares blandosque omnium vultus, festa, celebritates, musica certamina, Circenses, comessationes, pervigilia cum citharis ac tibiis, voluptates, remissiones, inducias, varias cunctorum sensuum oblectationes—ut fidem inveniret descriptum in poëtarum fabulosis figmentis Saturnium sæculum, ob ubertatem, annonæ felicitatem, quæ totas familias, omnesque populos diu ac noctu per septem primos menses perpetuos occupavit.'

5 *Conviviis, mox scortis*] Hæc pluribus Philo, loc. cit.

6 *Centies sestertio*] Angl. 83,333*l.* 6*s.* 8*d.* Senec. Consol. ad Helviam, IX. 'Caius Cæsar, quem mihi videtur rerum

et immensum illud Tiberii vicies ac septies millies sestertium[1] ferme absumserit.

19. Morbus,[2] libidinum comes, artus, olim cardiaco morbo debilitatos, nunc ebriositate,[3] ac turpiore intemperantia corruptos, incessit. Vitiis adhuc secretis, passim publicatis virtutibus, quasi parens patriæ ipsaque respublica periclitarentur, sumto justitio,[4] cunctis circa palatium pernoctantibus, comploratum. Studia civium adeo erant incensa,[5] ut P. Afranius Potitus, plebeius homo, caput suum pro salute Principis voveret; Atanius Secundus, eques, gladiatoriam operam promitteret. Provincias, navibus ineunte autumno ex Italia remeantibus, periculum statim edoctas, idem luctus occupat.[6]

20. Recreata Caii valetudine, ut plura sunt gaudii, quam mœstitiæ, signa, nec jam incerta adulatio, effusior quoque extitit lætitia.[7] At mentes, gravius quam corpora, sæpe affligit libido. Sano Cæsaris corpore, mens ægra, nec

natura edidisse, ut ostenderet quid summa vitia in summa fortuna possent, centies sestertio cœnavit uno die: et in hoc omnium adjutus ingenio, vix tamen invenit, quomodo trium provinciarum tributum una cœna fieret. O miserabiles, quorum palatum nisi ad pretiosos cibos non excitatur!'

1 *Vicies ac septies millies sestertium*] Angl. 22,500,000*l.* Sueton. in Caio, XXXVII. 'Ac ne singula enumerem, immensas opes, totumque illud Tiberii Cæsaris, vicies ac septies millies sestertium non toto vertente anno absumsit.' Juxta Dionem, LIX. p. 641. *Πέντε γοῦν μυριάδας μυριάδων, καὶ πεντακοσίας καὶ ἑπτακισχιλίας, ὡς δ' ἕτεροι, ὀκτώ τε καὶ δισχιλίας καὶ πεντακοσίας, τεθησαυρισμένας εὑρὼν, οὐδὲ ἐς τὸ τρίτον ἔτος* (corrige *ἔτους*) *μέρος ἀπ' αὐτῶν τι διέσωσεν.* 'Vicies ter millies sestertium, Angl. 19,166,666*l.* 13*s.* 4*d.* alii tradunt tricies ter millies sestertium, Angl. 27,500,000*l.* cum accepisset asservata in thesauris, nihil eorum in tertiam anni partem,' in nonum mensem, 'servavit.' Nunc vero si quis addiderit legata, dona, ludos, cœnas, aliaque immensæ libidinis, tantam pecuniæ vim tam brevi tempore absumtam fuisse facile intelliget.

2 *Morbus*] De hoc morbo, ejusque causis, luctuque publico, vide Philonem, Legat. ad Caium, p. 994.

3 *Ebriositate*] Juventa ad merum prona, morbo ipso fuit invitata. Teste enim Seneca, Ep. 15. 'Bibere et sudare, vita cardiaci est.' Suffragatur quoque Plinius, XXIII. 1. 'Cardiacorum morbo unicam spem in vino esse, certum est.'

4 *Sumto justitio*] De justitio dictum est Annal. I. 16. et II. 82.

5 *Adeo erant incensa*] Hæc flagrantia civium studia memorant Dio, LIX. p. 645. Suetonius in Caio, XIV. et XXVII.

6 *Idem luctus occupat*] Quem, pro more suo, oratorie describit Philo, Legat. ad Caium, p. 994. et 995.

7 *Lætitia*] De qua vide Philonem, loc. cit. ut in tristibus, sic in lætis, juveniliter luxuriantem.

remedii patiens, ad vitia delabi:[1] gloriam, ambitionem, quibus ad infamiam, si a virtute deflexeris, nihil validius, sectari: nullus supra ceteros eminendi modus. Primumque scelus omnia vicit superioris principatus facinora.

21. Caius enim Tiberium, fratrem simul et filium,[2] imperii æmulum veritus, ne scriptis quidem ad senatum literis, veluti sibi, cum morbo detinebatur, insidiatum, repente immisso tribuno militum, inopinantem interemit: conscientiam criminis appellare ausus, quod Tiberius, ob assiduam et ingravescentem tussim medicamento usus, antidotum, quasi ad præcavenda venena sua sumtum, oboluisset. Quidam prodidere jussum cruentas manus sibi afferre, ne ab exactoribus violaretur Cæsarum majestas: juvenemque, non modo *sceleris*, sed properandæ etiam mortis rudem, caput percussoribus ultro obtulisse; iisque renuentibus, petiisse, 'quam feriret corporis partem, ut vitam finire posset:' edoctumque,[3] adacto gladio, occubuisse.

22. Princeps, umbratico crimine audax, nefanda publice aggreditur. Ab Atanio Secundo, quem supra memoravi,[4] votum exigit, spectatque ferro dimicantem, nec nisi victorem, et post multas preces, dimittit. Afranium Potitum, mori cunctantem, verbenatum infulatumque[5] pueris tradit, qui, votum reposcentes, per vicos agant, quoad ex aggere[6] præcipitetur.

23. Tristior M. Silani exitus. Is virtute, quam Imperatoria affinitate,[7] illustrior, monitoris partes, apud bonos Principes difficiles, apud malos funestas, agebat; veterique,

1 *Ad vitia delabi*] Philo, loc. cit. et ait in votis sæpe humanas mentes cæcutire, et quid sit revera utile ignorare: Τυφλώττει γὰρ ὁ ἀνθρώπειος νοῦς πρὸς τὴν τοῦ συμφέροντος ὄντως αἴσθησιν.

2 *Fratrem simul et filium*] Tiberius, Drusi Cæsaris filius, frater patruelis erat Caii ob Germanicum a Tiberio Imperatore adoptatum; filius vero Caii, quia et ipse a Caio adoptatus. Vide Stem. Cæs. n. 72. et Suetonium in Caio, XV. et XXIII. Dionem, LIX. p. 645.

3 *Edoctumque*] Hæc et priora Philo, Legat. ad Caium, p. 996.

4 *Supra memoravi*] Cap. 19.

5 *Verbenatum infulatumque*] Suetonius totidem verbis in Caio, XXVII. Plurimum nobilitatis apud Romanos obtinuit verbena. 'In remediis publicis, in sacris legationibusque' adhibebatur, Plin. XXII. 2. Hanc legati ferunt ad hostes. 'Hac Jovis mensa verritur, domus purgantur lustranturque.' Plin. XXV. 9. Infula, seu fascia, in modum diadematis, redimi victimas omnibus notum.

6 *Ex aggere*] Sane ex aggere Tarquinii, quo Urbs ab Oriente claudebatur. Hujus aggeris laudes vide apud Plinium, III. 5. et XXXVI. 15.

7 *Imperatoria affinitate*] M. Silanus

qua apud Tiberium valuerat,[1] auctoritati, et filiæ suæ Claudiæ recens mortuæ[2] desiderio confisus, Principi, quem nondum libidinis firmum rebatur, identidem memorabat 'virtutibus partos populi amores, proxima vitiis odia.' Caius monitorem, tunc importunum, et, si diutius viveret, gravem, primo contumeliis, deinde calumniis aggreditur; cumque Julium Græcinum[3] ad viri optimi accusationem incitare non posset, ipse causatus, 'quod Silanus[4] ingressum se turbatius mare non esset secutus, ut si quid sibi per tempestates accideret, Urbem occuparet,' eum ad necem secandasque novacula fauces compulit. Mox Liviam Orestillam,[5] Calpurnio Pisoni nuptam, uxorem cepit; et proximo die edixit 'matrimonium sibi repertum exemplo Romuli et Augusti:'[6] deinde intra paucos dies[7] eam repudiavit.

socer erat Caii, qui Claudiam, Silani filiam, uxorem duxerat, ut dictum est Annal. VI. 20. Vide et Stem. Cæs. n. 87. Hunc Silanum a Dione 'ovem auream' perperam appellatum fuisse observavimus Ann. XIII. 1.

1 *Apud Tiberium valuerat*] Tanta erat ejus integritatis opinio, ut Tiberius sententiam de causa, in qua a Silano facta fuisset provocatio, ferre nunquam voluerit, sed provocationes illas ei remitteret. Dio, LIX. p. 646.

2 *Recens mortuæ*] Mortuam ex partu docet Suetonius in Caio, XII. Suffragantur Tacitus Annal. VI. 45. et Philo, Legat. ad Caium, p. 1000. Repudiatam male scripsit Dio, LIX. p. 646.

3 *Julium Græcinum.* Agricolæ patrem. Tacit. Vit. Agric. IV.

4 *Causatus, quod Silanus*] Suetonius in Caio, XXIII. 'Silanum item socerum ad necem secandasque novacula fauces compulit, causatus quod ingressum se turbatius mare non esset secutus, ac spe occupandi Urbem, si quid sibi per tempestates accideret, remansisset—Cum et Silanus impatientiam nauseæ vitasset, et molestiam navigandi.' Illud 'turbatius mare' de 'tempestate turbida,' qua matris fratrisque cineres Caius transtulit, ut dictum est supra cap. 5. intellige.

5 *Liviam Orestillam*] Sueton. in Caio, XXV. 'Liviam Orestillam C. Pisoni nubentem, cum ad officium et ipse venisset, ad se deduci imperavit, intraque paucos dies repudiatam viennio post relegavit: quod repetisse usum prioris mariti tempore medio videbatur. Alii tradunt, adhibitum cœnæ nuptiali, mandasse ad Pisonem, contra accumbentem, Noli uxorem meam premere: statimque e convivio, abduxisse eam secum, et proximo die edixisse matrimonium sibi repertum exemplo Romuli et Augusti.' Dioni, LIX. p. 646. Κορνηλία 'Ορεστίνα, non vero *Livia Orestilla,* dicitur. Utrum ille C. Calpurnius Piso idem sit ac C. Piso, qui in Neronem conjuravit, disputatur. Eundem esse haud improbabile existimat Cl. Reimarus in notis ad Dionem, loc. cit. Ægre tamen crediderim, quod id penitus siluerit Tacit. Ann. XV. 48.

6 *Romuli et Augusti*] Sic enim Hersiliam rapuerat Romulus, Plutarch. in Romul. p. 25. et 26. Liviam Augustus. Vide Stem. Cæs. p. 66.

7 *Intra paucos dies*] Dio, LIX. p.

24. Ad hæc populus stupere: nihil queri;[1] in recentes adhuc virtutes defixus, et severitatis causas fingere potius, quam mutatum Principem credere, docilis. Cæsar ipse, nondum atrox, nec incallidus, deficientibus ceteris virtutibus, popularitatem ac liberalitatem retinebat: et, ut se libertatis hilaritatisque publicæ vindicem ostentaret, diem, quem appellavit *Juvenalem*,[2] Saturnalibus in perpetuum adjecit. Olim, vivida adhuc libertate, ea semper optatæ, nunquam expertæ, felicitatis monumenta uno tantum die[3] fuere celebrata: duos addidit Julius Cæsar, imminente servitute: illa vigente, quarto ac demum quinto crevere. Nec unquam lætior fuit libertatis memoria, quam cum nulla extitit libertas.

25. Aquillius Julianus et Nonius Asprenas,[4] superiore principatu designati, consulatum ineunt. In acta Augusti Caiique juravere, omisso Tiberio, Germanici domus eversore: id moris invaluit;[5] nec ejus nomen in jurejurando postea recitatum. Consules ceterique sacramento addidere 'sibi Caium ejusque sorores se suisque liberis cariores fore:' ac vota pro iis omnibus pariter concepta. Quod ta-

646. Πρὶν δὲ δύο μῆνας ἐξελθεῖν: 'Ante secundi mensis exitum.'

1 *Nihil queri*] Philo, Legat. ad Caium, p. 1000.

2 *Juvenalem*] Sueton. in Caio, XVII. 'Ut lætitiam publicam in perpetuum quoque augeret, adjecit diem Saturnalibus, appellavitque Juvenalem.'

3 *Uno tantum die*] Vigente republica, Saturnalia per unum diem, nempe XIV. Kalendas Januarii, seu 19. Decembris, celebrata sunt. Postea a Julio Cæsare in triduum propagata sunt: ferias, quartumque diem addidit Augustus. Tum Saturnalia XVI. Kalendas Januarii, seu 17. Decembris, celebrari cœpere. Per quinque dies ea celebrari jussit Caius, teste Dione, LIX. p. 644. Τά τε Κρόνια ἐπὶ πέντε ἡμέρας ἑορτάζεσθαι κελεύσας. Deinde increscente semper hujus religionis hilaritate, adjectaque Sigillariorum celebritate, per septem dies celebrata sunt Saturnalia. Vide Livium, II. 21. et Macrobium, Saturnal. I. 10.

4 *Nonius Asprenas*] M. Aquillius Julianus et P. Nonius Asprenas consules fuere A. U. 791. J. C. 38.

5 *Id moris invaluit*] Dio, LIX. p. 646. Οἱ ὅρκοι περὶ μὲν τῶν ὑπὸ τοῦ Τιβερίου πραχθέντων οὐκ ἐπήχθησαν· καὶ διὰ τοῦτο οὐδενι γίγνονται. Οὐ γάρ ἐστιν ὅστις αὐτὸν ἐν τοῖς αὐταρχήσασιν ἐς τὴν τῆς οἰκίας (emendandum ὁρκίας recte conjectat Cl. Reimarus) νόμισιν καταλέγει: 'In acta Tiberii non juravere: ideoque in ea a nemine juratur: neque quisquam est, qui Tiberium inter ceteros Imperatores in jurandi formula recenseat.' Eadem videas adhuc apud Dionem, LX. p. 667. Sed, si in juramentis, certe in legibus Imperatoriis non omittebatur Tiberius.

men in ancipiti re et turbarum initiis solet, quidam portenta differre: 'Machaonem, servum,[1] ipsis Calendis Januarii lectum Jovis Capitolini[2] conscendisse, multa diraque vaticinatum, sibi necem intulisse.'

26. Hæc spreta, lætioribus auspiciis, effusaque Principis liberalitate;[3] tumque primum publicatæ imperii rationes,[4] et comitia ad campum revocata. Multa quoque populariter actitata. Jussit enim Cæsar milites incendia restinguere;[5] et damnum passos pecunia levavit. Provincias beneficiis devinxit; et multos extra Italiam, affinitatibus et opibus validos, in equestrem ordinem[6] allegit, luxu et recognitione supra memorata deminutum: nonnullis etiam,[7] licet nullum magistratum gessissent, usum senatoriæ vestis, in spem dignitatis, concessit; atque, ut levior foret judicum labor, ad quatuor priores quintam addidit decuriam.[8] Quod vero fuit populo Romano acceptius,

1 *Machaonem, servum*] Dio, LIX. p. 646.

2 *Lectum Jovis Capitolini*] De lectis pulvinaribusque Deum dicitur ad Annal. XIV. 12.

3 *Liberalitate*] De hac Caii liberalitate, inconsulta quidem, sed populo semper probata, vide Dionem, LIX. p. 644. et 647. et Suetonium in Caio, XVI.

4 *Rationes*] De imperii rationibus comitiisque ad campum, seu populum, revocatis dictum supra cap. 9.

5 *Incendia restinguere*] Dio, ibid. Sueton. in Caio, XVI. 'Multis incendiorum damna supplevit.'

6 *In equestrem ordinem*] Dio, ibid.

7 *Nonnullis etiam*] Nonnullis etiam ex his illustrioribus equitibus usum senatoriæ vestis tribuit.

8 *Quintam addidit decuriam*] Suetonius in Caio, XVI. Sensus est, ad quatuor priores equitum decurias, quintam addidit, ut levior foret judicantibus labor. Porro illi judices erant equites Romani. Sed de hac re audiendus Plinius, XXXIII. 1. et 2. 'Anuli plane medium (equitum) ordinem, tertiumque, plebi et patribus inseruere: quod antea militares equi nomen dederant, hoc nunc pecuniæ judices tribuunt. Nec pridem id factum: Divo Augusto decurias ordinante, major pars judicum in ferreo anulo fuit: iique non equites, sed judices vocabantur. Judicum quoque non nisi quatuor decuriæ fuere primo: vixque singula millia in decuriis inventa sunt, nondum provinciis ad hoc munus admissis: servatumque in hodiernum est, ne quis e novis civibus in iis judicaret. Decuriæ quoque ipsæ pluribus discretæ nominibus fuere, Tribunorum æris, et Selectorum, et Judicum. Præter hos etiamnum Nongenti vocabantur, ex omnibus selecti ad custodiendas cistas suffragiorum in comitiis—Tiberii demum principatus nono anno in unitatem venit equester ordo: anulorumque auctoritati forma constituta est, C. Asinio Pollione, C. Antistio vetere Coss. A. U. C. 775. quod miremur futili pæne de causa, cum C. Sulpicius Galba, dum juvenalem famam apud Principem popinarum pœnis aucupatur, questus

ducentesimam auctionum[1] Italiæ remisit.

27. At extremos vix sanæ mentis igniculos oppressere homines duo, ad Principis dedecus et imperii exitium nati, Helico et Apelles.[2] Hic, patria Ascalonita,[3] stupris ac scenicis operis infamis: ille, origine Ægyptius, scurrilibus jocis et veteratoria arte scelestior. Caius, utrique mancipatus, civium famam, vitas, fortunas, vilia habere; turpi-

esset in senatu, vulgo institores ejus culpæ defendi anulis. Hac de causa constitutum, ne cui jus id esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri avoque paterno sestertia cccc. (Angl. 3333*l*. 6*s*. 8*d*.) census fuisset, et lege Julia theatrali in 14. ordinibus sedendi. Postea gregatim insigne id appeti cœptum. *Propterque hæc discrimina Caius Princeps decuriam quintam adjecit*: tantumque natum est fastus, ut quæ sub divo Augusto impleri non potuerant, decuriæ non capiant eum ordinem, passimque ad ornamenta ea etiam servitute liberati transiliant: quod antea nunquam erat factum, quoniam in ferreo anulo equites judicesque intelligebantur—Judicum autem appellatione separari eum ordinem, primi omnium instituere Gracchi, discordi popularitate in contumeliam senatus: mox ea debellata, auctoritas nominis vario seditionum eventu circa publicanos substitit: et aliquamdiu tertiæ vires publicani fuere. Marcus Cicero demum stabilivit equestre nomen in consulatu suo, Catilinanis rebus, ex eo se ordine profectum esse celebrans, ejusque vires peculiari popularitate quærens. Ab illo tempore plane hoc tertium corpus in republica factum est, cœpitque adjici senatui populoque Romano, et equester ordo. Qua de causa et nunc post populum scribitur, quia novissime cœptus est adjici.'

1 *Ducentesimam auctionum*] Ita totidem literis Suetonius in Caio, XVI. Perperam in recentioribus editionibus emendatum *centesimam*, refragantibus veteribus omnibus editionibus, et libris optimæ notæ Mss. Antiquæ scripturæ astipulatur quoque nummus ex ære minimo, qui olim fuit in Museo Collegii Ludovici Magni: C. CAESAR DIVI AVG. PRON. AVG. id est, 'Caius Cæsar, Divi Augusti pronepos, Augustus.' In medio, SC. senatusconsulto, cum pileo, libertatis symbolo. Ex adversa parte, PON. M. TR. P. III. P. P. COS. DES. III. id est, 'pontifex maximus, tribuniciæ potestatis (anno) tertio, pater patriæ, consul designatus tertium.' In medio RCC. id est, 'remissa ducentesima.' Ut in nummis Galbæ, RXXXX. vel QVADRAGENS. REMISSA. id est, 'quadragesima remissa.' *Ducentesima* autem *auctionum* dicebatur pars ducentesima rerum venalium in auctione, quæ fisco addicebatur. Non tamen dissimulaverim Dionem, LIX. p. 647. scripsisse centesimam a Caio sublatam: nec emendaverim cum Cl. Moreau de Mautour, *Journal de Trévoux*, ann. 1728. Novembr. p. 2121. et seq. Διακοσιοστῆς pro ἑκατοστῆς. Sed si vera sunt quæ scripsit Dio, LVIII. p. 631. et LIX. p. 647. dixerim pro centesima, civilia post bella instituta, ducentesimam a Tiberio fuisse statutam, Tacit. Annal. I. 78. et II. 42. Centesimam post mortem Sejani a Tiberio fuisse renovatam, Dio, LVIII. p. 631. Deinde a Caio centesimam iterum antiquatam, Dio, LIX. p. 647. Demum ipsam ducentesimam a Caio abrogatam, ut patet tum ex Suetonio, tum ex nummis.

2 *Helico et Apelles*] De iis multa Philo, Legat. ad Caium, p. 1016. et 1021.

3 *Ascalonita*] Ascalon, urbs maritima tribus Simeon, nunc *Ascoli*.

tudinum probra ostentare: ad scelera insolescere: sacra profanaque pro arbitratu vertere: idque nequitiæ summum assequi, ut, cum pessimus statim haberetur, fieret in dies pejor. Si quos puderet nos hæc scribere, magis pudeat talem extitisse Principem, fuisse adhuc deteriores;[1] quorum sceleribus utinam historia eam infamiam inurat, ut pares nunquam videat ætas postera!

28. Per deridiculum cœpere insanæ dominationis vitia. Princeps saltatorias et scenicas artes, magistro Apelle, edoctus, imperii majestatem ac curas sprevit: in spectaculis totus, lectissimas Afrorum Campanorumque pugilum catervas advocat: feras ex Libya aliisque longinquis regionibus arcessit: in amphitheatrum Tauri,[2] in Circum, in Septa,[3] horumque pertæsus, ac subversis domibus, in subitarias theatrorum machinas,[4] ad gladiatoria munera, ad venationes, ad Circenses, scenicos, Trojanos, naumachiarios ludos, pensilem populum Romanum circumfert. Hæc diu, hæc noctu, Urbe, terrarum victrice, ad inania luminibus collucente, Circo minio et chrysocolla constrato,[5] aurigantibus senatoribus,[6] ipso Principe argentei pegmatis[7] agitatore.

29. Vana quidem hæc, nondum tamen infanda, sed brevi patrum adulatione in licentiam, populi plausu in turpitudinem corrupta. Patres enim, a Principe rogatos, haud puduit theatrales cruentasque leges scribere, et senatus-

1 *Deteriores*] Neronem nempe ac Domitianum.

2 *Amphitheatrum Tauri*] Quod Statilius Taurus, quarto Augusti consulatu, in campo Martio exstruxerat. Dio, LI. p. 460. Sueton. in August. XXIX. in Caio, XVIII.

3 *In Septa*] Septa in campo Martio dedicavit Agrippa octavo Augusti consulatu: ob amplissimas eorum porticus, ibi sæpe ab Augusto et Caio data spectacula. Dio, LIII. p. 512. Sueton. in Aug. XLIII. in Caio, XVIII. At tunc Caius Septa effodit, et aqua replevit, ut unam navim introducere posset. Dio, LIX. p. 647.

4 *Theatrorum machinas*] Dio, LIX. p. 647.

5 *Minio et chrysocolla constrato*] Sueton. loc. cit. Chrysocolla auri, minium argenti sanies. Plin. XXXIII. præfat. Chrysocollam adhuc dicimus *gold-solder*. Minium, *cinnabar*.

6 *Aurigantibus senatoribus*] Sueton. ibid.

7 *Argentei pegmatis*] Plin. XXXIII. 3. Sect. 16. 'Caius princeps in Circo pegma duxit, in quo fuere argenti pondo CXXIV.' Angl. 413*l.* 6*s.* 8*d.* Forte opus materiam superabat.

consulto decretum 'ne in gladiatoriis muneribus vir virum legeret, sed omnes præliorum more confertim appugnarent.'[1] Non jam sudore, at sanguine et morte certatur. Animarum vilitate, populoque ad sua funera plaudente, efferatus Princeps quosvis ad cædes postulat: sex et viginti equites[2] funebri munere perimit. Cumque nunquam sit crudelitatis satias, et aliquando damnati ad belluas haud sufficerent, jubet 'spectatores corripi, præcisisque linguis,'[3] ut questus et miseratio intercludatur, 'ad feras projici:' nec vesano furori, nisi levioribus cædibus, temperat.

30. Macro primus in pœnas ruit.[4] Certus insanam dominationem, in suam, ejusque auctorum, ruinam vergere, Principem, quem ter morti,[5] imperante Tiberio, subduxerat, et *summæ* rei admoverat, moderationis, clementiæ, humanitatis monebat. Consilia, ne in Silano quidem, socero, et expertæ virtutis, tolerata, in Macrone, quondam adulteriorum suasore, erant magis invisa. Dissimulavit tamen Cæsar, veteris gratiæ memor, an prætorias cohortes veritus:[6] mox, ut illum honorifice amoveat, Ægyptum[7] ei destinat. At cum apud Principes gravis sit beneficiorum memoria, et scelerum odia semper maneant, se tandem grati pariter et infensi animi absolvit, et Macroni supremam necessitatem indixit. Uxorem ejus Enniam, sibi amore, antequam dominationis potiretur, illigatam,[8] simul perculit: excisa quoque sobole,[9] ut nihil odiosæ domus superesset.

1 *Confertim appugnarent*] Hæc Dio, LIX. *p.* 647.

2 *Sex et viginti equites*] Eos jam antea dilapidatis facultatibus et gladiatoriis certaminibus *infames* fuisse docet Dio, loc. cit.

3 *Præcisisque linguis*] Dio, *ibid.*

4 *In pœnas ruit*] Macronis exitium fuse narrat Philo, Legat. ad Caium, p. 997. et seq. Brevius Dio, LIX. p. 647. Paucis Suetonius in Caio, XXVI. 'Leve ac frigidum sit his addere, quo propinquos amicosque pacto tractaverit—in primis ipsum Macronem, ipsam Enniam, adjutores imperii, quibus omnibus pro necessitudinis jure, proque meritorum gratia cruenta mors persoluta est.'

5 *Ter morti*] Philo, loc. cit. p. 1000.

6 *Prætorias cohortes veritus*] Quibus præfectus erat Macro, ut diximus in Suppl. Annal. V. 34. et 36.

7 *Ægyptum*] Equitibus Romanis illustribus sepositam. Annal. II. 59.

8 *Illigatam*] De his Annal. VI. 45. Suetonius quoque in Caio, XII.

9 *Excisa quoque sobole*] Philo, ibid. 'Ο Μάκρων πανοίκειος ἱέρευτο: 'Macro cum omnibus domesticis mactatus est.'

31. Hactenus in privata, nunc in publica fata sævire cœpit, ut exhaustas opes reficeret. Senatoribus maxime[1] ac ditissimis quibusque incubuit, in eos, sicuti Sejani clientes, matris fratrumque suorum delatores invectus: protulit libellos, quos ante crematos simulaverat:[2] morbumque,[3] quo fuerat superiore anno conflictatus, plurimis in crimen capitis convertit. Nullus cognoscendi ordo. Damnati et indemnati, publicatis bonis, simili casu prostrati. Principis rapacitate, et delationum impunitate ac præmiis excitabatur accusationum licentia.

32. Ferale malum haud mitigavit, accendit magis Drusillæ obitus,[4] quam Princeps ex sororibus suis maxime deperibat.[5] Cassio Longino[6] olim collocatam, deinde M. Lepido nuptam, abduxerat; ausus que exterorum regum[7] exemplo in modum uxoris accipere, hæredem bonorum omnium atque imperii æger instituerat. Mortuam vesano mœrore prosecutus 'justitium'[8] quidem, 'funusque publicum' edixit: at eadem in luctu, ac in libidine, animi intemperie, nec exequiis interfuit, nec justa sorori persolvit: pudoris ita oblitus, ut, dum Urbis planctu omnibusque tristitiæ imitamentis funerabatur, a M. Lepido laudata, ipse in Albano suo[9] tesseris, ac foro, aliisque idem levitatis occupationibus, indecora captaret solatia.[10]

Idem Philo, in Flaccum, p. 967. *πανοίκιος αὐτῇ γυναικὶ καὶ τέκνοις συναναιρεθείς*: 'Excisus una cum uxore atque liberis.'

1 *Senatoribus maxime*] Hæc et sequentia Sueton. in Caio, XXX. Dio, LIX. p. 648.

2 *Crematos simulaverat*] Supra cap. 8.

3 *Morbumque*] Si quis enim, dum Caius morbo, ut dictum est supra cap. 1. laboravit, aliquem convivio excepisset, aut salutasset, aut ipse lavisset, id crimini dabatur. Dio, LIX. p. 648.

4 *Drusillæ obitus*] Sueton. in Caio, XXIV. Dio, LIX. p. 648. Vide Stem. Cæs. n. 95.

5 *Maxime deperibat*] Sueton. in Caio, XXIV. 'Cum omnibus sororibus suis stupri consuetudinem fecit—Ex his Drusillam vitiasse virginem prætextatus adhuc creditur.'

6 *Cassio Longino*] De Longino et Lepido, Drusillæ conjugibus, vide Stem. Cæs. n. 96. et 54.

7 *Exterorum regum*] Regum Orientis.

8 *Justitium*] Novum prorsus ac ferale. Teste enim Suetonio in Caio, XXIV. 'Eadem defuncta, justitium indixit: in quo risisse, lavisse, cœnasse cum parentibus, aut conjuge, liberisve, capitale fuit.'

9 *Albano suo*] In Albano agro, ob Urbis vicinitatem agrique delicias, fuere Principum procerumque villæ.

10 *Captaret solatia*] Senec. Consol. ad Polyb. XXXVI. 'C. Cæsar, amissa

33. Mox doloris impatiens, et ab hominum convictu profugus, barba capilloque promisso, Italiæ ac Siciliæ oras errabundus permetitur: mutato dein consilio,[1] Syracusis propere Romam redit, certus non lugendam, sed colendam sororem. Quicquid honorum senatus Liviæ tribuerat, statim Drusillæ collatum;[2] statutumque 'ut cœlestes religiones[3] haberet: aurea ejus effigies poneretur in curia; altera foret in æde Veneris, majestate ac cultu haud impar: templum quoque ipsi dicaretur: statuas mulieres æque ac viri consecrarent: per ejus nomen jurarent fœminæ: diesque natalis ludis, Megalesium[4] similibus, senatus et equitum epulo celebraretur.'[5]

34. Per Urbem ac provincias[6] percrebuit Drusillæ honos.

sorore Drusilla, is homo qui non magis dolere quam gaudere principaliter posset, conspectum conversationemque civium suorum profugit, exequiisque sororis suæ non interfuit, justa sorori non præstitit, sed in Albano suo tesseris, ac foro, et provocatis hujusmodi aliis occupationibus, acerbissimi funeris levabat mala. Proh pudor imperii! Principis Romani lugentis sororem, alea solatium animi fuit. Idem ille Caius furiosa inconstantia, modo barbam capillumque submittens, modo Italiæ ac Siciliæ oras errabundus permetiens, et nunquam satis certus utrum lugeri vellet, an coli sororem. Eodem enim tempore, quo templa illi constituebat ac pulvinaria, eos qui parum mœsti fuerant, crudelissima afficiebat animadversione. Eadem enim intemperie animi adversarum rerum ictus ferebat, qua secundarum elatus eventu, supra humanum intumescebat modum.'

1 *Mutato dein consilio*] Sueton. in *Caio*, XXIV. '*Mœroris impatiens*, cum repente noctuque profugisset ab Urbe, transcurrissetque Campaniam, Syracusas petiit. Rursusque inde propere rediit, barba capilloque promisso. Nec unquam postea, quantiscumque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites, nisi per numen Drusillæ dejeravit.'

2 *Drusillæ collatum*] De his honoribus ac veneratione vide Dionem, LIX. p. 648.

3 *Cœlestes religiones*] Ejus divinitatem testatur nummus ex ære magno apud P. Pedrusi, *I Cesari*, Vol. VI. p. 67. DIVA DRVSILLA SOROR C. CAESARIS AVG. Caput Drusillæ. Ex adversa parte, IVLIA DRVSILLA F. C. CAESARIS AVGVSTI. In medio cornu unde exeunt spicæ et caput puellæ. Puella hæc est Cæsoniæ et Caii filia, ob Drusillæ memoriam Drusilla et ipsa appellitata. Ex nummo tamen ferme simili, quem laudavit Patinus in Sueton. p. 218. existimant eruditi Academici Herculanenses, *Antichità di Ercolano*, Vol. V. p. 190. Juliam hanc Drusillam filiam esse Divæ Drusillæ et Caii Caligulæ. Huc trahunt verba Eutropii, VII. 12. 'Stupra sororibus intulit; ex una etiam natam filiam cognovit.'

4 *Megalesium*] De ludis Megalesiis dictum est Annal. III. 6.

5 *Celebraretur*] Hæc omnia Dio, loc. cit.

6 *Ac provincias*] In nummis Milesiorum, ΘΕΑ ΔΡΟΥΣΙΛΛΑ ΜΙΛΗΣΙΩΝ. 'Diva Drusilla.' Nummus 'Milesiorum,

Nec puduit Livium Geminium,[1] senatorem, maxima asseveratione in senatu jurare 'se eam cœlum ascendentem vidisse.' Licet ceteri deliramentum, adulationemve irriderent,[2] decies sestertium[3] donatus est, pari Principis ac senatoris opprobrio. Quod vero hactenus inauditum, in civium funera cessit religio:[4] si enim Divam læti colerent, in eos, uti ob mortem hilares, advertebatur; si mœrerent, quasi numini parum devoti, plectebantur: ineluctabile utrimque fuit discrimen.

35. In hac furiosa inconstantia Princeps, firmus libidinum, Lolliæ Paullinæ[5] subito amore exarsit. Avitarum opum haud minus, quam formæ, appetens, eam, Memmio Regulo, consulari,[6] tum exercitus rectori,[7] nuptam, ex provincia evocavit; perductamque a marito, ut illa, veluti patrio jure,[8] cederet, sibi conjunxit. Singulari rapinarum fœdere, solennis nuptiarum apparatus imperii Romani et Orientis divitias explicavit. Princeps prodigus corrasos cædibus ac proscriptionibus thesauros ostentabat: uxor smaragdis, margaritis, aliisque provinciarum spoliis, regumve Orientis muneribus, ab avo M. Lollio[9] per nefas quæsitis, onusta spectabatur.

apud Harduinum, Select. Opera, p. 107.

1 *Livium Geminium*] De hoc deliro, aut propudioso, homine vide Dionem, LIX. p. 648.

2 *Irriderent*] Mortales illi Dei, stultæque consecrationes quantum irriderentur, docet Seneca in Apocolocynt. 'Quærite ab eo, qui Drusillam euntem in cœlum vidit—Velit, nolit, necesse est illi omnia videre, quæ in cœlo agantur. Appiæ viæ curator est: qua scis et Divum Augustum, et Tiberium Cæsarem ad Deos isse. Hunc si interrogaveris, soli narrabit: coram pluribus nunquam verbum faciet. Nam ex quo in senatu juravit se Drusillam vidisse cœlum ascendentem, et illi pro tam bono nuntio nemo credidit quid viderit, verbis conceptis affirmavit se non indicaturum etiamsi in medio foro hominem vidisset occisum.'

3 *Decies sestertium*] Angl. 8333*l.* 6*s.* 8*d.*

4 *Religio*] Hæc et seq. Dio, LIX. p. 648.

5 *Lolliæ Paullinæ*] De ejus nuptiis Suetonius in Caio, XXV. Dio, LIX. p. 648. Vide et Stem. Cæs. n. 89.

6 *Consulari*] Consul Sejanum oppresserat, ut diximus in Suppl. Annal. V. 34.

7 *Exercitus rectori*] Ut videtur, Syriæ præposito: ille sane est, cui datum est negotium Jovis Olympii simulacrum e Græcia Romam asportandi. Joseph. Antiq. Judaic. XIX. 1. Sueton. loc. cit.

8 *Patrio jure*] Jus illud novum, quo mariti uxoribus, tanquam patres filiabus, cedebant, reperit Augustus, ut Liviæ nuberet. Vide Dionem, XLVIII. p. 383. Ejus exemplo 'Caius Memmii Reguli uxorem duxit impellens eum, ut uxoris suæ patrem esse se scriberet,' Euseb. in Chron.

9 *Ab avo M. Lollio*] Avi neptisque

36. Male ominata connubii gaudia excepit digna vetere Roma, melioribusque temporibus scena. Caius, exteris, quam domesticis, rebus intentior, gentes ac regna diribuit:[1] nihilque priscæ majestatis omissum. Ipse enim inter consules sellæ curuli in foro insidens,[2] velis sericis, ut quidam prodidere, interjectis,[3] recitatoque senatusconsulto, Ituræam[4] Sohemo assignavit: Cotyi[5] Armeniam minorem dedit: Rhœmetalci[6] Thraciam, ipsum inter et Cotyn antea divisam, integram permisit: Polemonem paterno regno[7] donavit.

37. Placitum quoque ut Agrippa,[8] Principi intimus, acceptum anno superiore regnum inviseret, sponsione prius facta, se, ubi primum per negotia liceret, Romam reversurum. Puteolis[9] profectus, Etesiis flantibus,[10] Alexan-

infamiam *execratur Plinius*, IX. 35. '*Lolliam* Paullinam, quæ fuit Caii Principis matrona, ne serio quidem, aut solenni cærimoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cœna, vidi smaragdis margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, spira, auribus, collo, monilibus, digitisque, quæ summa quadringenties HS. (Anglice 333,333*l.* 6*s.* 8*d.*) colligebat: ipsa confestim parata mancupationem tabulis probare. Nec dona prodigi Principis fuerant, sed avitæ opes, provinciarum scilicet spoliis partæ. Hic est rapinarum exitus: hoc fuit quare M. Lollius infamatus regum muneribus in toto Oriente, interdicta amicitia a Caio Cæsare Augusti filio, venenum biberet, ut neptis ejus quadringenties HS operta spectaretur ad lucernas. Computet nunc aliquis ex altera *parte*, quantum Curius aut Fabricius in *triumphis* tulerint: imaginetur eorum fercula, et ex altera parte *Lolliam*, unam imperii mu*lierculam* accubantem: non illos curru detractos, quam in hoc vicisse *malit*.'

1 *Diribuit*] Distribuit. Sic de populo Romano Plinius, XXXIII. 15. 'Hic est ille terrarum victor, et totius domitor orbis, qui gentes et regna diribet, jura externis mittit, Deorum quædam immortalium generi humano portio.'

2 *In foro insidens*] Hæc omnia prodidit Dio, LIX. p. 649.

3 *Interjectis*] Forte ut Caius a sole defenderetur, aut ob Principis reverentiam, et ut excluderetur turba.

4 *Ituræam*] Arabiæ desertæ vicinam. Vide quæ dicta sunt supra cap. 11. et Annal. XII. 23. Eos Ituræos Arabas appellat Dio, loc. cit. Σωαίμῳ μὲν τὴν τῶν Ἰτουραίων τῶν Ἀράβων—ἀρχὴν ἐχαρίσατο: 'Sohemo Ituræorum Arabum regnum dedit.'

5 *Cotyi*] Antea Thraciæ partem obtinebat, ut dictum est Annal. II. 67.

6 *Rhœmetalci*] Filio Rhescuporidis, de quo Annal. II. 67.

7 *Paterno regno*] Regno Pontico et Bosphorano. De ejus patre, Polemone I. dictum Annal. II. 56. De utriusque Polemonis nummis et historia consule eruditum Cary, *Histoire des Rois du Bosphore*, p. 37. et 50. Vide et dicenda infra in Suppl. Annal. IX. 20.

8 *Ut Agrippa*] De quo supra cap. 11.

9 *Puteolis*] Nunc *Pozzuolo*, in Campania.

10 *Etesiis flantibus*] Etesiæ paulo

driam petiit;[1] eum comiter excepit Flaccus Avillius Ægypti præses: at dignitatis invidus,[2] infensusque Judæis, animos plebis, in exterorum irrisionem promtæ, forte incendit, certe non coërcuit. Eo crevit insolentia, ut, regem illusuri, quendam insanum, nomine Carabam, regio ornatu et comitatu extollerent, Marinque salutarent.[3]

38. Atrocitates privatis hominibus, nedum regibus, intolerandas acuere dira adversum Judæos,[4] Alexandriæ incolas, patrata facinora. Querebantur 'pollutas proseuchas;[5] domos direptas; omnes fortunis deturbatos; gentis senatores verberibus cæsos; e populo plurimos occisos, flammatos;[6] se etiam a præside impeditos, ne Principem de honoribus, quos ei publice decreverant, certiorem facerent.[7] Nihil denique crudelitatis intentatum, ut gens, vitæ integra, Cæsarum reverens, periret.' Agrippa, sua offensione, popularium calamitate exacerbatus, omnia Caio renuntiavit.[8]

39. Haud expectato, uti moris erat, cœptæ administrationis fine,[9] Princeps statim misit Bassum[10] cum cohorte, qui Flaccum comprehenderet, Romamque perduceret.

ante exortum Caniculæ flare incipiunt. Vide quæ de iis dicta sunt Annal. VI. 33.

1 *Alexandriam petiit*] Agrippæ iter, sceleraque Flacci Avillii fuse descripsit Philo, in Flaccum, p. 965. et seq.

2 *Dignitatis invidus*] Rex erat Agrippa, et a senatu prætoriis insignibus honoratus. Philo, in Flaccum, p. 970.

3 *Marinque salutarent*] Philo, ibid. Ἐξήχει βοή τις ἄτοπος, Μάριν ἀποκαλούντων· οὕτως δέ φασιν τὸν κύριον ὀνομάζεσθαι παρὰ Σύροις· ᾔδεσαν γὰρ Ἀγρίππαν καὶ γένει Σύρον, καὶ Συρίας μεγάλην ἀποτομὴν ἔχοντα, ἧς ἐβασίλευσε: 'Exortæ voces plurimæ et confusæ, Marin clamantium: sic enim inquiunt dominum a Syris appellari. Noverant enim Agrippam esse Syrum genere, et in magna Syriæ parte regnare.'

4 *Judæos*] Tanta erat Alexandriæ Judæorum multitudo, ut hos inter, ceterosque incolas urbs esset divisa, teste Philone, in Flaccum, p. 971. De Judæorum numero in Ægypto diximus supra.

5 *Proseuchas*] Vetus Scholiastes Juvenalis, III. 296. '*Proseucha:* locus Judæorum, ubi orant.' Philo, Legat. ad Caium, p. 1014. Proseuchæ, in quibus cœtus faciunt, præsertim sabbatis, juxta religionem patriam. Proseuchas illas nunc dicimus *Synagogues.*

6 *Occisos, flammatos*] Hæc omnia scelera, præsidis edictis firmata, lacrymabundus narrat Philo, in Flaccum, p. 973. 974. 975. et seq.

7 *Certiorem facerent*] Philo, in Flaccum, p. 979.

8 *Renuntiavit*] Philo, in Flaccum, p. 980.

9 *Administrationis fine*] Philo, ibid. et p. 981.

10 *Bassum*] Philo, ibid. Βάσσος ἑκατοντάρχης: 'Bassus centurio.'

Centurio, Pharum[1] advectus, Alexandriam clanculum ingreditur, Flaccumque imparatum et convivantem[2] circumvenit, stupentibus omnibus, Judæis eo lætioribus, quod scelerum pœna in diem festum,[3] primoribus gentis in vincula conjectis, omissum, incidisset. Turbida maris perpessus; ne quid adhuc acerbitatis deesset, accusatores criminum, quos olim suasores habuerat, Lamponem et Isidorum[4] in Urbe reperit.

40. Præter criminationes ab Agrippa Judæisque oblatas, 'Tiberii benevolentia,[5] pro nepote[6] vota, Macronis familiaritas;[7] eo superstite, spes; occiso, tristitia; antea non male, posthac ob vetera in Caium odia[8] pessime administrata provincia,' aliaque plurima objectabantur. Jamque Flaccum in insulam *Gyarum*[9] relegandum censebant, cum, deprecante M. Lepido,[10] Andrum,[11] bonis Principi sepositis,[12] deportatus est.

1 *Pharum*] The Pharos of Alexandria. 'E turri nocturnis ignibus cursum navium' regebat. Plin. v. 31.

2 *Convivantem*] Convivabatur apud Stephanionem, Tiberii Principis libertum. Philo, in Flaccum, p. 981.

3 *In diem festum*] Dies ille festus erat *Scenopegia*, de quo D. Joannes, VII. 2. et Moses, Levit. XXIII. 34. seu solenne Tabernaculorum, quod a die 15. mensis Tisri per dies septem celebrabatur. Philo, in Flaccum, p. 982. Ἑορτὴ μὲν γὰρ ἦν πάνδημος τοῖς Ἰουδαίοις κατὰ τὴν μετοπωρινὴν ἰσημερίαν, ἐν ᾗ διάγειν Ἰουδαίοις ἔθος ἐν σκηναῖς: 'Solenne erat, quod populariter celebrant Judæi per autumni æquinoctium, exstructis sub dio tabernaculis.' Inde autem manifeste patet quo tempore comprehensus fuerit Avillius, et Romam perductus.

4 *Lamponem et Isidorum*] Philo, in Flaccum, p. 983.

5 *Tiberii benevolentia*] Olim inter Tiberii amicos fuerat Flaccus; et post mortem Severi ante sexennium Ægypto præpositus. Philo, in Flaccum, p. 965. et 987.

6 *Pro nepote*] Pro Tiberio, Tiberii nepote, Drusi filio; de cujus cæde dictum supra cap. 21. Philo, in Flaccum, p. 966.

7 *Macronis familiaritas*] Philo, ibid. p. 967. De Macronis exitio supra cap. 30.

8 *Vetera in Caium odia*] Quondam enim Agrippinam, Caii matrem, accusaverat. Philo, in Flaccum, p. 966.

9 *Gyarum*] Ægæi maris insulam, nunc *Joura*. De qua dictum Annal. III. 68.

10 *M. Lepido*] De quo supra cap. 32. Philo, in Flaccum, p. 987.

11 *Andrum*] Ægæi maris insulam, nunc *Andros*.

12 *Principi sepositis*] Cum enim locupletissimus esset Flaccus, et exquisitæ supellectilis curiosus, licet plurimorum damnatorum bona sub hasta fuissent vendita, solius Flacci omnia Imperatori sunt seposita, exceptis paucis quibusdam, ne lex de damnatis lata violaretur. Philo, in Flacc. p. 986.

41. Dum Senatus, punitis grassationibus, provinciarum tranquillitati consulebat, Princeps Urbis decora, publicos usus, privatasque voluptates, novo artis miraculo promovebat. Majora enim, quam Q. Marcius Rex,[1] et avus suus Agrippa, molitus, arcus exstrui,[2] montes perfodi, convalles æquari jussit, ut a lapide quadragesimo Cœruleus et Curtius fontes, a sexagesimo Aniene nova in Urbem perducerentur, et ad eam excelsitatem levarentur, ut in omnes ejus montes ad balinea, piscinas, domos, euripos, hortos, suburbana, villas, influerent. Quæ quidem, quanto acrius suscepta, tanto levius omissa, maxima cum laude peregit Claudius.

42. Iis temporibus periere duo ætatis suæ decora, Antonia et Julius Græcinus. Illa Antoniæ, Octaviæ, et Claudiæ familiarum nobilitatem complexa,[3] mariti et filii[4] laudibus eminentissima, viduitatis sanctitate[5] illustrior extitit: sortis

1 Q. *Marcius Rex*] Quantam operam Q. Marcius Rex, prætor A. U. 610. M. Agrippa, ædilis A. U. 721. in reficiendis adjiciendisve aquarum ductibus posuerint docet Plinius, xxxvi. 15. n. 9.

2 *Arcus exstrui*] Plinius, xxxvi. 15. n. 10. 'Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis inchoati a Caio Cæsare, et peracti a Claudio. Quippe a lapide quadragesimo ad eam excelsitatem, ut in omnes Urbis montes levarentur, influxere Curtius atque Cœruleus fontes. Erogatum in id opus sestertium LV.D. (Angl. 458,333*l.* 6*s.* 8*d.*) Quod si quis diligentius æstimaverit aquarum abundantiam in publico, balineis, piscinis, domibus, euripis, hortis, suburbanis, villis, spatioque advenientis exstructos arcus, montes perfossos, convalles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum.' De his aquæductibus Frontinus, de Aquæduct. Romæ, Libr. I. 'C. Cæsar, qui Tiberio successit, cum parum et publicis usibus et privatis voluptatibus septem ductus aquarum sufficere viderentur, altero imperii sui anno, M. Aquilio Juliano, P. Nonio Asprenate Coss. A. U. C. 790. duos ductus inchoavit: quod opus Claudius magnificentissime consummavit, dedicavitque, Sulla et Tutiano coss. anno, post U. C. 800. 6. Kal. Augusti.' Huc spectant Inscriptiones, quæ Romæ extant. At ob loci opportunitatem juvat eas in hujus libri calcem conjicere, quas ibi vide p. seq.

3 *Nobilitatem complexa*] Vide Stem. Cæs. n. 42.

4 *Mariti et filii*] Neronis Claudii Drusi mariti; Germanici filii. Vide Stem. Cæs. n. 79. et 81.

5 *Viduitatis sanctitate*] Valer. Maxim. IV. 3. 'Antonia quoque fœmina laudibus virilem familiæ suæ claritatem supergressa, amorem mariti egregia fide pensavit: quæ post ejus excessum, forma et ætate florens, cubiculum socrus pro conjugio habuit: in eodemque toro alterius adolescentiæ vigor extinctus est, alterius viduitatis experientia consenuit. Hoc cubiculum talibus experimentis finem imponat.'

humanæ claritatem supergressura, si Caium[1] nepotem non habuisset. Eum imperio servavit, naturæ obsequens: dum valuit, optimum Principem fecit: in dominationis libidines præcipitem, aviæ monita declinantem,[2] et erumpentem in ferale effatum, 'memento omnia mihi, et in omnes licere,'[3] haud perpessa, tædio contabuit, vel, dato, ut quidam putant, veneno, occubuit: morte æque ac vita celebris; negatis post mortem honoribus, fama celebratior.

43. Julius Græcinus fuit dignitate, non virtute, impar: eloquentiæ et sapientiæ studiis, animi excelsitate, luxus contemtu, incorrupta libertate egregius: senator, civisque melior, quam esse quenquam Caio expediret, ab eo interfectus est, quod, jussus M. Silanum,[4] nullius criminis noxium, accusare, abnuerat. In tanta vitæ mortisque laude, majorem adhuc, ob egregias filii sui Cn. Julii Agricolæ[5] virtutes, gloriam assecutus. Tristius periit Passienus,[6] hæredis suæ fraude enectus.

1 *Caium*] Caligulam.

2 *Monita declinantem*] Sueton. in Caio, XXIII. 'Aviæ Antoniæ secretum petenti denegavit, nisi ut interveniret Macro præfectus. Ac per istiusmodi indignitates et tædia, causa extitit mortis: dato tamen, ut quidam putant, et veneno. Nec defunctæ ullum honorem habuit: prospexitque e triclinio ardentem rogum.'

3 *Licere*] Sueton. in Caio, XXIX.

4 *M. Silanum*] De quo supra cap. 23.

5 *Filii sui—Agricolæ*] Vide Tacitum, Vit. Agr. IV.

6 *Passienus*] Euseb. in Chronic. 'Passienus filius fraude hæredis suæ necatur.' Pater ejus Crispus Passienus laudatur a Seneca, Natural. Quæstion. IV. præfat. Vide et Stem. Cæs. n. 94.

AQUÆ CLAUDIÆ INSCRIPTIONES, quæ extant Romæ in porta Nævia, nunc *Porta Maggiore*. Arcum, cui sunt incisæ, vide apud Cl. Piranesi, *Antichita Romane*, vol. I. Tabul. XXXVII. n. 2.

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAISAR. AVGVSTVS. GERMANICVS. PONTIF. MAXIM.
TRIBVNICIA. POTESTATE XII. COS. V. IMPERATOR. XXVII. PATER. PATRIAE.
AQVAS. CLAVDIAM. EX. FONTIBVS. QVI. VOCABANTVR. CAERVLEVS. ET. CVRTIVS. A. MILLIARIO. XXXXV
ITEM. ANIENEM. NOVAM. A. MILLIARIO. LXII. SVA. IMPENSA. IN. VRBEM. PERDVCENDAS. CVRAVIT
IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVGVST. PONTIF. MAX. TRIB. POT. II. IMP. VI. COS. III. DESIG. IIII. P. P
AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA. INTERMISSAS. DILAPSASQVE

PER. ANNOS. NOVEM. SVA. IMPENSA. VRBI. RESTITVIT

IMP. T. CAESAR. DIVI. F. VESPASIANVS. AVGVSTVS. PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNIC

POTESTATE. X. IMPERATOR. XVII. PATER. PATRIAE. CENSOR. COS. VIII

AQVAS. CVRTIAM. ET. CAERVLEAM. PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO. ET. POSTEA A. DIVO. VESPASIANO. PATRE. SVO. VRBI. RESTITVTAS. CVM. A. CAPITE. AQVARVM. A. SOLO. VETVSTATE. DILAPSAE. ESSENT. NOVA. FORMA. REDVCENDAS. SVA. IMPENSA. CVRAVIT.

SUPPLEMENTUM

LIBRI OCTAVI

ANNALIUM C. C. TACITI.

AUCTORE GABRIELE BROTIER.

BREVIARIUM LIBRI.

1. Mutua Principis et populi Romani odia. 2. Caius, vana auri spe illusus, sceleribus opes quærit. 4. Ejus prodigalitas, et in equi honoribus insania. 5. Fortunæ omnes eversæ. 6. Atroces in senatum criminationes. 8. Imminentem ruinam patres adulatione avertunt. 9. Stulta Principis consilia: pons Puteolanus; triumphatumque mare. 15. Tum Caius, Xerxe major, Alexandrum cruenta ebrietate æmulatur. 16. Non jam in opes, sed in vitas involat. 17. Herodes, Galilææ tetrarcha, ejusque uxor Herodias, regni cupidine, in exitium ruunt. 19. Mox ipsa ingenia in pœnas vocata; ideoque rei Seneca et Domitius Afer. 21. Comitia e campo ad senatum iterum translata. Multata Africa. 22. Caius, obtrita Italia, ad Gallias Hispaniamque animum convertit, obtentu Germanicæ expeditionis. 23. Vana *belli* imago, turpisque pavor. 25. Falsa victoria, Romæ tamen et in provinciis celebrata. 27. Adversus Principem conjurationes. Ob id Lentulus Gætulicus et Æmilius Lepidus morte, Julia et Agrippina exilio, puniuntur. 29. Caius consulatum Lugduni solus init. 31. Ibi literarios edit ludos. 32. Lucrosa, sed

fœda, negotiatio. 34. Ptolemæus vita, Antiochus regno, orbati. Mithridates in vincula conjectus. 35. Expilatis Galliis, Britannica expeditio suscepta, et ridicule acta. 38. Princeps a Brinione, Canninefate, irridetur. 39. Triumphi apparatus. 40. Atrocia adversus Germanicas legiones consilia, impedita Principis ignavia. 41. Nova adversus senatum odia. 42. Caius ovans Urbem ingreditur. 43. Conjuratio prodita. Sexti Papinii aliorumque supplicia. 47. Princeps, formidine excruciatus, discordia securitatem molitur. 49. Senatus, luctu amens, in suos sævit. 50. Honores Caio decreti. 51. Deus appellatur. 52. Deum quoque se fingit, et colitur, hominibus Diisque iniquus. 56. Judæorum legatio. 57. Petronius Caii colossum in templo Hierosolymitano ponere jubetur. 59. Hac de re Agrippæ preces. 60. Judæorum legati ad orandam coram Principe causam admissi et irrisi. 66. Apelles malarum artium pœnas luit. Pontius Pilatus se ipse perimit. 67. Vulgata portenta. 68. Cassius Chærea adversus Principem conspirat. 71. Conjuratorum consilia et metus. 79. Chærea Caium interficit. 80. Caii forma et mores.

Hæc triennio gesta

A. U.	J. C.		
DCCXCII.	39.	Coss.	C. Cæsare Augusto II. L. Apronio Cæsiano.
DCCXCIII.	40.	Cos.	C. Cæsare Augusto III.
DCCXCIV.	41.	Coss.	C. Cæsare Augusto IV. Cn. Sentio Saturnino.

CAIO Cæsare secundum et L. Apronio Cæsiano consulibus,[1] mutua Principis et populi Romani odia exarsere.[2]

1 *Consulibus*] C. Cæsar II. et L. Apronius Cæsianus consules fuere A. U. 792. J. C. 39. In vetere lapide apud Cl. Muratori, Thesaur. Inscript. vol. I. p. 303.

CAESARE AVG. GERMANICO
L. APRONIO CAESIANO COS.

2 *Odia exarsere*] Hæc pluribus Dio,

Populus, stultæ lætitiæ turpisque patientiæ pertæsus, ludos sanguine suo imbutos horrere, dominationis licentiam arguere, invisum delatorum genus incessere. Princeps, exercitatus in audaciam, juratas leges spernere, diurna, nocturna, semper cruenta, spectacula iterare, cuncta trahere in crimina, cogitationes ac curas ad suam securitatem et servitutem publicam convertere.

2. Iis dissensionibus utrimque certabatur, cum Caius, spectaculorum solitudine atrox,[1] consulatu se abdicavit pridie Calendas Februarii;[2] suffectoque Sanquinio Maximo,[3] Urbis præfecto, in Campaniam secessit.[4] Dein Romam regressus, ut Drusillæ diem natalem celebraret,[5] ad majorem ludorum insaniam provolvitur:[6] nec minori pecunias parandi cupidine flagrabat. Sed delusa aurum faciendi spe,[7] quam fallax hominum genus, Principibus in portentosas novitates ultro præcipitibus amicum, inflaverat, ad notas certasque prædandi artes animum advertit. Antea jam edictum, 'ut omnes, qui Tiberium hæredem destinas-

LIX. p. 649. 'Eratque tum videre et audire ea, quæ solent iratus alter alteri, repugnantes, loqui ac facere, quanquam dispari conditione.' Καὶ ἦν καὶ ἀκούειν καὶ ὁρᾶν, οἷα ἂν ἐν τῷ τοιούτῳ ὁ μὲν ὀργιζόμενος, οἱ δ' ἀνταγωνιζόμενοι, καὶ εἴποιεν καὶ πράξοιεν.

1 *Spectaculorum solitudine atrox*] Dio, ibid. Spectaculorum continuatio, ipsaque Principis atrocitas, qui ibi quam maxime et in omnes sæviebat, solitudinem fecerant. Vide et Sueton. in Caio, XXVI.

2 *Pridie Calendas Februarii*] Sueton. in Caio, XVII. Secundum consulatum gessit 'ex Calendis Januarii per triginta dies.'

3 *Sanquinio Maximo*] Dio, *ibid.*

4 *In Campaniam secessit*] Dio, LIX. p. 650.

5 *Diem natalem celebraret*] Dio, ibid.

6 *Provolvitur*] Drusillæ simulacrum curui impositum in Circum elephantis invexit. Biduo gratuita spectacula edidit, quibus quingenti ursi, totidemque Africanæ belluæ interemtæ. Simul multis in locis pancratiastarum certamina addidit: populoque, senatoribus, et eorum uxoribus epulum dedit. Dio, ibid.

7 *Aurum faciendi spe*] De qua Plinius, XXXIII. 4. 'Aurum faciendi est etiam una ratio ex auripigmento, quod in Syria foditur pictoribus, in summa tellure, auri colore, sed fragili lapidum specularium modo. Invitaveratque spes Caium Principem avidissimum auri, quamobrem jussit excoqui magnum pondus: et plane fecit aurum excellens, sed ita parvi ponderis, ut detrimentum sentiret; illud propter avaritiam expertus, quanquam auripigmenti libræ XIIII. permutarentur, nec postea tentatum ab ullo est.' Curiositate an aviditate, id certe et nostra ætate et prioribus sæculis a plurimis Principibus, haud feliciore exitu, tentatum. Auripigmentum appellamus *Orpiment.*

sent, morituri bona Caio legarent:'[1] additum, 'testamenta primipilarium,[2] qui a Germanici triumpho[3] ad id temporis Principem hæredem non reliquissent, ut ingrata, rescindi.' Acrius sævitum in mancipes,[4] ceterosque viarum curatores, quos, quasi publicas pecunias in usus suos corrupissent, fortunis exturbavit Cn. Domitius Corbulo,[5] iisdem damnationibus, superiore principatu, infamatus.

3. Haud puduit ipsum Principem, revocato veteri more 'ut duo prætores[6] gladiatoria munera sortirentur,' ludos licitari:[7] gladiatores (facta cuivis copia, plures, quam per leges fas erat, emendi) consulibus, prætoribus, ditissimis quibusque, volentibus aut invitis, vendidit,[8] pretia usque eo extendens, ut nonnulli emere coacti, et bonis exuti, venas sibi inciderent:[9] fraudulenter etiam irrepebat, uti compertum de Aponio Saturnino,[10] quem cum Caius inter subsellia dormitantem vidisset, præconem monuit, 'ne prætorium virum crebro capitis motu nutantem sibi præteriret.' Nec licendi finis factus, quoad tredecim gladiatores sestertium nonagies[11] vix expergito, et ignoranti, addicerentur. Nondum rapacitati satis: gladiatores, equos, agitatores, venditos veneno enecabat,[12] ut alios emtitare cogeret.

4. Hanc quoque luxuriæ vesaniam laudibus, studiis, ac præmiis incendebat: ipse Prasinæ factioni[13] ita addictus,

1 *Bona Caio legarent*] Dio, LIX. p. 651.

2 *Testamenta primipilarium*] Ita Sueton. in Caio, XXXVIII. Non modo *primipilarium*, qui præcipui erant centuriones, sed centurionum omnium, si fides habenda Dioni, ibid. testamenta rescidit.

3 *A Germanici triumpho*] Ita totidem verbis Dio, ibid. Haud ita probabiliter Suetonius, ibid. 'ab initio principatus Tiberii.' Germanicus, Caii Caligulæ pater, de Cheruscis, Cattis, quæque aliæ nationes usque ad Albim colunt, triumphavit A. U. 770. ut dictum est Annal. II. 41.

4 *In mancipes*] De mancipibus curatoribusque viarum dictum Annal. III. 31.

5 *Cn. Domitius Corbulo*] Senator. Dio, LIX. p. 651. testatur eum pudendis his artibus ad consulatum fuisse evectum. De Corbulone jam dictum, Annal. III. 31. Vide et infra Suppl. Annal. IX. 44.

6 *Ut duo prætores*] Dio, LIX. p. 650.

7 *Ludos licitari*] Dio, ibid.

8 *Vendidit*] Dio, ibid.

9 *Venas sibi inciderent*] Sueton. in Caio, XXXVIII.

10 *Aponio Saturnino*] Id totidem erme verbis narrat Suetonius, loc. cit.

11 *Sestertium nonagies*] Angl. 75,000*l.*

12 *Veneno enecabat*] Dio, LIX. p. 650.

13 *Prasinæ factioni*] Sueton. in Caio,

ut in ejus stabulo assidue cœnaret, et agitatori Eutycho,[1] comessatione quadam in apophoretis[2] vicies sestertium[3] conferret. Cum vero in libidine nunquam sit modus, equum suum, quem *Incitatum* appellabat,[4] civilibus honoribus extulit. Præter equile marmoreum, et præsepe eburneum, purpureaque tegumenta, ac monile e gemmis, domum quoque et familiam et supellectilem dedit, quo lautius nomine ejus invitati exciperentur. Quandoque etiam eum ad cœnam vocabat, inaurato hordeo apposito, vinoque poculis aureis ministrato: per ejus salutem et famam jurabat; consulque destinabatur, magna Principis, majore adulatorum infamia.

5. Hæc tamen modica, et in paucorum deridiculum ruinamve inventa. At successu inescatus, omniumque opibus inhians, viros, fœminas, omnes sine ullo discrimine divites corripuit.[5] Excogitataque mali remedia exitium properavere. Cum enim, injecto metu, ab ignotis inter

LV. Circensium agitatorum factiones tunicarum coloribus erant distinctæ: unde alii Albati, *the white*; Russati, *the red*; Prasini, *the green*; Veneti, *the blue party*, dicebantur. Hos colores uno versu complexus est Sidonius, Carm. XXIII. 323. 'Micant colores Albus, vel Venetus, virens, rubensque.' Rem hanc ludicram egregie illustrat vetus lapis ab erudito Sirmondo laudatus in notis ad Sidonium, p. 160.

M. AVR. POLYNICES NAT. VERNA. QVI VIXIT ANN. XXIX. MENS IX. DIEBVS V. QVI VICIT PALMAS N. DCCXXXIX. SIC. IN RVSSEO. N. DCLV. IN PRASINO LV. IN VENETO XII. IN ALBON. XVII. PRAEMIA XXXX. N. III. XXX. XXVI. PVRA N. XI. OCTOIVG. N. VIII. DEC. N. VIIII. SEIVG. N. III.

N. intellexerim tum de numero victoriarum, tum de numero locoque, quem obtinebat inter agitatores, qui octojugibus, decemjugibus, sejugibus vicere. PVRA de bijugibus acceperim.

1 *Agitatori Eutycho*] De quo Joseph. Antiq. Judaic. XIX. 4. n. 4. Haud ita probabiliter apud Suetonium, loc. cit. *Cythico*.

2 *In apophoretis*] Apophoreta, munera erant, quæ convivii dominus convivis dabat. Sic Antoninus Heliogabalus, vitæ fœditate, ac morte, Caio haud absimilis, apud Lampridium, XXI. 'Eunuchos pro apophoretis dedit: dedit quadrigas, equos, stratos, mulos, basternas et rhedas; dedit et aureos millenos, (*Angl.* 1000*l.*) et centena pondo argenti,' Angl. 300*l.*

3 *Vicies sestertium*] Angl. 17,000*l.*

4 *Incitatum appellabat*] Has Principis insanias memorant Suetonius in Caio, LV. Dio, LIX. p. 650. et 651.

5 *Divites corripuit*] Dio, LIX. p. 651. Sueton. in Caio, XXXVIII. Eo astu usus, teste Suetonio, ut omnium irrita vanaque testamenta pronuntiaret, 'quoscumque quis diceret hærede Cæsare mori destinasse,' Inde excogitata illa testamenta, quibus passim palamque hæres scribebatur: at nova malorum causa

familiares, a parentibus inter liberos passim hæres nuncuparetur, quanto formidolosior, tanto atrocior, *derisores* vocitabat,[1] qui post supremas tabulas vivere pergerent, multisque venenatas macteas[2] misit. Seniorum vero, quibus vitam permittebat, se filium nepotemve dictitans, statimque occupatis bonis, hæredem se renuntiabat.[3]

6. Nequior adhuc, quam stultior, Princeps, flagitia ampliori criminum materie obtexit. Curiam enim adiit, patresque allocutus, ait:[4] 'mirari se ab iis argui sapientissimam Tiberii mentem, bellorum pacisque artibus probatam, imperio parem, publicæ felicitati provisuram, nisi obstitissent senatores. Eos Liboni Druso,[5] Titio Sabino,[6] Agrippinæ matri,[7] Neroni et Druso fratribus, ceterisque, quos Tiberii æquitas, recti pervicax, haud unquam punisset, perniciem intulisse: alios delationibus, alios accusationibus, omnes sententiis sæviisse.'

7. Moxque recitatis per libertos libellis,[8] demonstratisque criminibus, addit: 'Quos esse vos dixerim, in Tiberii contumeliam tanto proniores, quanto, dum viveret, ad ejus venerationem projectiores? Olim criminum artifices, nunc ejus memoriam insectamini. Eadem inconstantia Sejano superbiam, deinde exitium, creastis. Quæ me ipsum maneant, docent vestra anteacta facinora.' Atque ut alienæ personæ obtentu atrociores sensus velaret, Tiberium induxit talia effantem:[9] 'recta veraque locutus, eorum nemini te ami-

extitere.

1 *Derisores vocitabat*] Sueton. loc. cit.

2 *Macteas*] Macteæ sunt rara exquisitaque edulia.

3 *Renuntiabat*] Dio, loc. cit.

4 *Allocutus, ait*] Hæc pluribus Dio, LIX. p. 651. et 652. Paucis Suetonius in Caio, XXX. 'Sæpe in cunctos pariter senatores, ut Sejani clientes, aut matris ac fratrum suorum delatores invectus est: prolatis libellis, quos crematos simulaverat; defensaque Tiberii sævitia, quasi necessaria, cum tot criminibus credendum esset.'

5 *Liboni Druso*] Annal. II. 27. et seq.

6 *Titio Sabino*] Annal. IV. 68. et seq.

7 *Agrippinæ matri*] De Agrippina, Nerone, et Druso dictum in Suppl. Annal. V. 11. et seq.

8 *Per libertos libellis*] Dio, loc. cit.

9 *Talia effantem*] Dio, loc. cit. Quæ quidem acriora esse, quam ut a Dione sint profecta, nemo non videt. Ea vel a Tacito, vel ab alio id roboris scriptore, mutuatus videtur. In ipsis etiam Græcis frigent.

cum, cunctis severum præsta. Te odio habebunt: mortemque frustra precati, vitam insidiis petent. Sensus ac verba sperne, factis diffide: quod vero jus est Imperatorium, libidini ac securitati consule. Hæc principatus via, hæc ratio. Si paululum deflexeris, te laus brevis, mors violenta, turpis manet memoria. Invisa omnibus dominatio. Parent, dum potentiorem metuunt: ubi audacia et vires suppetent, servitium, dominantis exitio, ulciscentur.'

8. His minaciter jactatis, leges majestatis renovavit,[1] tabulisque æneis incisas proponi jussit; tum propere e curia elapsus, in suburbana concessit. Patres perterriti, et consilio impares, se omnes majestatis crimine irretitos sensere: idem fuit Urbis metus. Nemo enim vacuus ab injuriis Tiberii, quem quisque, gratiæ apud novum Principem aucupandæ causa, maledictis incesserant. Postridie, paulum recreatis animis, frequenti senatu consultatum, 'quid in tanto discrimine censendum.' Nulla superstite libertatis memoria, in pudenda, quæ salutem afferrent, discessum: laudataque Principis prudentia et pietate, decretum[2] 'ut grates amplissimæ ob vitam ipsis servatam agerentur: singulis annis, die, qua Caius orationem habuerat, ludisque Palatinis,[3] ejus clementiæ sacrificarent; aureaque ejus effigies in capitolium veheretur, nobilibus pueris hymnos concinentibus: Princeps redux, Urbem, quasi devictis hostibus, ovans iniret.' Hæc servitutis dedecora, gliscentibus posthac Principis atrocitatibus, semper auctitata.

9. At Caius, lætus Urbis et senatus formidine, obvios honores spernere, et, ut levissimarum est mentium, ad portentosa aspirare. Xerxis æmulatione[4] incertum, an ad Germaniæ et Britanniæ, quibus imminebat, terrorem,[5] seu,

1 *Leges majestatis renovavit*] Dio, LIX. p. 652. De lege majestatis dictum Ann. I. 72. et passim libris seq.

2 *Decretum*] Dio, loc. cit.

3 *Ludisque Palatinis*] De quibus plura infra cap. 76.

4 *Xerxis æmulatione*] Quam 'furiosi, et externi et infeliciter superbi regis' imitationem dixit Seneca, de Brevitate Vitæ, XVIII.

5 *Terrorem*] Sueton. in Caio, XIX. 'Scio plerosque existimasse, talem a Caio pontem excogitatum æmulatione Xerxis, qui non sine admiratione aliquanto angustiorem Hellespontum contabulaverit: alios, et Germaniam et Britanniam, quibus imminebat, alicujus immensi operis fama territaret. Sed avum meum

quod interiores aulici prodidere, ut vanas esse Thrasylli hariolationes, seque Principem novo artis miraculo probaret, Baiarum medium intervallum[1] Puteolanas ad moles[2] trium millium et sexcentorum[3] fere passuum ponte conjungere aggressus est.

10. Opus quanto insanioribus studiis susceptum, tanto acrioribus deproperatum. Undique evocatæ operæ; cæsæ arbores; comportatæ materiæ: exstructæ naves; quæ cum ad immensam substructionem haud sufficerent, onerariæ quoque contractæ.[4] Inter operarum alacritatem, Urbe et Italiæ alimentorum egestate[5] laborantibus, pons in navibus, duplici ordine ad anchoras collocatis, superjectoque aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam,[6] constratus est. Positæ quoque in anfractibus stationes plurimæ, ad hospitia et aquæ dulcis receptacula paratæ.[7]

11. Tum Princeps, vana admiratione, stultaque opum ostentatione superbus, 'se, triumphato æquore, Dario et Xerxe superiorem,[8] Alexandro, debellatis hostibus, haud inferiorem fore' jactitat; cunctaque ad bellicum apparatum

narrantem puer audiebam, causam operis ab interioribus aulicis proditam, quod Thrasyllus mathematicus, anxio de successore Tiberio, et in verum nepotem proniori, affirmasset, non magis Caium imperaturum, quam per Baianum sinum equis discursurum.'

1 *Baiarum medium intervallum*] Ita Suetonius, loc. cit. Errat Josephus Antiq. Judaic. XIX. 1. cum pontem ab urbe Dicæarchia, sive Puteolis, ad urbem Misenum ductum scribit. Errat quoque Dio, LIX. p. 652. cum affirmat pontem constratum fuisse Puteolos inter et Baulos. Bauli enim non fuere Puteolos inter et Baias; sed inter Baias et promontorium Misenum. Vide Annal. XIV. 4.

2 *Puteolanas ad moles*] Puteolanæ illæ moles a Caio Caligula non sunt conditæ. Multo ante ad muniendum portum exstructæ fuerant.

3 *Trium millium et sexcentorum*] Sueton. loc. cit.

4 *Onerariæ quoque contractæ*] Dio, LIX. p. 652. Sueton. loc. cit.

5 *Alimentorum egestate*] Senec. de Brevitate Vitæ, XVIII. 'Dum ille (Caius) pontes navibus jungit, et viribus imperii ludit, aderat ultimum malorum obsessis quoque, alimentorum egestas.'

6 *Appiæ viæ formam*] Via Appia, Romanarum omnium viarum maxima et laudatissima, Roma Brundisium usque protendebatur. De ea jam dictum Annal. II. 38.

7 *Paratæ*] Dio, LIX. p. 653.

8 *Dario et Xerxe superiorem*] Plinius IV. 12. sect. 24. Thracius 'Bosphorus, latitudine D. passuum; qua Darius, pater Xerxis, copias ponte transvexit.' Per Hellespontum, septem stadiorum spatio 'Xerxes, Persarum rex, constrato in navibus ponte, duxit exercitum.' Plin. ibid. Vide et Herodotum, VII. 34. et 36. in Polymn. Multo majorem maris partem contabulavit Caius.

instrui jubet. Stato die, sacrisque Neptuno, ceterisque Deis, ac maxime Livori,[1] ne grande ausum invidia premeretur, peractis, thoracem Alexandri[2] indutus, superinjecta purpurea chlamyde serica, auro gemmisque intertexta, quercica corona[3] equoque phalerato insignis, securi, cetra[4] ac gladio minax, pontem Baiis ingreditur. Longo ordine equites peditesque hortatorem monstratoremque belli Principem secuti, fulgentibus signis, trucesque vultu, ad Puteolorum obsidionem properant. Oppidum adorti, multa velitatione, omnibusque belli imaginibus expugnant.

12. Nulla urbis deditio majoribus celebrata laudibus; nec tamen adulatio vanitatem Principis supergressa. Ut bellicam virtutem, ita fatigationem, mentitus, reliquum diei recreandis viribus absumsit. Postero die,[5] ad novas libidines alacrior, militari pompa regressus est. Ibat quadrigario habitu,[6] sed tunica aurea, bijugi famosorum equorum curriculo, Darium,[7] multaque deditæ urbis in triumphi modum spolia præ se ferens. Astabat prætorianorum agmen, et in essedis cohors amicorum, palmatis vestibus[8] magnifica. Pone sequebatur expugnator exercitus, plurimaque turba, vario quisque cultu insignes.

13. Cum ad pontis medium pervenere, Princeps tribunal navibus impositum conscendit; et imperatorio more milites

1 *Ac maxime Livori*] Egregie Plinius, II. 7. 'Fragilis et laboriosa mortalitas in partes ista (numina) digessit, infirmitatis suæ memor, ut portionibus coleret quisque, quo maxime indigeret. Itaque nomina alia aliis gentibus, et numina in iisdem innumerabilia reperimus: inferis quoque in genera descriptis, morbisque, et multis etiam pestibus, dum esse placatas trepido metu cupimus.'

2 *Thoracem Alexandri*] Dio, LIX. p. 653. Suetonius quoque in Caio, LII. 'Interdum et magni Alexandri thoracem (gestavit) repetitum e conditorio ejus.'

3 *Quercica corona*] Suetonius in Caio, XIX.

4 *Cetra*] Leve loreumque scutum erat cetra. Vide Quint. Curt. III. 4.

5 *Postero die*] Sueton. in Caio, XIX. Dio, LIX. p. 653.

6 *Quadrigario habitu*] Sueton. loc. cit. Non paludatus, triumphalique veste, sed ut quadrigarius auriga cum galea et tunica ibat Princeps victorque scenicus.

7 *Darium*] Filium Artabani, Parthorum regis, qui illum obsidem Romam miserat, ut dictum est supra in Suppl. Annal. VII. 12.

8 *Palmatis vestibus*] Dio, LIX. p. 653. Ἐσθῆσιν ἀνθηραῖς. Eorum vestes, auro purpuraque intextæ, erant palmis floribusque conspicuæ. De triumphali veste vide quæ dicta sunt Annal. I. 15.

allocutus,[1] jactitavit 'Darium et Xerxem puerilia molitos: se vero virilia, et orbis domino digna gessisse: catenatum calcatumque æquor: expugnatas urbes: devictos populos: Deos ipsos, majestatem suam veritos, fluctu flatuque abstinere.' Hæc aliaque id stultitiæ gloriatus, milites laborum ac periculorum socios compellat, et donativo magis quam laudibus, ad lætitiam inflammat.

14. Epulis, cantibus, ludis, triumphalisque exercitus festivitate reliquum diei agitatum est. Princeps cum amicorum caterva in ponte, quasi in insula, hospitabatur: ceteri in naves, veluti ad præsidia positas, divertere. Continuata nocte gaudia;[2] crevitque vix credibili, nec unquam videndo, spectaculo miraculum. Pons enim navesque singulæ facibus collucebant. Quod vero admirationem vicit, littoris curvatura Puteolis Baias usque festis ignibus, per colles, montes, flexuososque meatus, prodigiosa varietate discretis, ardebat. Mare repercussis radiabat luminibus. Noxque, diei æmula, Solem conspicuo splendore superavit; Principe, intra duos dies pelago, terra, cœloque triumphatis, superbo.

15. Animum, in vana hactenus intentum, ad insitam crudelitatem inflexit epularum licentia, et forte Alexandri imitatio[3] in immane aucta. Furor in amicos,[4] notos et ignotos, multos etiam e littore invitatos,[5] invasit. Pars e summo ponte præcipitati: pars, dum Princeps choros inter et symphonias annavigaret, demersi; et si qui, licet lætitia amentes, nondum tamen salutis obliti, navium gubernacula aliave apprehenderent, contis remisque in mare detrusi; nemine obsistente, plurimis aliena pericula ridentibus.

16. Insana gaudia, uti assolet, occupavit mœror; opibusque penitus accisis, consuetæ artes rediere. Nova et

1 *Milites allocutus*] Dio, LIX. p. 653.

2 *Nocte gaudia*] Dio, loc. cit.

3 *Alexandri imitatio*] Alexander, animi impotens, et ebrietate victus in Cliti aliorumque necem ruit. Vide Quint. Curt. VIII. 6.

4 *Furor in amicos*] Hæc pluribus Dio, loc. cit.

5 *E littore invitatos*] Sueton. in Caio, XXXII. 'Puteolis dedicatione pontis, quem excogitatum ab eo significavimus, cum multos e littore invitasset ad se, repente omnes præcipitavit. Quosdam gubernacula apprehendentes contis remisque detrusit in mare.'

inaudita vectigalia indicta:[1] nec unquam pluribus criminationibus ac cædibus in pecunias involatum. Multi a senatu, plures a Principe damnati.[2] Et, ne secreta foret sua crudelitas, ipse nomina a se damnatorum in tabulis proposuit; id unum indolens, aut indignans, si quos enecasset, qui per paupertatem vivere potuissent.[3] Supplicia morte antevenere, ob temerata militiæ munia accusati, Calvisius Sabinus,[4] senatorum præcipuus, e Pannonia redux,[5] ejusque uxor Cornelia[6] fortior, quam melior fœmina. Supremæ necessitati pariter occurrit Titius Rufus,[7] cui datum crimini, quod senatum 'aliter sentire, aliter loqui' dixisset. Ne exilium quidem tutum fuit adversus efferatum Principem perfugium. Exules enim, vel mortem sibi imprecari, vel tranquillam et philosophiæ studiis haud illætam vitam degere opinatus,[8] misit circum insulas, qui universos contrucidarent. Hos inter Avillius Flaccus, quem supra memoravi,[9]

1 *Vectigalia indicta*] Nunc, reliquoque principatu tot vectigalibus sæviit Caius, ut pro eduliis, pro litibus, pro meretricio, pro lenocinio, pro matrimoniis, aliisque plurimis, quæ apud Suetonium, XL. et XLI. videas, esset solvendum. Ac ne quid lucri periret, ea non per publicanos, sed per centuriones exercebat. Inter vectigalia a Caio indicta, speciatim enumerat Suetonius 'pro litibus atque judiciis ubicumque conceptis *quadragesimam* summæ, de qua litigaretur: ex gerulorum diurnis quæstibus *partem octavam*: ex capturis prostitutarum quantum quæque uno concubitu mereret.' Quod vero omnem fœditatem vicit, Caius, '*lupana* in palatio constituit,' ibique fœnus exercuit.

2 *Damnati*] Dio, LIX. p. 654.

3 *Vivere potuissent*] Ita periit Junius Priscus, prætor, specie quidem aliorum criminum accusatus, sed ob divitias occisus: cujus divitias non tantas fuisse, ut interficeretur, cum Caius intellexisset, mirabili usus oratione, dixit: Me decepit, frustraque obiit, vivere poterat. Ἰούνιός τέ τις Πρίσκος στρατηγὸς ᾐτιάσθη μὲν ἐπ' ἄλλοις τισὶν, ἀπέθανε δὲ ὡς πλούσιος· καὶ ἐπ' αὐτῷ ὁ Γάϊος, μαθὼν ὅτι οὐδὲν ἄξιον τοῦ θανάτου ἐκέκτητο, θαυμαστὸν λόγον ἐφθέγξατο, εἰπὼν ὅτι, Ἠπάτησέ με, καὶ μάτην ἀπώλετο· ζῆν γὰρ ἠδύνατο. Dio, LIX. p. 654.

4 *Calvisius Sabinus*] Dio, loc. cit. Calvisius ille idem videtur qui, imperitante Tiberio, majestatis fuit postulatus, et discrimini exemtus, ut dictum est Annal. VI. 9.

5 *E Pannonia redux*] In qua legati munus obierat. Dio, loc. cit. Tacit. Hist. I. 48.

6 *Cornelia*] Cornelia, uxor legati, 'mala cupidine visendi situm castrorum, per noctem militari habitu ingressa, cum vigilias et cetera militiæ munia eadem lascivia temerasset, in ipsis principiis stuprum ausa, et criminis hujus reus T. Vinius arguebatur.' Tacit. Hist. I. 48. Stuprum non memorat Dio, loc. cit. illud testatur Plutarchus in Galba, p. 1057.

7 *Titius Rufus*] Dio, loc. cit.

8 *Opinatus*] Philo in Flac. p. 991.

9 *Supra memoravi*] In Suppl. Annal. VII. 37. et seq.

fœde obtruncatus est:[1] nam mortis exactoribus obnisus, se vitæ ut sapienter agendæ, ita fortiter amittendæ nescium probavit.

17. Haud vocatus in pœnas, ultro se obtulit Herodes,[2] Galilææ tetrarcha, Herodiadis,[3] impudicæ et superbæ fœminæ, artibus magis, quam suis, in ruinam tractus.[4] Illa indigne ferens Agrippam fratrem suum, quondam egenum et profugum,[5] nunc ob Principis[6] favorem opibus et nomine regio clarescere, maritum, ad otium, quam ad gloriam, proniorem, regni cupidine ægre succendit. Ambo, Romam profecti, ut dignitatis accessionem muneribus emercarentur, Caium, regio luxu littora Campaniæ peragrantem, Baiis reperere.[7]

18. Eo simul venit Fortunatus,[8] ab Agrippa missus cum literis, quibus Herodem accusabat 'societatis cum Artabano,[9] novarumque rerum, quas, collectis, quibus septuaginta

1 *Fœde obtruncatus est*] Flaccum turpiter fugientem, fœdius reluctantem, ac tandem vulneribus confectum exhibet Philo, in Flaccum, p. 991.

2 *Herodes*] Hic est Herodes Antipas, Herodis I. Magni filius, Galilææ tetrarcha, de quo D. Lucas, III. 1. Habentur ærei ejus nummi indubitatæ fidei, in quibus ex una parte in corona laurea ΤΙΒΕΡΙΑC: id est, *Tiberias:* ex altera, ΗΡωΔΟΥ ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ, in medio palma, cum nota L ΛΓ: in aliis L ΛΔ. id est, 'Herodis tetrarchæ, Anno (ejus tetrarchiæ) trigesimo tertio,' vel 'trigesimo quarto.' Vide Cl. Barthelemy, *Mém. de l'Acad. Roy. des Inscript.* Vol. XXVI. p. 537. Alius æreus, haud ita certæ antiquitatis, tamen percelebratus nummus circumfertur, hoc anno æræ vulgaris (quam sumus secuti in assignandis annis, ne tenebræ offundeentur) 39. J. C. 43. cusus. In corona laurea, ΓΑΙΩ ΚΑΙϹΑ. ΓΕΡΜ. ϹΕΒ. id est, 'Caio Cæsari Germanico Augusto.' In aversa parte, ΗΡΩΔΗϹ ΤΕΤΡΑΡΧΗϹ, in medio palma, cum nota, L ΜΓ. i. e. 'Herodes tetrarcha, Anno (ejus tetrarchiæ) quadragesimo tertio.' Vide P. Frœlich, Notit. Element. Numism. Antiq. p. 225. et Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, p. 175. Quantum in horum nummorum explicatione Harduinus, Select. Opera. p. 331. et. seq. erraverit, eruditis omnibus compertum.

3 *Herodiadis*] Herodias, Aristobuli et Berenices filia, soror Agrippæ I. de quo multa diximus in Supplemento Annal. VII. 11. Virum suum Philippum, Trachonitidis tetrarcham, reliquerat, ut incestas cum ejus fratre Herode Antipa nuptias jungeret. D. Luc. III. 19. De Herode et Herodiade vide Stem. Herodum, n. 22. et 18.

4 *In ruinam tractus*] Hæc pluribus narrat Joseph. Antiq. Judaic. XVIII. 7.

5 *Egenum et profugum*] Agrippa I. imperante Tiberio, opes suas Romæ luxu et ambitione exhauserat. Vide Josephum, Antiq. Judaic. XVIII. 6.

6 *Ob Principis*] Caii Caligulæ. Vide quæ dicta sunt in Suppl. Annal. VII. 11.

7 *Reperere*] Joseph. Antiq. Judaic. XVIII. 7.

8 *Venit Fortunatus*] Joseph. loc. cit.

9 *Artabano*] Artabano II. Parthorum rege. Vide Canonem regum Par-

millia hominum armaret, bellicis instrumentis, fovebat.' Iis a Caio perlectis, Herodem, de armorum multitudine callide interrogatum, et ex confessione criminis suspectum, tetrarchia opibusque exuit, et Lugdunum[1] relegavit: exulis dignitatem opesque, veteris amicitiæ et novæ gratiæ præmium, Agrippæ elargitus. Mox audito Herodiadem ejus sororem esse, suas ei pecunias permisit. At injuriæ regaliter impatiens, 'se olim prosperæ, nunc adversæ mariti fortunæ sociam esse velle' professa est. Tantis animis muliebria vitia redemit, sed libertatem amisit.[2]

19. Interim Caius novam criminationis materiem, Principibus semper indecoram, sæpe infœcundam, reperit. Ingeniorum æmulus,[3] nec scriptores tantum fato functos, vincique faciles, calumniari ausus, superstites exitialius oderat: duos maxime corripuit, literarum studiis prævalidos; alterum eloquentiæ, alterum philosophiæ simul et oratoriæ artis laude insignem; illum famæ, hunc virtutis avidum. Annæum Senecam,[4] ob orationem ingeniosius, quam par erat, coram invido Principe, habitam, capitis damnatum tutavere modestia, infirma valetudo,[5] minor invidia.[6] Domitium Afrum[7] oppressisset æmulatio, nisi longo usu ad artes plurimas fuisset exercitus.

20. At ab ipso Principe in senatu postulatus, 'quod Agrippinæ sobrinam[8] accusasset, et ipsi juvenilem ætatem

1 *Lugdunum*] Nunc *Lyons*.

2 *Libertatem amisit*] Ab irato Principe in exilium cum marito acta est: ejusque opes Agrippæ sunt datæ. Joseph. ibid.

3 *Ingeniorum æmulus*] Sueton. in Caio, XXXIV. '*Cogitavit de Homeri carminibus abolendis. Cur enim non sibi licere dicens, quod Platoni licuisset, qui eum e civitate, quam constituebat, ejecerit. Sed Virgilii et Titi Livii scripta et imagines, paulum abfuit quin ex omnibus bibliothecis amoveret: quorum alterum, ut nullius ingenii, minimæque doctrinæ; alterum, ut verbosum in historia negligentemque carpebat.'

4 *Annæum Senecam*] Hæc Dio, LIX. p. 655.

5 *Infirma valetudo*] Teste Dione, loc. cit. Caius credidit fœminæ Senecam tabe laborare, nec diuturnam illi fore vitam affirmanti.

6 *Minor invidia*] 'Levius' enim 'comtiusque scribendi genus adeo' comtemnebat Caius, 'ut Senecam tunc maxime placentem, commissiones meras componere, et arenam esse sine calce diceret.' Sueton. in Caio, LIII.

7 *Domitium Afrum*] De quo dictum Annal. IV. 52.

8 *Agrippinæ sobrinam*] Claudiam Pulchram.

consulatibus immaturam[1] exprobrasset,' se ad stuporem admirationemque componit, omnia longæ orationis capita repetit, laudat egregie; jussusque pro se dicere, dolet, lamentatur, genua Principis advolvitur, 'se non imperatoris, sed oratoris Cæsaris vi insuperabili victum' fatetur. Princeps, vanitate mobilis, deprecantem non modo absolvit, sed consulem destinat; ob invidiam dubium, an propter clementiam magis irridendus.

21. Domitius, eloquentia, quam moribus melior, novam dignitatem statim auspicatus est, magistratu consulibus abrogato,[2] 'quod de Principis natali[3] nihil edixissent, et Actiacam victoriam solennibus feriis celebrassent:' insigni protervitate Caius eos, ob celebritatem feriarum, in Antonium,[4] generis sui, ut ferebat, auctorem, male animatos arguebat: æque infensos Augusto judicaturus, si eam omisissent. Quod Consulum alteri ita indigne habitum, ut se ipse interficeret. Eadem animi inconstantia, comitia populo, ut diximus,[5] reddita, ad senatum rursus translata sunt.[6] Turbarum quoque in Africa formidine,[7] provincia

chram, Agrippinæ, Caii matris, sobrinam. Supra Annal. IV. 52. Fusius Dio, LIX. p. 654. et 655.

1 *Consulatibus immaturam*] Juxta Dionem, LIX. p. 654. Domitius imaginem Caio posuerat cum hac Inscriptione: CAIVS NATVS ANN. XXVII. COS. II. Cum lege olim esset vetitum, ne quis consulatum ante annum ætatis suæ XLIII. iniret, tali inscriptione juvenilem et imbellem suam ætatem argui contendebat Princeps.

2 *Consulibus abrogato*] Cn. Corbuloni ejusque collegæ, qui Kalendis Juliis suffecti fuerant, abrogatus est consulatus, ut recte observat Cl. Reimarus ad hunc locum Dionis, LIX. p. 655. De Corbulone diximus supra cap. 2. Plura Suetonius in Caio, XXVI. 'Consulibus oblitis de natali suo edicere, abrogavit magistratum, fuitque per triduum sine summa potestate respublica.'

3 *Principis natali*] Natus erat Caius *pridie Kalendas Septembres*, Sueton. in Caio, VIII. Augustus ad Actium vicit die secundo, vel potius tertio Septembris: vide Petavium, de Doctrin. Tempor. X. 69. Inde patet, quonam tempore hæc, quæ narramus, fuerint acta. Die autem natali Principum celebrabantur ludi, ut passim videre est in veteribus Kalendariis.

4 *In Antonium*] Antonius avus erat Caii. Vide Stem. Cæs. n. 31. 42. et 86. Suetonius in Caio, XXIII. 'Non contentus hac Augusti insectatione, Actiacas Siculasque victorias, ut funestas populo Romano et calamitosas, vetuit solennibus feriis celebrari.'

5 *Ut diximus*] Supra in Suppl. Annal. VII. 9.

6 *Rursus translata sunt*] Dio, LIX. p. 655.

7 *Formidine*] Tacit. Hist. IV. 48.

in duas partes divisa: Africa proconsuli, exercitus et Numidia legato tradita.

22. Dum criminationibus mutationibusve ita ludebat Princeps, exteris opibus, nullas jam suppetente Italia, increscere avidior, ad Gallias Hispaniamque animum convertit, itinere Germanicæ expeditionis obtentu[1] velato. Tumultuarius, sed immensus, fuit belli apparatus. Excitæ legiones, evocata undique auxilia, delectus acerbissime acti, contractus omnis generis commeatus, numerosa quoque histrionum, gladiatorum, mulierum, aliorumque id luxus turba.[2] Ipse iter ingressus, nihil militiæ retinens modo ibat tam festinanter et rapide, ut prætoriæ cohortes contra morem signa jumentis imponere, et cursim subsequi cogerentur: interdum adeo segniter et delicate, ut octophoro veheretur,[3] atque a propinquarum urbium plebe verri sibi vias, et conspergi propter pulverem exigeret.[4]

23. Ad bellum, ut ad ludum, profectus, recta petiit Germaniam superiorem, cui loco Lentuli Gætulici[5] Servium Galbam,[6] obsequio tam egregium, quam dominationi postea imparem, præfecerat. Adventus sui lætitiam in-

'C. Cæsar, turbidus animi, ac M. Silanum obtinentem Africam metuens, ablatam proconsuli legionem, misso in eam rem legato tradidit.' Errat Dio, LIX. p. 656., cum scribit hæc contigisse sub Pisone, Pisonis et Plancinæ, de quibus dictum est satis Annal. III. 5., filio, Africæ proconsule. In errorem tractus videtur iis, quæ narrantur Hist. IV. 48.

1 *Germanicæ expeditionis obtentu*] Hæc pluribus Dio, LIX. p. 656.

2 *Id luxus turba*] Dio, loc. cit.

3 *Octophoro veheretur*] Ut hac in re Romanorum luxus intelligatur, audiendus Cicero, in Verrem, v. 11. Verrem 'nemo unquam in equo sedentem (vidit). Nam, ut mos fuit Bithyniæ regibus, lectica octophoro ferebatur; in qua pulvinus erat perlucidus Melitensi rosa farctus: ipse autem coronam habebat unam in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares sibi admovebat, tenuissimo lino, minutis maculis, plenum rosæ. Sic confecto itinere, cum ad aliquod oppidum venerat, eadem lectica usque in cubiculum deferebatur.' Hæc lectica dicebatur octophoros, quod ab octo hominibus ferretur.

4 *Propter pulverem exigeret*] Hæc et superiora totidem verbis Suetonius in Caio, XLIII. Originem vero Germanicæ expeditionis ita retulit. 'Militiam resque bellicas semel attigit (Caius), neque ex destinato, sed cum ad visendum nemus, flumenque Clitumni, (nunc *Clituno*,) Mevaniam, (nunc *Bevagna* in Umbria,) processisset, admonitus de supplendo numero Batavorum, quos circa se habebat, expeditionis Germanicæ impetum cepit: neque distulit, sed legionibus et auxiliis undique excitis, delectibus ubique acerbissime actis, contracto et omnis generis commeatu, quanto nunquam ante alius, iter ingressus est.'

5 *Lentuli Gætulici*] De quo Annal. VI. 30.

6 *Servium Galbam*] Memoratum An-

tempestiva severitate, deinde turpiore ignavia corrupit. Vix enim castra attigit, statim cum ignominia dimittere legatos,[1] qui auxilia serius adduxerant: ita recensere exercitum, ut plerisque centurionum maturis, et nonnullis ante paucissimos, quam consummaturi essent, dies, primos pilos adimeret,[2] senium cujusque et imbecillitatem causatus: ceterorum increpita cupiditate, commoda emeritæ militiæ ad sex millium HS.[3] summam recidere.

24. Mox trajecto apud Mogontiacum[4] Rheno, adversus Suevos[5] minacissimus contendit. At cum inter angustias densumque agmen iter essedo faceret,[6] et quendam dictantem audisset, 'non mediocrem fore consternationem, sicunde hostis appareat,' equum illico ascendit: ac propere versus ad pontes, ut eos calonibus et impedimentis stipatos reperit, impatiens moræ, nec periculi securus, per manus ac supra capita hominum translatus est;[7] virtutis parentum[8] adeo degener.

nal. VI. 15. et 20. Sæpius Hist. I. De ejus præfectura Suetonius in Galba, VI. 'A Caio Cæsare, Gætulico substitutus (Galba), postridie quam ad legiones venit, solenni forte spectaculo plaudentes inhibuit, data tessera, ut manus pœnulis continerent. Statim per castra jactatum est: Disce, miles, militare: Galba est, non Gætulicus. Pari severitate interdixit commeatus peti. Veteranum ac tironem militem opere assiduo corroboravit: matureque barbaris, qui jam in Galliam usque proruperant, coërcitis, præsenti quoque Caio et se et exercitum approbavit, ut inter innumeras contractasque ex omnibus provinciis copias, neque testimonium, neque præmia ampliora ulli perciperent. Ipse magis insignis, quod campestrem decursionem scuto moderatus, etiam ad essedum Imperatoris per viginti passuum millia cucurrit.'

1 *Dimittere legatos*] Hæc et sequentia totidem ferme verbis Sueton. in Caio, XLIV.

2 *Primos pilos adimeret*] Ut eos primipili honoribus et militiæ præmiis fraudaret. De primipilaribus dictum est Annal. II. 11.

3 *Sex millium* HS.] Angl. 50*l.* Teste Dione, LIX. p. 562. Augustus sanxerat militibus post viginti militiæ annos dari duodecim millia sestertium, τρισχιλίας δραχμὰς, Angl. 100*l.* Perperam in manuscriptis et editis Suetonii libris *sexcentorum millium*, pro *sex millium*, legitur; quod jam monuit Lipsius.

4 *Mogontiacum*] Nunc *Mayence.*

5 *Adversus Suevos*] Eutrop. VII. 7. 'Bellum contra Germanos suscepit; et ingressus Sueviam nihil strenue fecit.' Suevos intellige, non illos interiores, qui Albim inter et Vistulam habitabant, at eos, qui erant Rheno vicini; de quibus dictum Annal. I. 44. Vide et Bucherium, Belg. Roman. IV. 10.

6 *Iter essedo faceret*] Sueton. in Caio, LI. Essedum erat minor leviorque rheda.

7 *Translatus est*] Suetonius, loc. cit.

8 *Virtutis parentum*] Germanici patris, matrisque Agrippinæ, cujus ingentem animum vide Annal. I. 69.

25. Iratus fortunæ, gloriæ immodicus, haud ita ancipitem victoriæ materiam quæsivit: quam ut haberet, paucos de custodia Germanos trajici occulique trans Rhenum[1] jussit; ac sibi post prandium, quam tumultuosissime 'adesse hostem' nuntiari. Quo facto, proripit se cum amicis et parte equitum prætorianorum in proximam sylvam; truncatis arboribus, et in modum tropæorum adornatis, ad lumina reversus,[2] eorum qui secuti non essent timiditatem et ignaviam corripit: comites autem et participes victoriæ donat novo genere ac nomine coronarum, quas, distinctas Solis ac Lunæ siderumque specie, *exploratorias*[3] appellat.

26. In his victoriæ mimis[4] præter modum intemperans, ne viso quidem hoste, Imperator consalutatur:[5] et quasi attrita pube Germanica,[6] laureatas literas[7] Romam mittit,

1 *Occulique trans Rhenum*] Hæc et seq. Sueton. in Caio, XLV.

2 *Ad lumina reversus*] Ut longos labores mentiretur, forte et quadam triumphantis Cæsaris imitatione. Sic enim Julius Cæsar 'ascendit Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus.' Sueton. in Jul. XXXVII.

3 *Exploratorias*] Plin. XXII. 3. 'Corona quidem nulla fuit graminea nobilior, in majestate populi terrarum principis, præmiisque gloriæ. Gemmatæ et aureæ, vallares, murales, rostratæ, civicæ, triumphales post hanc fuere, suntque cunctæ magno intervallo, magnaque differentia.' Quanto viliores exploratoriæ!

4 *Victoriæ mimis*] 'Una histrionali victoria non contentus, rursus obsides quosdam abductos e literario ludo, clamque præmissos, deserto repente convivio cum equitatu insecutus, veluti profugos ac reprehensos in catenis reduxit: in hoc quoque mimo præter modum intemperans. Repetita cœna renuntiantes coactum agmen, sicut erant, loricatos ad discumbendum adhortatus est. Monuit etiam notissimo Virgilii versu: Durarent secundisque se rebus servarent.' Sueton. in Caio, XLV.

5 *Imperator consalutatur*] Dio, LIX. p. 657.

6 *Attrita pube Germanica*] Hac de re extat insigne Persii testimonium, Romanæ historiæ scriptoribus haud satis diligenter observatum. Sextam enim suam Satiram circa mensem Decembrem hujus anni scripsit, ut patet ex primo versu, 'Admovit jam bruma foco te, Basse, Sabino.' Paulo ante venerat laureatus Germanicæ victoriæ nuntius, ut accipimus ex ejusdem satiræ vs. 43. et seq. 'O bone, num ignoras: missa est a Cæsare laurus Insignem ob cladem Germanæ pubis, et aris Frigidus excutitur cinis: ac jam postibus arma, Jam chlamydes regum, jam lutea gausapa captis, Essedaque, ingentesque locat Cæsonia Rhenos. Diis igitur genioque ducis centum paria, ob res Egregie gestas, induco: quis vetat? aude. Væ, nisi connives, oleum artocreasque popello Largior: an prohibes? dic clare.' Inde pronum est intelligere ludicræ victoriæ tempus, ficti triumphi apparatum, et imperatæ lætitiæ signa.

7 *Laureatas literas*] Plin. XV. 30. Laurus 'Romanis præcipue lætitiæ victoriarumque nuntia additur literis, et militum lanceis, pilisque.'

questus edicto 'senatum populumque Romanum, Cæsare præliante, et tantis discriminibus objecto, intempestiva convivia, Circum, et theatra, et amœnos secessus celebrare.'[1] Quanto minor laudis seges, tanto effusior lætitia. Nec in Urbe tantum, sed in remotissimis quoque provinciis, Diis et genio Principis supplicatum.[2]

27. Haud iidem sensus inerant hæc majestatis virtutisque Romanæ probra spectantibus. Apud omnes invalescebat contemtus. Crevit apud nonnullos audacia; sed infelix, Principe in securitatem suam eo magis intento, quo plures dabat offensionum causas. Lentulus Gætulicus,[3] conjurationis suspectus, forte magis invisus ob popularia studia et legionum amorem,[4] perimitur. Certiorem et metuendam magis, quod domestica erat, conspirationem iniere Æmilius Lepidus[5] imperii hæres jam destinatus,[6] Juliaque et Agrippina,[7] ei adulteriis illigatæ. Gliscebat periculum, quod Princeps secretarum libidinum societate iis innexus. At pari felicitate nefaria consilia innotuere; punitumque scelus simul ac monstratum. Lepidus morte, Julia et Agrippina exilio multatæ. Cum in Pontias insulas[8] deportaren-

1 *Celebrare*] Sueton. in Caio, XLV.

2 *Supplicatum*] Philo, Legat. ad Caium, p. 1041., testatur Judæos Deo immortali pro victoria Germanica supplicasse.

3 *Lentulus Gætulicus*] De quo supra cap. 23. Dio, LIX. p. 657. In fragmento Fratrum Arvalium, apud Gruterum, p. 117. n. 3., extat memoria sacrificii ob detecta nefaria conjurationum Cn. Lentuli Gætulici:

. . . . . FRATR . . . . .
. . . ARIS MATRIS . . .
. . . MANICI BOVEM . .
. . . ADFVERVNT. CN. DOMITI . . .
. . VSPERSICVS. C. CAECINA LAR . .
AD. VI. K. NOVEMB
. . . OB. DETECTA. NEFARIA CON . .
. . . VM. CN. LENTVLI. GAE . . .
. . . OTHO. FLAM . . .
. . . FRATRVM . . .

4 *Legionum amorem*] Effusa clementia, modica severitate Germanicarum legionum amorem assecutus erat Lentulus Gætulicus. Annal. VI. 30.

5 *Æmilius Lepidus*] Drusillæ conjux. Vide Stem. Cæs. n. 54. Ille ipse est quartus Lepidus, de quo Rutilius, in Itinerario, I. 305. 'Quartus Cæsareo dum vult irrepere regno, Incæsti pœnam solvit adulterii.'

6 *Hæres jam destinatus*] Dio, loc. cit.

7 *Juliaque et Agrippina*] Caii Sorores. Vide Stem. Cæs. n. 93. et 97.

8 *In Pontias insulas*] Quarum maxima *the isle Ponza*. Neronem, Caii fratrem, ibi clausum vidimus, Supplement. Annal. V. 13.

tur, jussa est Agrippina ossa Lepidi, in urna condita, Romam usque in sinu deferre.[1]

28. Nec iis stetit Princeps, vindictæ atrox, suique sanguinis ignominiam parum veritus. Conjurationis chirographa, fraude ac stupro requisita,[2] divulgavit: scriptisque ad senatum literis, sororum suarum impietatem ac libidines non modo palam accusavit, sed etiam, ne sceleris memoria periret, misit tres gladios in necem suam præparatos, quos sacravit, et inscripsit 'Marti ultori.' Vetuit quoque 'ne de cujusquam suorum cognatorum honoribus in posterum ageretur:'[3] Cæsareæ domui adeo immitis, ut quidam prodiderint[4] patruum suum Claudium in Rhenum, sicut vestitus advenerat, ejus jussu fuisse præcipitatum, quod eum, quasi ad regendum puerum, non ad gratulandum salutem, a senatu missum infremeret. Militibus vero, tanquam hostes devicisset, donativum dedit. Inter hujus anni fœda, post Lolliæ discidium,[5] ducta a Principe uxor Cæsonia,[6] neque facie insignis, neque ætate integra, sed moribus similis, imperiique pestis, si, uti traditum est, amatorio medicamento[7] maritum in furorem impulerit. At inditam

1 *In sinu deferre*] Dio, LIX. p. 657.

2 *Fraude ac stupro requisita*] Hæc et seq. Suetonius, in Caio, XXIV.

3 *In posterum ageretur*] Dio, LIX. p. 657.

4 *Ut quidam prodiderint*] Sueton. in Claud. IX.

5 *Lolliæ discidium*] De ejus matrimonio dictum supra Suppl. Annal. VII. 35. Ob sterilitatem, aut potius ob satietatem, fuisse repudiatam ait Dio, LIX. p. 658. Suetonius, in Caio, XXV. Lolliam 'brevi missam fecit, interdicto cujusquam in perpetuum coitu.'

6 *Cæsonia*] Quam Miloniam Cæsoniam appellat Dio, LIX. p. 658. Pluribus Suetonius, in Caio, XXV. 'Cæsoniam neque facie insigni, neque ætate integra, matremque ex alio viro trium filiarum, sed luxuriæ ac lasciviæ perditæ, et ardentius et constantius amavit, ut sæpe chlamyde peltaque et galea ornatam, et juxta adequitantem, militibus ostenderit, amicis vero etiam nudam. Quam enixam uxorio nomine dignatus est, uno atque eodem die professus, et maritum se ejus, et patrem infantis ex ea natæ. Infantem Juliam Drusillam appellatam per omnium Dearum templa circumferens, Minervæ gremio imposuit, alendamque et instituendam commendavit. Nec ullo firmiore indicio sui seminis esse credebat, quam feritatis: quæ illi quoque tanta jam tunc erat, ut infestis digitis ora et oculos simul ludentium infantium incesserit.' Paulo aliter Dio, loc. cit., ait Caium gravidam duxisse Cæsoniam, ut trigesimo die pater ex ea fieret, ἵνα αὐτῷ παιδίον τριακονθήμερον τέκῃ. De Vestilia, quæ Cæsoniam genuerat octavo mense, vide Plinium, VII. 5.

7 *Amatorio medicamento*] Sueton.

natura insaniam, duorum pessimorum ingeniorum societate, et principatus licentia crevisse potius crediderim. Tigellinus, postea in animo et libidinibus Neronis validus, hoc anno ob adulterium Agrippinæ in exilium actus est.[1]

29. Caius tertium consul,[2] solus magistratum Lugduni iniit; non, ut quidam voluere, soliti facta Principum in pravum interpretari, superbia negligentiave, sed quod defunctum sub Kalendarum diem collegam absens haud rescisset. Animos vero tantus Principis metus Romæ incesserat, ut prætores,[3] penes quos tum erat auctoritas, nihil ausi, Capitolium cum frequenti senatu Kalendis conscenderint; sacrisque peractis, et adorata Principis sella,[4] argenti vim,[5] quod imperitante Augusto, nova et obsequii avida dominatione, cœptum, velut præsenti obtulerint.

in Caio, L. 'Creditur potionatus a Cæsonia uxore, amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit.' Expressius, acriusque Juvenalis, VI. 609. 'Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit Philtra, quibus valeat mentem vexare mariti, Et solea pulsare nates. Quod desipis, inde est; Inde animi caligo, et magna oblivio rerum, Quas modo gessisti: tamen hoc tolerabile, si non Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis, Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli Infudit. Quæ non faciet, quod Principis uxor? Ardebant cuncta, et fracta compage ruebant, Non aliter, quam si fecisset Juno maritum Insanum. Minus ergo nocens erit Agrippinæ Boletus: siquidem unius præcordia pressit Ille senis, tremulumque caput descendere jussit In cœlum, et longa manantia labra saliva. Hæc poscit ferrum, atque ignes, hæc potio torquet: Hæc lacerat mixtos equitum cum sanguine patres. Tanti partus equæ, tanti una venefica constat!'

1 *In exilium actus est*] Dio, loc. cit. De Tigellino plura vide Annal. XIV. 51.

2 *Tertium consul*] Caius Cæsar Augustus consulatum tertium solus iniit A. U. 793. J. C. 40. De hoc consulatu ejusque causa vide Suetonium in Caio, XVII. Dionem, LIX. p. 658. Memoratur quoque in vita Agric. cap. 44.

3 *Ut prætores*] De hoc jure prætorum vide Gellium, XIV. 7. Cicero, Epist. Famil. X. 12. Cornutum memorat, qui, 'quod consules aberant, consulare munus sustinebat more majorum.' Vide quoque quæ dicta sunt Hist. IV. 39.

4 *Principis sella*] Posita in templo cum Principis imagine. Dio, LIX. p. 652. et 659.

5 *Argenti vim*] Strenas Kalendis Januarii ita accepit Augustus, ut dantibus plura elargiretur. Dio, LIV. p. 546. Absenti quoque, in Capitolio oblatæ, Sueton. in Aug. LVII. Tiberius, minime comis Imperator, usum hunc abrogavit, Dio, LVII. p. 607. Caius, majestatis incuriosus, pecuniæ avidus, illum restituit, Sueton. in Caio, XLII. 'Edixit et strenas ineunte anno se recepturum, stetitque in vestibulo ædium Kalendis Januariis ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat.' Claudius iterum sustulit. Dio, LX. p. 668.

Deinde in curiam convenere, a nemine vocati: die tota celebratæ Caii laudes eo effusius, quo acriora erant odia, occultiorque simulatio.[1]

30. Tertio Nonas[2] communi prætorum edicto coacti patres; votaque nuncupata: at manente formidine, nihil statutum. Audito tandem Principem pridie Idus Januarias[3] dignitate se abdicasse, consules suffecti magistratum occœpere. Decretum 'ut, quibus Augusti, iisdem Tiberii Drusillæque natales solennibus fierent.' Dicatæ Caii ac Drusillæ imagines; ludique editi.[4] Cuncta hæc jussu Principis, qui pauca senatui, pleraque consulibus, ut ea in senatu recitarent, scribere erat solitus, actitata.

31. Præter vetera sævitiæ exempla metum Urbis intenderat nuntius Agrippam et Antiochum,[5] Principis assiduos, mentem natura efferam ad omnia regnorum Orientis libita incendere.[6] Iis concitoribus, atrox Caii avaritia Galliis incubuit. Animorum tamen offensiones ut declinaret, et præda lætius succederet, cœpit miscellos ludos[7] Lugduni edere, compendiariaque spectaculorum varietate Gallos demulcere. Genti quoque olim bellis, tunc literis cum pristinæ virtutis detrimento operanti gratificaturus, certamen Græcæ Latinæque facundiæ[8] proposuit, ea lege, 'ut

1 *Simulatio*] Dio, LIX. p. 659. Ἐπειδὴ γὰρ οὔτε ἐφίλουν αὐτὸν, οὔτε σώζεσθαι ἐβούλοντο, ἐπὶ πλεῖον ἀμφότερα, ὡς καὶ τὸ συνειδὸς σφῶν διὰ τοῦτο ἐπιλυγασόμενοι προσεποιήσαντο: 'Tanto id diutius per simulationem agentes, ut quoniam neque carum eum habebant, neque salvum cupiebant, sententiam eo suam occultarent.'

2 *Tertio Nonas*] Die tertio Januarii. Dio. loc. cit. Hoc die nuncupabantur vota. Inde in Kalendario Herwartiano, III NON. IANVAR. LVDI. VOTORVM NVNCVPATIO.

3 *Pridie Idus Januarias*] Die duodecimo Januarii. Dio, loc. cit. Rotunde Suetonius in Caio, XVII. Caius 'tertium (consulatum gessit) usque in Idus Januarii.'

4 *Ludique editi*] Ab orchestræ societate editi sunt. Dio, loc. cit. Οἱ ἐκ τῆς ὀρχήστρας πανήγυρίν τε ἐπετέλεσαν.

5 *Agrippam et Antiochum*] Agrippam I. qui Philippi, Lysaniæ, et Herodis tetrarchias acceperat, ut dictum est supra in Supplement. Annal. VII. 11. VIII. 18. Antiochum IV. regem Commagenæ, de quo quoque supra in Suppl. Annal. VII. 11.

6 *Incendere*] Dio, LIX. p. 658.

7 *Miscellos ludos*] Sueton. in Caio, XX. Non unam ludorum speciem, sed ex variis ludorum speciebus compendiario compositam.

8 *Græcæ Latinæque facundiæ*] Sueton. in Caio, XX.

victi præmia victoribus conferrent, eorumque laudes componerent. Si qui vero maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere juberentur, nisi ferulis objurgari, aut flumine proximo[1] mergi maluissent:' gravi quidem pœna, leviore tamen, quam ut ingeniorum audaciam coërceret.

32. Mentibus ad inania conversis, probrosam negotiationem,[2] sed lucrosam, instituit. Nec eum puduit damnatarum sororum ornamenta, supellectilem, servos, libertos quoque[3] vendere, cunctis rei novitate, emendi gloria, majore emta ostentandi vanitate, licitantibus. Lucro invitatus, quicquid instrumenti veteris aulæ fuerat, ab Urbe repetiit tam immodice, ut, undequaque comprehensis ad deportandum vehiculis et jumentis, sæpe annona Romæ ingravesceret, et litigatorum plurimi, quod occurrere absentes ad vadimonium non possent, causa caderent.[4]

33. Venditionis infamiam vicit Principis dedecus. Non tantum testis, sed præco, ut citius cariusque distraheret, singula venditabat; 'hoc patris, hoc matris, hoc avi, hoc proavi esse: hoc ex Ægypto Antonium, hoc ex Actiaca victoria Augustum reportasse' clamitans.[5] Modo lenociniis grassatus, lætari 'tam egregia monumenta, tantis nobilitatibus illustria, ad Gallos, fidam amicamque gentem, devenire.' Modo pœnitentiam simulans, dolere 'quod Principalium rerum privatis copiam faceret.' Postea audacior emtores increpare, 'quos non puderet locupletiores esse, quam Principem.' Exinde in omnes divitum fortunas irruere; et quod in miseria ultimum est, per

1 *Flumine proximo*] Rhodano, *the Rhone*, vel Arari, *the Saone*. Ara enim Augusti, ludis, nummis, scriptoribus celeberrima, ibi posita, ubi Arar Rhodano commiscetur. Formidolosum ejus certamen memorat Juv. I. 43. 'Palleat ut nudis pressit qui calcibus anguem, Aut Lugdunensem rhetor dicturus ad aram.'

2 *Probrosam negotiationem*] De qua vide Suetonium in Caio, XXXIX. Dionem, LIX. p. 656.

3 *Libertos quoque*] Perperam in editis Suetonii libris *liberos*. Emendandum *libertos* conjectabam: persuasit antiqua editio manu Illustr. Pellicerii ad fidem veteris et optimi codicis castigata.

4 *Causa caderent*] Sueton. loc. cit.

5 *Clamitans*] Hæc Suetonius et Dio, loc. cit.

irrisionem sævire.[1] Id publico cum luctu expertæ sunt Galliæ, cum Princeps quondam luderet alea, nec pecunia sufficeret, secessit, 'Gallorumque census ad se afferri, et ditissimos necari' jussit: mox ad collusores exultim regressus, 'vos,' inquit, 'denariis aliquot lusistis; ego sexies millies nummum[2] sum lucratus.'

34. Nec pœnas plebei effugit Ptolemæus,[3] quem Caius e regno arcessiverat, honorificeque exceperat, ut plurimorum regum comitatu superbiret. At invidia tum illi, tum Mauretaniæ, exitium attulit. Ingressus enim spectacula, oculos astantium fulgore purpureæ abollæ[4] forte converterat. Se unum non aspici cohorruit Princeps. Vestis splendor in crimen capitis[5] statim cessit: nec regio affinique sanguine[6] satis expiatus, nisi Mauretania in duas divi-

1 *Sævire*] Huc quoque spectat, quod memorat Suetonius, loc. cit. Caius 'comprerat provincialem locupletem ducenta HS. (Angl. 1333*l.* 13*s.* 4*d.*) numerasse vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur: nec tulerat moleste tam magno æstimari honorem cœnæ suæ. Huic postero die sedenti in auctione misit, qui nescio quid frivoli ducentis millibus, (id est, ducentis millibus sestertium, ut jam diximus,) traderet: diceretque cœnaturum apud Cæsarem vocatu ipsius.'

2 *Sexies millies nummum*] Angl. 5,000,000*l.* Dio, LIX. p. 657. Ὑμεῖς περὶ ὀλίγων δραχμῶν ἀγωνίζεσθε, ἐγὼ δὲ εἰς μυρίας καὶ πεντακισχιλίας μυριάδας ἤθροισα.

3 *Ptolemæus*] Jubæ junioris et Cleopatræ filius, Jubæ senioris nepos, Mauretaniæ rex, vultu pulcherrimo: ejus caput æneum extat Romæ apud Carthusianos. Diadematum hoc caput aureis gemmeisve ornamentis fuit insigne: oculos habet argenteos cum pupulis hyacinthinis; labra aureis bracteis vestita. De Ptolemæi nummis vide Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois,* p. 56. et Harduinum, Selecta Opera, p. 103.

4 *Abollæ*] Nonius, XIV. 9. 'Abolla, vestis militaris.' Videtur Ptolemæus ex luxus instrumentis gloriam quæsivisse. Citrinam enim ejus mensam, omnium magnitudine amplissimam laudat Plinius, XIII. 15. De hoc luxus genere dicetur infra in Suppl. Annal. IX. 28.

5 *In crimen capitis*] Dio, LIX. p. 659. Suetonius in Caio, XXXV. 'Ptolemæum, arcessitum e regno, et exceptum honorifice, non alia de causa repente percussit, quam quod edente se munus, ingressum spectacula, convertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ animadvertit. Pulchros et comatos, quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat.' De Caii calvitie dicetur infra cap. 80.

6 *Affinique sanguine*] Inde Suetonius in Caio, XXVI. 'Ptolemæum, Jubæ filium' appellat, Caii 'consobrinum: erat enim et is M. Antonii ex Selena filia nepos.' Cleopatra, cognominata *Selene,* id est, *luna,* filia erat Cleopatræ, Ægypti reginæ, et M. Antonii triumviri, qui Caii Caligulæ erat proavus. Vide Stem. Cæs. n. 31. 42. 81. et 86. Nummi plurimi habentur, in quibus REX IVBA. et in aversa parte ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ, id est, *Cleopatra regina,* cum crescentis lunæ effigie.

deretur provincias,[1] quæ dominationis Romanæ æque ac Principis sævitiam infamarent. Paulo lætior, ob spem meliorum temporum, sors Antiocho[2] et Mithridati[3] obtigit. Ille, semper infida malorum Principum amicitia minime tutus, regno orbatus est. Hic ad præsentiam Cæsaris vectus vinctusque, in exilium est projectus.

35. Post has grassationes, deficiente in Galliis rapinarum materie, recruduit militiæ insania, more libidinum, quæ, ubi invaluere, mutantur sæpe, nunquam intereunt. Igitur non propagandi imperii studio, sed solita levitate, vel vana Julii Cæsaris, Britannorum victoris, æmulatione, suscepta expeditio Britannica:[4] ingentique cum exercitu[5] Gesoriacum,[6] Morinorum[7] oppidum, unde facilis in insulam trajectus, properatum est. Dux belli Cæsar, quasi unus domandis hostibus haud impar, e portu solvit: mox rediit,[8] recepto in deditionem Adminio,[9] Cunobelini[10] Bri-

1 *Provincias*] Plin. v. 1. 'Principio terrarum Mauretaniæ appellantur, usque ad C. Cæsarem, Germanici filium, regna, sævitia ejus in duas divisæ provincias.' Contra vero Dio, LX. p. 671. ait Mauros a Claudio in duas provincias divisos: unam ad Tingim, alteram ad Cæsaream; unde nomina quoque ambabus indita. Quæ facile concilies, si, quæ Caius jusserat, Claudium perfecisse dixeris. Vide infra Suppl. Annal. IX. 29.

2 *Antiocho*] Jam memorato in Suppl. Annal. VII. 11. et VIII. 31.

3 *Mithridati*] De quo supra Annal. VI. 32. Dio, LX. p. 670. Senec. de Tranquillit. anim. XI. 'Scito ergo, omnem conditionem versabilem esse—Ptolemæum Africæ regem, Armeniæ Mithridatem, inter Caianas custodias vidimus. Alter in exilium missus est: alter ut meliori fide mitteretur, optabat.' Postea Mithridates ad Sauromatas profugit, ut docet Plinius, VI. 5. et in regnum remeavit, ut dictum est Annal. XI. 8.

4 *Expeditio Britannica*] De qua Suetonius in Caio, XLIV. Dio, LIX. p. 659. Orosius, VII. 5.

5 *Ingentique cum exercitu*] 'Ducenta hominum millia, vel, ut alii volunt, ducenta quinquaginta millia Caius collegerat:' Εἴκοσι γὰρ, ὡς δέ τινές φασι, πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας στρατιωτῶν ἤθροισε. Dio, LIX. p. 657.

6 *Gesoriacum*] Mela, III. 2. 'Pertinent ad ultimos Gallicarum gentium Morinos, nec portu quem Gesoriacum vocant, quicquam habent notius.' Nunc *Boulogne, in Picardy*. Vide Bucherium, *Belg. Roman.* IV. 10. Cl. d'Anville, *Notice de l'ancienne Gaule*, p. 353. et seq. Cl. Wastelain, *Description de la Gaule Belgique*, p. 381. et seq. Haud ita probabiliter eruditi scriptores, *Histoire générale des Provinces-Unies*, vol. I. p. 18. opinantur Caium ad Rheni ostium petiisse locum, nunc aquis obrutum. Vide et eruditum Camden, *Britannia, by Gough*, ed. 1806.

7 *Morinorum*] Morini, nunc *the dioceses of Boulogne, St. Omer, and Ypres.*

8 *Mox rediit*] Dio, LIX. p. 659.

9 *Adminio*] Sueton. in Caio, XLIV.

10 *Cunobelini*] Sueton. loc. cit. *Cino-*

tannorum[1] regis filio, qui pulsus a patre cum exigua manu transfugerat.

36. Exercitu auspiciis læto, superboque gentem, D. Julio petitam, non domitam, triumpho destinari, eadem, quæ anno superiore vidimus, belli et victoriæ ludibria revertere.[2] Nam Princeps, directa acie in littore Oceani, balistis machinisque dispositis, tribunal conscendit, milites alloquitur: tum insonante classico, stupentibus cunctis, nec opinantibus quid pararet, 'conchas legi, galeas et sinus repleri' jubet: hæc Oceani spolia Capitolio palatioque deberi' dictitans. Exin pronuntiato militi donativo, centenis viritim denariis,[3] quasi omne exemplum liberalitatis supergressus: 'Abite,' inquit, 'læti, abite locupletes:' ne gnarus quidem famam parare præmiorum magnitudine.[4]

37. Victoriæ tamen imagine eo amentior, quo falsa magis, veluti tradita Britannia, frænatoque Oceano, mag-

bellini. Orosius, VII. 5. 'Minocynobellinum Britannorum regis filium' appellat. At potior veterum nummorum scriptura, in quibus scriptum CVNOBILIN. CVNOBILINE. CVNOBELIN. CVNOBELINE. Hos nummos vide apud eruditum Camden, *Britannia, by Gough*, ed. 1806. Multos addidit Cl. Walker, *Camden's Britannia, by Gibson*, p. 91.

1 *Britannorum*] Non Britannorum omnium, sed Trinobantum, nunc *Middlesex and Essex*. Ejusque regia Camulodunum, nunc *Colchester*. Unde in nummis Cunobelini sæpe occurrit CAMV. id est, *Camulodunum*.

2 *Ludibria revertere*] De his ludibriis Sueton. in *Caio*, XLVI. Dio, LIX. p. 659.

3 *Centenis viritim denariis*] Angl. 3*l.* 6*s.* 8*d.* Cum donativum ad ducenta millia hominum pertinuisse videatur, data sunt DCCC HS, Angl. 666,666*l.* 13*s.* 4*d.*

4 *Præmiorum magnitudine*] Hæc quanta quanta sint, exigua tamen si veterum imperatorum præmia cogitaveris. Quam virilis Pompeii liberalitas! 'Reipublicæ et quæstoribus, qui oram maris defendissent, datum mille talentum, (Angl. 2,250,000*l.*) militibus singulis sena millia sestertium, Angl. 50*l.* Plin. XXXVII. 2. Ut ingenio et fortuna, sic liberalitate major, Julius Cæsar triumphans Romæ ostentavit 65,000. talenta, Angl. 14,625,000*l.* et coronas aureas 2822. pondo 20,414. Angl. 833,333*l.* 6*s.* 8*d.* Quorum summa mox post triumphum persolvit militi etiam cum auctario quicquid promiserat, militibus quinquies millenas drachmas, Angl. 187*l.* 10*s.*, duplum centurionibus, Angl. 333*l.* 6*s.* 8*d.*, tribunis et præfectis alarum quadruplum, Angl. 1333*l.* 6*s.* 8*d.*, plebi viritim minam Atticam, Angl. 3*l.* 6*s.* 8*d.* Hæc quidem Appianus, Bell. Civil. II. p. 491. Sed Græca legas, Latinis vero interpretibus diffidas; nonnihil enim peccat Candidus, plurimum Gelenius. Miror Henricum Stephanum id non advertisse. Sed assiduo usu mihi compertum veteres scriptores ab interpretibus, monetæ inscitia, vel computationis negligentia, mirum in modum fuisse adulteratos. Donativum plusquam viginti millibus militum a Cæsare datum patet ex Appiano, Bell. Civil. II. p. 471. et 475.

nificas Romam literas misit; monuitque speculatores[1] 'ut vehiculo ad forum usque et curiam pertenderent, nec nisi in æde Martis, ac frequente senatu, consulibus eas traderent.' Veritus quoque ne expeditionis memoria periret, Gesoriaci altissimam turrem[2] excitavit, qua, ut ex Pharo,[3] noctibus ad regendos navium cursus,[4] ignes emicarent: velata publicæ utilitatis obtentu vanitate.

38. Mansura opprobrii monumenta exstrui dolebant Romani, ridebant Barbari: quos inter Brinno,[5] Canninefas,[6] super ingenitam ferociam ex contumeliæ facilitate arrogans, ducenta hominum millia, insano duce, invalida despicere; infrementibus legatis, frustraque obnitentibus, et, si quid attentarent ut ignominia, Variana clade turpior, propulsaretur, odio statim oppressis. Interea Princeps alienæ laudis avidus, nec nisi per deridiculum quæsitæ appetens, ob novas, et sicuti anno superiore personatas, velitationes imperatoriis nominibus auctior,[7] cogitationes

1 *Monuitque speculatores*] Sueton. in Caio, XLIV.

2 *Altissimam turrem*] Quam restauraverat Carolus Magnus, ut testantur Annales Metenses apud Duchesne, Hist. Francor. Scriptores, vol. III. p. 295. ad annum 811. Antequam proximo superiore sæculo dirueretur, eam bis annis 1616. et 1624. vidit eruditus Bucherius: Turris fastigium recentioris manus et operæ (utpote a Carolo M. renovatum) esse animadvertit: 'Inferiora, qua lapidum genere, qua cæmento et structura longe firmiora: longis insuper ac grandibus intra parietum saxa lateribus terreis atque coctilibus, opere Romano insertis, colligata. Prorsus ut non minimam, quam Caligulæ ætatem præferre videretur. Erat octangula, singulaque latera 24. aut 25. pedum; ut totus illius ad solum circuitus pedum simul 192. aut 200. sit. Paulatim desinebat in acumen pyramidisque similitudinem. Medio fere altitudinis, quaternis duntaxat lateribus fenestras' habebat. Bucherius, *Belgium Romanum*, IV. 10. p. 145. et P. Wastelain, *Description de la Gaule Belgique*, p. 382.

3 *Ex Pharo*] Ex Pharo Alexandrina, omnium celeberrima.

4 *Navium cursus*] Sueton. in Caio, XLVI. Memoranda quoque Annalium Metensium, supra laudatorum, verba: 'Ipse autem Imperator (Carolus), ad classem videndam, quam præcedenti anno fieri et fabricari jusserat, Bononiam venit; pharumque ibi ad navigantium cursus dirigendos antiquitus constitutam restauravit, et in ejus summitate nocte ignem accendit.'

5 *Brinno*] Quem memoratum jam vidimus Hist. IV. 15.

6 *Canninefas*] De Canninefatibus dictum est Annal. IV. 73. Occidentalem Batavorum insulæ partem obtinebant.

7 *Imperatoriis nominibus auctior*] 'Septies Imperator,' ἑπτάκις αὐτοκράτωρ, appellatus est, teste Dione, LIX. p. 657. Immo juxta Joannem Antiochenum, in Excerpt. Constantini Porphyrogenet.

omnes ad triumphi curam convertebat: ei curæ erat, ut, præter captivos et transfugas barbaros, Galliarum procerissimus quisque,[1] ut Græco vocabulo dicebat '*dignus triumpho*,'[2] ac nonnulli ex principibus,[3] injuriæ opportuni, legerentur et ad pompam seponerentur. Cuncti quoque jussi non tantum rutilare[4] et submittere comam, sed et sermonem Germanicum addiscere, ac nomina barbarica ferre.

39. Ne quid adhuc ad celebritatem deesset, moræ impatiens, et quanto plus portenti, tanto plus gloriæ Principibus accedere stulte opinatus, præcepit triremes, quibus introierat Oceanum, magna ex parte itinere terrestri Romam devehi.[5] Scripsit et procuratoribus[6] 'triumphum appararent quam minima summa; sed quantus nunquam alius fuisset:[7] *eos in omnium hominum bona jus habere: opes Principis ad nova discrimina et reipublicæ gloriam reservandas*.'

40. Nec satis immiti animo, nisi in cædes exardesceret. Visu legionum,[8] quæ patrem suum Germanicum et se infantem *olim* obsederant,[9] excanduit ejus furor; initoque nefandæ atrocitatis consilio, omnes morti destinat. Ab ipsis

p. 805. Γερμανικὸς καὶ Βρεττανικὸς ἐπεκλήθη: 'Germanicus et Britannicus cognominatus est.' Hujus adulationis nullum in nummis extat monumentum. Sed forte periere. Odio Principis plurimos post Britannicam Claudii victoriam fuisse abolitos recte observat Cl. Reimarus in notis ad Dionem, LIX. p. 657. LX. p. 679.

1 *Procerissimus quisque*] Hæc et seq. Sueton. in Caio, XLVII.

2 *Dignus triumpho*] Sueton. loc. cit. 'Et ut ipse dicebat, ἀξιοθριάμβευτον.'

3 *Nonnulli ex principibus*] Ex principibus Gallorum. Hæc enim triumphorum laus maxima, cum viri fortissimi, principes, ac reges traducebantur.

4 *Rutilare*] Plin. XXVIII. 12. 'Gallorum hoc inventum rutilandis capillis, ex sevo et cinere. Optimus fagino et caprino, duobus modis, spissus ac liquidus: uterque apud Germanos majore in usu viris quam fœminis.' Vide infra, de Morib. German. IV.

5 *Romam devehi*] Sueton. loc. cit.

6 *Scripsit et procuratoribus*] Sueton. ibid.

7 *Nunquam alius fuisset*] Sueton. ibid. Inde quantum opum fuerit corrasum facile æstimabis, si tertium triumphum, quem M. Pisone, M. Messala consulibus, A. U. 693. Pompeius egit, cogitaveris. Vide quæ de hoc triumpho retulimus supra. Et certe in Pompeio minus fuit luxuriæ, quam in Caio, 'qui super omnia muliebria, socculos induebat e margaritis.' Plin. XXXVII. 2.

8 *Legionum*] Legionum Germaniæ inferioris.

9 *Olim obsederant*] De his Annal. I. 41.

tamen crudelitatum instinctoribus præpeditus ne vindictam, tot fortissimorum virorum virtute difficilem, et ob barbaros undique erupturos fatalem, susciperet, inhiberi nullo potuit modo quin decimare velle perseveraret.[1] Vocatos itaque ad concionem inermes, atque etiam gladiis depositis, equitatu armato circumsedit. Sed cum videret, suspecta re, plerosque dilabi ad resumenda, si qua vis fieret, arma, profugit concione,[2] confestimque Urbem petiit, ut ad crudelitatem, ita ad ignaviam præceps.

41. Haud fracta obice, sed ob moras gravior, irarum moles in senatum ruit. Et quo insolentiores præteritorum dedecorum rumores metuebantur, eo acrius certatum ut nobilioribus odiis majoribusque atrocitatibus obruerentur. Inde minæ et questus[3] 'patres infensos Principi, ejus discriminibus lætatos, nunc ejus gloriæ invidere: provinciis in venerationem ac cœlestes religiones certatim properantibus, se a senatu meritis triumphi honoribus fraudari: at tandem domesticorum hostium sanguine suam gloriam remque publicam ulturum.'

42. Hæc Romæ tanto tristius accepta, quod ipse paulo ante 'ne quid de suis honoribus ageretur,' etiam sub mortis pœna denuntiasset.[4] Quid facerent omitterentve ambigui, censuere Principem adiri a legatis amplissimi ordinis, qui 'ut maturaret' orarent. Iis inclementer exceptis, 'veniam,' quam maxima voce respondit, 'veniam, et hic mecum:'[5] capulum gladii, quo cinctus erat, crebro verberans. Exin terrorem popularitate intendens, edixit 're-verti se, sed iis tantum qui optarent, equestri ordini et populo: nam se neque civem, neque principem senatui amplius fore: vetare etiam ne quis senatoriæ 'dignitatis sibi occurreret.' Omisso dilatove triumpho, ovans Urbem natali suo ingressus est;[6] et, ut studia vulgi pararet,

1 *Perseveraret*] Sueton. in Caio, XLVIII.

2 *Profugit concione*] Sueton. ibid.

3 *Minæ et questus*] De quibus Dio, LIX. p. 660. Sueton. in Caio, XLVIII.

4 *Sub mortis pœna denuntiasset*] Sueton. loc. cit.

5 *Et hic mecum*] Sueton. in Caio, XLIX.

6 *Natali suo ingressus est*] Sueton.

nummos non mediocris summæ e fastigio basilicæ Juliæ per aliquot dies sparsit in plebem:[1] haud expers liberalitatis, ubi ad sævitiam et libidinem utilis.

43. Verum præter animo conceptas irarum causas, novas attulit conjuratio[2] ab Anicio Cereali prodita. Cujus auctorem Sextum Papinium, consulari patre ortum, unum plecti haud satis visum. Is, ut ad facinus, ita ad facinoris pœnas obduratus, cum silentii firmus taceret, rogatus est quos vellet vere aut falso socios appellaret:[3] spesque salutis ac impunitatis oblata. Seu quos dixerit, seu quos voluerit Princeps,[4] fuerint suppositi, Betilienus Bassus, quæstor et procuratoris filius, senatores quoque, et equites Romani corripiuntur. Nec vita Papinio permissa, sed exquisitis tormentis enectus est.[5]

44. Dein Princeps non quæstionis, sed animi causa, ceteros flagellis cecidit, fidiculis, tabularibus, equuleo, igne, vultu suo[6] torsit, id unum præcavens, ne cito perirent.[7] Gemitus quoque, una patientis ac perituri ominis solatia, invidens; forte etiam liberiores voces, quas extremus dolor, nec ad nova supplicia superstes, mitteret, reve-

loc. cit. Caium natum esse pridie Kalendas Septembres jam diximus supra cap. 21. Et in fragmento veteris Kalendarii apud Gruterum, p. 134. notatum: PRID. KAL. SEPTEMBR. NATALIS C. CAESARIS GERMANICI.

1 *Sparsit in plebem*] Sueton. in Caio, XXXVII. Dio, LIX. p. 660. Ii sunt sane nummi, de quibus agit Ms. codex Vindobonensis. 'De basilica Julia sparsit aureos et argenteos in qua rapina perierunt homines XXXII. CCXLVII.' Observavimus emendandum, 'sparsit aureos et argenteos XXXII. (id est, aureorum et argenteorum triginta duo millia,) in qua rapina perierunt homines CCXLVII.' Tot autem perire potuisse minime mirum, siquidem in tumultu Circensi fuerint 'elisi viginti amplius equites Romani, totidem matronæ, super innumeram turbam.' Sueton. in Caio, XXVI.

2 *Conjuratio*] Hujus meminit Tacitus Annal. XVI. 17. Zonaras quoque vol. I. p. 557. sed multis erroribus fœdatus, quos egregie confutavit Cl. Reimarus in notis ad Dionem, LIX. p. 660.

3 *Appellaret*] Zonaras, loc. cit.

4 *Seu quos voluerit Princeps*] Unde Seneca, de Ira, III. 18. 'C. Cæsar Sextum Papinium, cui pater erat consularis, Betilienum Bassum, quæstorem suum, procuratoris sui filium, alios senatores et equites Romanos uno die flagellis cecidit, torsit, non quæstionis, sed animi causa.'

5 *Enectus est*] Zonaras, loc. cit.

6 *Igne, vultu suo*] Seneca, de Ira, III. 19.

7 *Cito perirent*] Sueton. in Caio, XXX. 'Non temere in quenquam, nisi crebris et minutis ictibus, animadverti passus est: perpetuo notoque jam præcepto; ita feri, ut se mori sentiat.'

ritus, os inserta spongia includi,[1] et cum spongiæ non invenirentur, scindi vestimenta miserorum, et in os farciri pannos imperavit: occluso exituræ animæ loco, in ultimum spiritum sævire gestiens.

45. Nec expleta diurnis tormentis cruenta cupiditas: nocte continuata, ne qua esset voluptatis intermissio.[2] Igitur in xysto[3] maternorum hortorum,[4] qui porticum a ripa separat, inambulans, quosdam ex illis cum matronis atque aliis senatoribus ad lucernam decollavit.[5] Feralem scenam excepit atrox consilium. Patres enim occisorum eadem nocte, dimissis per domos centurionibus, confecit,[6] ne sævitiæ exprobratores vivere pateretur.

46. Tot inter mortes casuum similitudine haud memorandas una extitit insignior. Jussus enim Capito[7] filii sui cædi interesse, et 'num clausis oculis adesse liceret' interrogans, statim mortis damnatus est. Jam supplicio proximus, se ex conjuratis unum esse simulavit, indicium professus.[8] At lætitiam, nova occidendorum spe gliscentem, cito repressit, cum auctores ducesque conjurationis appellaret Principis libidinum ministros, Urbis prætoriarumque cohortium præfectos, Callistum[9] ex libertis carissimum, ipsamque Caii uxorem Cæsoniam. Libertas, mendacio corrupta, nihil patriæ profuit: Capitoni promtum ac durum vitæ exitum attulit.

47. Princeps vero, quem conscientia, scelerum testis et

1 *Inserta spongia includi*] Senec. loc. cit.

2 *Intermissio*] Senec. de Ira, III. 18.

3 *In xysto*] Xystus ambulatio erat ante porticum arboribus ad apricandum consita. Sic Plinio erat in suo Laurentino 'ante cryptoporticum xystus violis odoratus.' Plin. Ep. II. 17.

4 *Maternorum hortorum*] Hortorum Agrippinæ, qui erant in Vaticano, prope ripam Tiberis, ut docet Donatus, de Urbe Roma, III. 23.

5 *Ad lucernam decollavit*] Senec. loc. cit.

6 *Confecit*] Senec. de Ira, III. 20. 'Adjicere his longum est, quod patres quoque occisorum eadem nocte, dimissis per domos centurionibus, confecit: id est, homo misericors luctu liberavit. Non enim Caii sævitiæ, sed iræ malum propositum est describere.'

7 *Jussus enim Capito*] Dio, LIX. p. 660. ait Capitonem Cassii Betillini patrem fuisse. Hujus quoque cædis generatim meminit Suetonius in Caio, XXVII. 'Parentes supplicio filiorum interesse cogebat.'

8 *Indicium professus*] Zonaras, vol. I. p. 557.

9 *Callistum*] De quo dicitur ad Annal. XI. 38.

vindex, vel sævissimis tyrannis formidata, angore ac sollicitudine lancinat, omnià suspecta habere, nemini credere, omnes metuere: modo indignatione amens, furere, unamque optare populo Romano cervicem,[1] ut scelera sua, tot locis ac temporibus diducta, in unum ictum, et unum diem cogeret: modo ignavia imbellis, desperare, mortem quærere, Urbi ac prætorio præfectos, Callistumque arcessere, miserabiliter alloqui:[2] 'unus sum, tres estis: ego nudus, vos armati: si me odistis, si vitam petitis, occidite.'

48. His auditis, perterriti fidem renovant, tuta omnia asseverant; at mentem non firmant metu invalidam. Veteribus vitiis superstitibus, novis in dies adventitiis, gliscit formido, nec erubescit Princeps vel ipsa in Urbe cinctus gladio *prodire*:[3] et, quo nihil inconsultius, ad *securitatem* via inimicitiarum grassatur; amicosque, qui mutuis inter se odiis dissideant, asciscit.[4] Id quidem, prævalida, nec improba dominatione, quandoque utilius quam gloriosius, usurpatum, invisis vero Principibus perniciem semper intulit. Ipsa namque dicordia scelerum feracior est, quam concordia.

49. Interim senatus, luctu tot cæsorum mœstus, dolebat adhuc quosdam senatores vivere Principi odiosos; animumque iræ pervicacem, et ob moras omnium internecioni imminentem, formidabat.[5] Terroris anceps, gratiam dedecore redemit. Cum enim Protogenes,[6] præcipuus Caianæ

1 *Cervicem*] Hæc et seq. totidem ferme verbis Seneca, de Ira, III. 19. ubi adversus Caii ferociam acriter intonat.

2 *Miserabiliter alloqui*] Zonaras, vol. I. p. 557. τοὺς ὑπάρχους τε καὶ Καλλίστον προσκαλεσάμενος· Εἷς εἰμὶ, ἔφη, τρεῖς δὲ ὑμεῖς, καὶ γυμνὸς μὲν ἐγὼ, ὡπλισμένοι δὲ ὑμεῖς. Εἰ οὖν μισεῖτέ με, καὶ ἀποκτείνειν θέλετε, φωνεύσατε.

3 *Cinctus gladio prodire*] Zonaras, loc. cit.

4 *Asciscit*] Zonaras, vol. I. p. 557. Συνέβαλεν αὐτοὺς ἀλλήλοις ὅπως μὴ συμφωνῶσι, κατὰ μόνας ἑκάστῳ ὡς πιστοτάτῳ διαλεγόμενος περὶ τῶν λοιπῶν, μέχρις οὗ συνέντες τὸ ἐπιχείρημα, προήκαντο αὐτὸν τοῖς ἐπιβουλεύουσι: 'Eos invicem commisit, ne consentirent, cum unoquoque tanquam fidissimo de ceteris colloquens, donec ejus consilio perspecto, eum insidiatoribus condonarunt.'

5 *Imminentem, formidabat*] Zonaras, loc. cit.

6 *Protogenes*] De quo Dio, LIX. p. 660. Ἦν δέ τις Πρωτογένης πρὸς πάντα αὐτῷ τὰ καλεπώτατα ὑπηρετῶν, ὥστε καὶ βιβλία ἀεὶ δύο περιφέρειν, καὶ αὐτῶν τὸ μὲν, ξίφος, τὸ δὲ, ἐγχειρίδιον ὀνομάζειν: 'Fuit quidam Caii in omnibus atrocissi-

sævitiæ satelles, in curiam esset ingressus, ac singuli salutem et dextram ei porrigerent, ille Scribonium Proculum torve intuitus;[1] 'quid tu,' inquit, 'hostis publice, me salutas?' Statim Proculus a senatoribus correptus,[2] graphiis confossus et laceratus. Ejus membra, artus, et viscera, tracta per vicos, ubi ante se congesta vidit Caius, se amicum senatus[3] professus est; infamiam turpi, sed digna tali Principe, benevolentia rependens.

50. Patres, ne in eo probrorum certamine vincerentur, decrevere 'ludos;[4] Caiique sedes, quotiens in curiam veniret, in editissimo tribunali collocaretur, omnibus invia, militarique cincta præsidio: ante ejus statuas agerentur excubiæ.' Quæ suspicioso Principi adeo placuere, ut et gratiam cum senatu firmaret, et opes promitteret.[5] Maximum placati animi argumentum fuit Pomponius.[6] Ab amico majestatis postulatus, absolutus est; et fœmina amicitia incertum an stupro[7] ei illigata, quod excruciata gravissimis tormen-

mis rebus administer, nomine Protogenes, solitus libellos semper duos circumferre, gladii ac pugionis titulis insignitos.' De his quoque libellis Suetonius in Caio, XLIX. 'In secretis ejus, (Caii), reperti sunt duo libelli diverso titulo: alteri GLADIUS, alteri PUGIO, index erat. Ambo notas et nomina continebant morti destinatorum.'

1 *Torve intuitus*] Dio, loc. cit.

2 *A senatoribus correptus*] Dio, ibid. Omisso nomine, Sueton. in Caio, XXVIII. 'Cum discerpi senatorem concupisset, subornavit qui ingredientem curiam, repente hostem publicum appellantes, invaderent, graphiisque confossum lacerandum ceteris traderent. Nec ante satiatus est, quam membra et artus et viscera hominis tracta per vicos, atque ante se congesta vidisset.'

3 *Se amicum senatus*] Dio, ibid.

4 *Decrevere ludos*] Hæc ceteraque Dio, LIX. p. 660.

5 *Opes promitteret*] Dio, ibid.

6 *Pomponius*] Idem, ut videtur, ac Pomponius Secundus, de quo dictum est Annal. v. 8. et in not. Suppl. Annal. VII. 8. Ejus vitam scripserat Plinius, retuleratque cœnam, quam hoc anno, forte ut gratias ageret, Caio Principi dedit Pomponius: ibi ministratum vinum, L. Opimio consule, A. U. 633. id est, 160. annis ante signatum, cujus singulæ unciæ nongentis sexaginta nummis, Angl. 8*l*. 6*s*. 8*d*. constabant. Pretium vero amphoræ 922,660. HS. Angl. 7688*l*. 16*s*. 8*d*. Plin. XIV. 5. Amphora *pintas* Parisienses 28. continebat. Non mirum ergo singulas uncias, seu exiguum scyphum, valuisse 186. Hæc autem ut a nostris usibus aliena, ita incredibilia videntur. At iis fidem facit Polonia, ubi, ut audivi a nobilibus Polonis, vinum Hungaricum per sexaginta, immo per centum et amplius annos, asservatur; maximo tunc pretio, et quod ad Romani hujus vini valorem accedat, quantum patitur utriusque imperii fortuna.

7 *Incertum an stupro*] Ambigua enim apud Dionem, loc. cit., vox, τὴν ἑταίραν

tis, nihil esset confessa, præmiis donatur.

51. Quo rariora his temporibus clementiæ exempla, eo fuere celebratiora. 'Caium humanarum virtutum fastigium esse supergressum' omnes clamitant: multi 'inter Heroas ascribendum' censent: plures numen ejus venerantur, et 'Deum esse' pronuntiant.[1] Princeps, qui sub anni superioris finem ad eam divinitatis insaniam, sua vanitate, an regum orientis æmulatu hortatuve, in provinciis erat delapsus, id dignitatis Romæ obtinere gestiit; seque, quem verenda Principum majestas non satis tuebatur, divinitatis fama defensum iri speravit: haud memor numen immortale vel negatis honoribus valescere; iis vero vel maximis evilescere mortales Deos.

52. Grande igitur, at lubricum, cœpit divinitatis rudimentum ponere. Se ad omnes Deorum nutus, habitus, formas fingit: ne sexus quidem reverens, Deas æque ac Deos, senes, juvenes, cœlestes, terrestres, aquatiles, omnes refert, totumque cœlum in se uno complectitur. Exin palatio Cæsarum Deum hospitem coarctari ratus, domo sua urbem cingit;[2] et æde Castoris ac Pollucis[3] in vestibulum transfigurata,[4] hos inter medius sæpe consistit, seque adorandum adeuntibus exhibet.

53. Quod tamen in hac stultitia stupendum, humanitatis

αὐτοῦ. Prorsus diversam esse a muliere libertina, de qua dictum supra in Suppl. Annal. VII. 14., ex nomine temporumque ratione patet.

1 *Deum esse pronuntiant*] Dio, loc. cit. Τῶν μὲν, ἥρωα, τῶν δὲ, θεὸν ἀνακαλούντων, δεινῶς ἐξεφρόνησεν: 'Aliis eum heroëm, aliis Deum vocantibus, vehementi insania correptus est.' Vide et Philonem, Legat. ad Caium, p. 1002. et 1003. Suetonium in Caio, XXII.

2 *Urbem cingit*] Domum, quæ sua magnitudine erat urbi par, exstruit. Plin. XXXVI. 15. Sect. 24. n. 5. 'Sed eas omnes duæ domus vicerunt. Bis vidimus urbem totam cingi Caii et Neronis, et hujus quidem (ne quid deesset) aurea. Nimirum sic habitarunt illi, qui hoc imperium fecere, tantas ad vincendas gentes triumphosque referendos ab aratro aut foco exeuntes, quorum agri quoque minorem modum obtinuere, quam sellariæ istorum.' Immensæ Caii domus pars maxima in monte Palatino fuit.

3 *Æde Castoris ac Pollucis*] Ædes illa fuit in foro Romano, inter Capitolinum et Palatinum montes. Manent adhuc tres ejus columnæ prope ecclesiam sanctæ Mariæ Liberatricis.

4 *In vestibulum transfigurata*] Sueton. in Caio, XXII. Rudera hujus vestibuli, quæ adhuc extant, exhibet Cl. Piranesi, *Antichità Romane*, vol. I. Tab. 33. n. 1.

aliquid retinuit; Jovem enim æmulatus, cum aliquando oracula funderet, sutoremque Gallum ridentem aspiceret, eum interrogavit, 'quisnam tibi videor?' 'magnum deliramentum,'[1] respondit sutor. Libertatem veritas simul et hominis ignobilitas impunem fecere. Argutior L. Vitellius,[2] ante consilio et artibus egregius, tum servitio et adulatione princeps.[3] Percunctante enim Caio 'an Lunam cum ipso congressam videret;'[4] ille, demissis oculis, tremula voce, ac venerabundus, insusurrat 'vobis solis, domine, Diis datum, invicem vos intueri.' Quo responso, ut olim ceteros oblatis divinitatis honoribus antevenerat, ita, licet ambigue assertis, favore in posterum vicit.

54. At novum numen, paucis beneficum, plurimis grave, inauditis vectigalibus, turpioribusque artibus, divino nomine præscripto tremendis, in omnium fortunas grassatur. Sacra ipsa, vulgo opum fœcunda, in pauperiem tum cessere. Jovem enim Latialem[5] se dictitans, posuit templum numini suo proprium; et præter excogitatissimas hostias phœnicopteros,[6] pavones, tetraonas,[7] numidicas, meleagri-

1 *Magnum deliramentum*] Ipsa sutoris verba servata voluit Dio, LIX. p. 660. et 661. Ὁ δὲ Γάϊος ἐκάλεσέ τε αὐτὸν, καὶ ἀνήρετο, τί σοὶ δοκῶ εἶναι; καὶ ὃς ἀπεκρίνατο (ἐρῶ γὰρ αὐτὸ τὸ λεχθὲν) ὅτι, Μέγα παραλήρημα· καὶ οὐδὲν μέντοι δεινὸν ἔπαθε· σκυτοτόμος γὰρ ἦν: 'Eum Caius vocatum percunctatus est, quidnam ipsi esse videretur. Magnum, respondit ille, (ipsa enim ejus verba apponam) deliramentum. Idque impune tulit, quod esset sutor.'

2 *L. Vitellius*] De quo Annal. VI. 32.

3 *Adulatione princeps*] Sueton. in Vitellio, II. L. Vitellius 'miri in adulando ingenii, primus C. Cæsarem adorari ut Deum instituit, cum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quam capite velato, circumvertensque se, deinde procumbens.'

4 *Congressam videret*] Dio, LIX. p. 661. Καί ποτε τοῦ Γαΐου συγγίνεσθαί τε τῇ Σελήνῃ λέγοντος, καὶ ἐρωτήσαντος αὐτὸν, εἰ ὁρῴη τὴν θεὸν συνοῦσαν αὐτῷ, κάτω τε, ὡς καὶ τεθηπὼς, ἔβλεπεν, ὑποτρέμων· καὶ σμικρόν τι φθεγξάμενος· Ὑμῖν (ἔφη) τοῖς θεοῖς, δέσποτα, μόνοις ἀλλήλους ὁρᾷν ἔξεστι: 'Aliquando Caius rem sibi esse cum Luna dixit, percunctatusque est Vitellium, vidissetne Deam cum ipso congredientem: tum Vitellius, quasi attonitus, oculis in terram demissis, tremens, exili voce: Solis, inquit, domine, vobis Diis licet invicem videre.'

5 *Jovem enim Latialem*] Sueton. in Caio, XXII.

6 *Phœnicopteros*] Hanc avem ceterasque, raritate et pretio commendabiles, memorat Suetonius, loc. cit. Lautiores inter cibos annumeratur Juvenal. XI. 139. 'Phœnicopterus ingens.' 'Genus avis,' inquit vetus Scholiastes, 'quæ habet pennas colore Phœnicio. In aqua semper est: abundans in Africa. Hujus rostrum tam prolixum est et curvum, ut, nisi merso capite, aqua in os ipsius non possit intrare.' Vide Gesnerum, de Avibus, p. 662.

7 *Tetraonas*] Plin. X. 22. sect. 29.

das, phasianas, quæ generatim per singulos dies immolarentur, sacerdotes instituit Claudium patruum, et locupletissimos quosque, qui singuli sacerdotia centies sestertium[1] emerent. Ipse sui sacerdos uxorem Cæsoniam, equumque suum *Incitatum* in collegium cooptavit:[2] numine ac cultu pariter irridendus; sed sorte lætus, quod super auri acervos volutaretur.[3] Has tamen inter delicias haud deferbuit furor. Immo tum placuit hominum fortunæ vitæque illudere. Gratias enim Principi agere cogebantur, et quorum bona ablata, et quorum liberi occisi. In hac promiscua pereuntium turba, quæ, quotidianum sacrum, novo numini cadebat, vitæ hilaritate, mortis constantia Canus Julius[4] præcipuam laudem tulit.

55. Nec Caius Diis, quam hominibus, æquior extitit:

' Decet tetraonas suus nitor, absolutaque nigritia, in superciliis cocci rubor. Alterum eorum genus vulturum magnitudinem excedit, quorum et colorem reddit. Nec ulla ales, excepto struthiocamelo, majus corpore implens pondus, in tantum aucta, ut in terra quoque immobilis prehendatur. Gignunt eos Alpes, et Septentrionalis regio. In aviariis saporem perdunt. Moriuntur contumacia, spiritu revocato.' Tetraones vulgo, *the buzzing pheasant.*

1 *Centies sestertium*] Angl. 83,333*l.* 6*s.* 8*d.* Dio, LIX. p. 662. Suetonius quoque in Caio, XXII. ' Magisteria sacerdotii ditissimus quisque et ambitione et licitatione maxima vicibus comparabant.' De pretio tamen paulo aliter idem Suetonius in Claud. IX. ' Postremo etiam sestertium octogies (Angl. 66,666*l.* 13*s.* 4*d.*) pro introitu novi sacerdotii coactus impendere, ad eas rei familiaris angustias decidit, ut cum obligatam ærario fidem liberare non posset, in vacuum lege prædiatoria venalis pependerit sub edicto præfectorum.'

2 *Cooptavit*] De Cæsonia et equo sacerdotibus vide Dionem, loc. cit.

3 *Volutaretur*] Sueton. in Caio, XLII. ' Novissime contrectandæ pecuniæ cupidine incensus, sæpe super immensos aureorum acervos patentissimo diffusos loco, et nudis pedibus spatiatus, et toto corpore aliquamdiu volutatus est.' Cum ad eam opum insaniam venit, Romæ et in Italia plus fuisse auri et argenti, quam in toto orbe, docet Philo, Legat. ad Caium, p. 1007. Ἐν Ῥώμῃ καὶ τῇ ἄλλῃ Ἰταλίᾳ, παρ' οἷς (πλουσίοις) ἄργυρος καὶ χρυσὸς τεθησαύρισται τοσοῦτος, ὥστε εἰ σύμπας ὁ ἐξ ἁπάσης τῆς ἄλλης οἰκουμένης. Hæc rhetorice magis, quam vere, dicta. Maximæ quidem erant imperii Romani opes, quæ, ut mos regnorum, totæ Romam et in Italiam deferebantur. Sed majores adhuc opes Parthorum, Indorum, ceterarumque gentium, si universe accipiantur.

4 *Canus Julius*] Quem effuse laudat Seneca, de Tranquillitate animi, XIV. ' Canus Julius, vir inprimis magnus, cujus admirationi ne hoc quidem obstat, quod nostro sæculo natus est, cum Caio diu altercatus, postquam abeunti Falaris ille dixit: Ne forte inepta spe tibi blandiaris, duci te jussi: Gratias, inquit,

eos modo probris et irrisionibus[1] lacessebat: modo aris deturbabat, et in templi sui famulitium vocabat:[2] modo truncabat capite, ut suum imponeret. Laudatissimis quibusque potissimum infensus, marmoreum Cupidinem, Praxitelis opus, Thespiis sustulit:[3] ipsum Jovem Olympium, Phidiæ[4] et artis miraculum, rapturus, nisi Memmius Regulus,[5] portento dolove territus, abstinuisset. Nec mirum

ago, optime Princeps. Quid senserit, dubito: multa enim occurrunt mihi. Contumeliosus esse voluit, et ostendere quanta crudelitas esset, in qua mors beneficium erat? An exprobravit illi quotidianam dementiam? agebant enim gratias, et quorum occisi liberi, et quorum bona ablata erant. An tanquam libertatem libenter accepit? Quicquid est, magno animo respondit. Dicet aliquis: Potuit post hæc jubere illum Caius vivere. Non timuit hoc Canus: nota erat Caii in talibus imperiis fides. Credisne illum decem medios usque ad supplicium dies sine ulla solicitudine exegisse? verisimile non est, quæ vir ille dixerit, quam in tranquillo fuerit. Ludebat latrunculis, cum centurio, agmen periturorum trahens, illum quoque excitari jubet. Vocatus numeravit calculos, et sodali suo, Vide, inquit, ne post mortem meam mentiaris te vicisse. Tum annuens centurioni: Testis, inquit, eris, uno me antecedere. Lusisse tu Canum illa tabula putas? illusit. Tristes erant amici, talem amissuri virum. Quid mœsti, inquit, estis? Vos quæritis, an immortales animæ sint: ego jam sciam: nec desiit in ipso veritatem fine scrutari, et ex morte sua quæstionem habere. Prosequebatur illum philosophus suus: nec jam procul erant tumulus, in quo Cæsari Deo nostro fiebat quotidianum sacrum. Quid, inquit, Cane, nunc cogitas? aut quæ tibi mens est? Observare, inquit Canus, proposui illo velocissimo momento, an sensurus sit animus exire se: promisitque si quid explorasset, circumiturum amicos, et indicaturum quis esset animarum status. Ecce in media tempestate tranquillitas: ecce animus æternitate dignus, qui fatum suum in argumentum veri vocat: qui in ultimo illo gradu positus, exeuntem animum percunctatur: nec usque ad mortem tantum, sed aliquid etiam ex ipsa morte discit. Nemo diutius philosophatus: sed non raptim relinquetur magnus vir, et cum cura dicendus: dabimus te in omnem memoriam, clarissimum caput, Caianæ cladis magna portio.'

1 *Probris et irrisionibus*] Quas vide apud Suet. in Caio, XXII.

2 *Vocabat*] Suet. loc. cit. 'Dato negotio, ut simulacra numinum religione et arte præclara, inter quæ Olympii Jovis apportarentur e Græcia, quibus capite demto suum imponeret.'

3 *Thespiis sustulit*] Pausanias IX. Bœotic. 27. docet Cupidinem illum a Caio fuisse Thespiis sublatum, a Claudio redditum, a Nerone iterum Romam reportatum, ubi igne consumtus est. Illum memorat Plinius, XXXVI. 5. n. 5. 'Ejusdem (Praxitelis) est et Cupido objectus a Cicerone Verri, (*Cic.* in Verrem, IV. 2.) ille propter quem Thespiæ visebantur, nunc in Octaviæ scholis positus.'

4 *Phidiæ*] Plin. XXXIV. 8. 'Ante omnes Phidias Atheniensis, Jove Olympiæ facto, ex ebore quidem et auro.' Dei sedentis effigiem et ornamenta fuse descripsit Pausanias, V. Eliac. prior. II.

5 *Nisi Memmius Regulus*] Teste Josepho, Antiq. Jud. XIX. 1. n. 1. Architecti Memmio Regulo dixere, infractum iri simulacrum, si loco moveretur.

muta simulacra ab eo sperni, qui tonantem Jovem[1] ad pugnam vocaret, et vincere præsumeret.

56. Hæc inter vesanæ mentis deliria, Romam advenerant Judæorum Alexandrinorum legati,[2] duce Philone, diserti magis quam subacti ingenii homine. Querebantur,[3] 'gentem, unius, immortalis, et rerum omnium effectoris, Dei religioni addictam opprimi: ademta sibi civium jura:[4] sacra violari: proseuchas[5] fœdis mortalium Deorum imaginibus deturpari.' In hos luctus eo magis effusi, quod nihil religione carius et intolerantius, gensque Judæorum sit querula, novas et acriores mœstitiæ causas Puteolis, quo Principem, locorum atque libidinum incertum, erant insecuti,[6] accepere.

57. Scilicet 'Jamneam[7] urbem exoticis sacris a Capitone, *Principis* quæstore,[8] profanatam:[9] ejusdem artibus, nefariisque Heliconis et Apellis, quos supra memoravi,[10]

Addit ab aliis dici Memmium incredibilibus miraculis deterritum fuisse. Λέγεται δὲ τὸν Μέμμιον διὰ ταῦτα, καὶ σημείων μειζόνων γεγενημένων, ἢ ὡς ἄν τινα πιστὰ ἡγεῖσθαι, ὑπερβαλέσθαι τὴν ἀναίρεσιν.

1 *Tonantem Jovem*] Pluribus Seneca de Ira, I. 16. 'C. Cæsar, iratus cœlo quod obstreperet pantomimis, quos imitabatur studiosius quam spectabat, quodque comessatio sua fulminibus terreretur, prorsus parum certis, ad pugnam vocavit Jovem, et quidem sine missione, Homericum illum exclamans versum, ἤ μ' ἀνάειρ', ἢ ἐγὼ σε. Quanta dementia *fuit? putavit*, aut sibi noceri ne a Jove quidem *posse*, aut se nocere etiam Jovi *posse*. *Non puto* parum momenti hanc ejus vocem ad *incitandum* conjuratorum animos addidisse. Ultimæ *enim* patientiæ *visum est* eum ferre, qui Jovem non ferret.' *De conjuratione* dicemus infra cap. 68. et seq.

2 *Judæorum Alexandrinorum legati*] Hanc Judæorum legationem fuse descripsit Philo in libro, cui titulum fecit, de Legatione ad Caium, p. 992. et seq.

3 *Querebantur*] De his querelis vide Philonem, Legat. ad Caium, p. 1008. et seq.

4 *Civium jura*] Civium Alexandrinorum jura, quæ quadringentos ante annos obtinuerant. Philo, Legat. ad Caium, p. 1040.

5 *Proseuchas*] Quid sint proseuchæ jam diximus supra in Suppl. Annal. VII. 38.

6 *Erant insecuti*] Philo, Legat. ad Caium, p. 1018. 'Αφίγμεθα μὲν γὰρ ἀπὸ 'Ρώμης εἰς Δικαιάρχειαν ἐπακολουθοῦντες Γαΐῳ: 'Veneramus Roma Puteolos, Caium secuti.' De Puteolis, *Pozzuolo*, sæpe dictum est.

7 *Jamneam*] Urbem, tribus Dan in Palæstina, prope Joppen. Nunc appellatur *Zania*.

8 *Principis quæstore*] Exigendis tributis in Judæa præerat.

9 *Profanatam*] Hæc lacrymose describit Philo, Legat. ad Caium, p. 1020. et 1021.

10 *Supra memoravi*] In Suppl. Annal. VII. 27.

consiliis sacrosanctum Hierosolymæ templum sibi periisse: P. Petronium,[1] Syriæ præsidem, cum exercitu missum, ut inauratum NOVI IOVIS INLVSTRIS CAII[2] colossum in sacro adyto[3] reponat, vel totam gentem perditum eat: sacrilegum opus Sidone deproperari:[4] sacerdotes et optimates, ut ad impietatem consentiant, evocari: desertas Judæorum urbes, vacuas domos, omnes in Phœniciam venisse,[5] ut Petronium, virum minime atrocem, sed displicere Principi verentem, ad miserationem gentis, ultro in preces, et, si fuerint irritæ, in pericula et mortes ruentis, flecterent: si foret pereundum, id solatii saltem habituros, quod peregrina in terra, inviolato adhuc templo, occumberent.'

58. Legati, his rebus auditis, dolore victi et muti corruunt,[6] necdum quantum periculi immineret gnari. Petronius enim, tot miserorum aspectu et precibus mollitus, literas, pietatem inter et obsequium ambiguas, ad Principem miserat:[7] 'lentas operas: sed non intutas moras: religiones tempore potius quam vi gliscere: Judæos sacris suis pervicacius astrictos; si festinaretur, forte agrorum vitæque oblitos, in sui perniciem sponte ituros, cum summo Principis detrimento, qui sane per has regiones meditatum in Ægyptum iter faceret.'[8] Caius, ob

1 *P. Petronium*] In nummo, ex ære mediocri, anno sequenti cuso, TI. CLAVDIVS AVG. GER. IMP. capite laureato. Ex adversa parte in corona, ΕΠΙ ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. q. 'Sub Petronio, (Syriæ præside,) Antiochensium,' anno 90. æræ Cæsarianæ. Vide Harduinum, Select. Opera, p. 22. et 633. Petronius Vitellio in Syriæ præfectura successerat. Philo, Legat. ad Caium, p. 1025.

2 *Inlustris Caii*] Διὸς ἐπιφανοῦς νέου Γαΐου. Philo, Legat. ad Caium, p. 1019. et 1040.

3 *In sacro adyto*] Hierosolymitani templi.

4 *Sidone deproperari*] Philo, Legat. ad Caium, p. 1024. Sidon, urbs Phœniciæ, hodie *Seyde*.

5 *In Phœniciam venisse*] Philo, loc. cit. Eos in sex ordines distributos, seniorum, juniorum, puerorum, rursum alia parte anuum, mulierum, virginum, venisse testatur idem Philo, Legat. ad Caium, p. 1025. Εἰς τάξεις δὲ ἓξ διενεμήθησαν, πρεσβυτῶν, νέων, παίδων, πάλιν ἐν μέρει πρεσβυτίδων, γυναικῶν τῶν ἐν ἡλικίᾳ, παρθένων.

6 *Muti corruunt*] Philo, Legat. ad Caium, p. 1019.

7 *Ad Principem miserat*] Philo, Legat. ad Caium, p. 1027.

8 *Faceret*] Ut Alexandriam veniret, et in urbe, qua nulla alia ad adulationem

suspiciones perspicax, divinos honores a Judæis negari et Petronium connivere introspexit.[1] Veritus tamen exercitus defectionem, modeste rescripsit;[2] laudataque Petronii prudentia, hortatus est 'ut collectis jam frugibus, nulloque instante periculo, operas urgeret, et debitas Principi religiones assereret.'

59. Interim rex Agrippa,[3] Petronii literarum nescius, Caium salutatum venit. Vultu ejus obnubilo et iras recondente primum territus,[4] mox auditis exprobrationibus 'gentem suam rebellem esse, Principi ejusque numini infensam,' ita diriguit,[5] ut exanimus domum suam fuerit reportatus. Postero die animis viribusque paululum recreatis, longas, supplicum more, literas misit Principi:[6] quarum libertate excusata, profitebatur 'se amore patriæ succensum, avis proavisque regibus simul et summis pontificibus[7] natum, Dei altissimi templum semper veneratum, pro se, pro patria, pro sua gente clementiam pietatemque Principis exorare.

60. 'Meminisset avorum suorum Agrippæ et Tiberii,[8] Augusti proavi,[9] proaviæ Juliæ:[10] omnes Judæorum religioni favisse: Agrippam,[11] cum Hierosolymæ versabatur, singulis diebus sacrosanctum templum adiisse, verendam-

projectior, quam maximis divinitatis honoribus mactaretur. Philo, Legat. ad Caium, p. 1028. et 1029.

1 *Introspexit*] Philo, loc. cit.

2 *Modeste rescripsit*] Philo, Legat. ad Caium, p. 1029.

3 *Rex Agrippa*] De quo supra in Suppl. Annal. VII. 37. Ex regno redux, Caium salutatum veniebat.

4 *Primum territus*] Philo, loc. cit.

5 *Ita diriguit*] Philo, Legat. ad Caium, p. 1030.

6 *Literas misit Principi*] Philo, Legat. ad Caium, p. 1031.

7 *Summis pontificibus*] Philo, loc. cit. Πάππων δὲ καὶ προγόνων βασιλέων ἔλαχον, ὧν οἱ πλείους ἐλέγοντο ἀρχιερεῖς: 'Avos proavosque reges habuit quorum plures fuere summi pontifices.'

8 *Agrippæ et Tiberii*] Tiberius avus Caii ob adoptionem Germanici. Avus quoque M. Agrippa ob Agrippinam, Caii matrem. Vide Stem. Cæs. n. 47. et 51.

9 *Augusti proavi*] Ob Tiberium ab Augusto, Germanicum a Tiberio adoptatum.

10 *Juliæ*] Liviæ, Augusti uxoris, in familiam Juliam assumtæ, ut dictum est Annal. I. 8.

11 *Agrippam*] Avum Caii, de quo mox dictum est. Ejus pietatem, animumque Judæis amicum commendant Philo, Legat. ad Caium, p. 1032. et 1033. Josephus, Antiq. Judaic. XVI. 2. et 3.

que ejus majestatem, et sacrorum sanctitatem admiratum, illud donis exornasse: Tiberium ne voluisse quidem[1] auratos clypeos, nulla imagine, sed titulo tantum insignes,[2] sibi in Herodis[3] regia a Pilato[4] dicatos, in urbe sancta manere, sed Cæsaream[5] transferri jussisse: Augustum non modo permisisse Judæis,[6] ut ubique terrarum patrios cœtus celebrarent, et stipes[7] Hierosolymam mitterent; at ipsum quoque imperasse, ut suis impensis victimæ[8] singulis diebus summo Deo[9] æternum litarentur: Juliam Augustam,[10] maritæ pietatis æmulam, aureas phialas,[11] calices, aliaque plurima et pretiosissima donaria missitasse.

61. 'Igitur suppliciter obtestari, ut Princeps, majoribus suis virtute haud impar, par quoque sit in Judæos benevolentia.' Memorabat 'accepta a Caio beneficia; rupta vincula;[12] data regna:[13] at hæc vana, hæc exitiosa

1 *Ne voluisse quidem*] Hæc pluribus Philo, loc. cit. p. 1033.

2 *Titulo tantum insignes*] Cum vetitæ essent Judæis imagines, positus tantum clypeis titulus, qui nomen dedicantis, et ejus cui dedicabatur, continebat. Ἡ (ἐπιγραφὴ) δύο ταῦτα ἐμήνυε, τόν τε ἀναθέντα, καὶ ὑπὲρ οὗ ἡ ἀνάθεσις. Philo, Legat. ad Caium, p. 1034.

3 *Herodis*] Herodis I. et magni.

4 *A Pilato*] Judææ procuratore.

5 *Cæsaream*] Cæsaream maritimam, tum Judææ caput; de qua Plinius, v. 13. 'Stratonis turris, eadem Cæsarea, ab Herode rege' in honorem Augusti 'condita,' post dicta 'colonia prima Flavia, a Vespasiano Imperatore deducta.' Manet adhuc nomen *Cæsarea.*

6 *Permisisse Judæis*] Philo, loc. cit.

7 *Stipes*] Judæi non modo Hierosolymis pecunias pro sacrificiis, pro templo erogabant, sed undique terrarum Hierosolymam mittebant. Collectas etiam pro pauperibus factas memorat D. Paulus, I Cor. XVI. 1. Vide et Josephum, Antiq. Judaic. XVI. 6.

8 *Victimæ*] Taurus et agni duo, ut scribit Philo, Legat. ad Caium, p. 1036.

9 *Summo Deo*] Ὑψίστῳ Θεῷ. Philo, loc. cit.

10 *Juliam Augustam*] Liviam, Augusti uxorem.

11 *Aureas phialas*] Sic aurea inter donaria, a Seleuco Callinico in templum Apollinis Didymæi missa, recensetur 'phiala caryota Bonæ Fortunæ una. Pondus drachmæ ducentæ quadraginta septem,' non numeratis operis sumtibus: Φιάλη καρυώτη Ἀγαθῆς Τυχῆς μία. Ὁλκὴ δραχμαὶ διακόσιαι τεσσαράκοντα ἑπτά. Chishull, Antiquit. Asiatic. p. 69. Missa quoque a rege Prusia phiala, pondere æquans drachmas Alexandrinas trecentas. Vide eundem eruditum Chishull, p. 91.

12 *Rupta vincula*] Ut dictum supra in Suppl. Annal. VII. 11.

13 *Data regna*] Vide Suppl. loc cit. et Annal. VIII. 18.

esse, si templum violaretur, si convelleretur religio. Reposcere se priorem servitutem, aut potius mortem, cum vivere non possit, nisi Caio annuente; nec velit, nisi probante Deo, et inviolato templo.'[1]

62. Vetus amicitia, eaque imperiosior libertas Principem mollivit, nec tamen a cœptis penitus avertit: scripsit quidem ad Petronium 'ne quid in templo novaret.'[2] At simul imperabat 'ut extra Hierosolymam aras, templa sibi suisque ponere cuivis liceret. Si quis obstaret, statim plecti, aut ad se mitti.' Urbe talibus impietatis et dissensionum munimentis vallata, indulgentiæ eum adhuc pœnituit; jussitque[3] 'ære aurato colossum Romæ fieri,' qui, clanculum Hierosolymam transvectus, in templo dicaretur, cum per eam urbem, Ægyptum petiturus, iter faceret.[4]

63. Iis dispositis, legati Judæorum Alexandrinorum ad irrisionem magis, quam ad orandam causam, admissi. Quod paulo fusius referre haud pigebit, ut illustri exemplo quæ fuerit hujus principatus ratio, noscatur. Caius, in Mæcenatis Lamiæque hortis[5] diversatus, præceperat 'villas omnes recludi; se eas inspecturum.' Ibi legatos excepit:[6] cernui 'Augustum Imperatorem' salutavere: quos ille indignabundo vultu respectans, 'nonne vos,' inquit, 'qui me, probatum totius orbis confessione et veneratione, Deum negatis, et numen ne nomine quidem notum[7] colitis?' Dein protensis ad cœlum manibus, impia vociferatus est, horrentibus Judæis; Alexandrinorum vero turba

1 *Inviolato templo*] Philo, Legat. ad Caium, p. 1037.

2 *In templo novaret*] Philo, Legat. ad Caium, p. 1038.

3 *Jussitque*] Philo, loc. cit.

4 *Iter faceret*] De hoc itinere in Ægyptum diximus supra cap. 58.

5 *In Mæcenatis Lamiæque hortis*] In Esquiliis extra urbem fuere Mæcenatis et Lamiæ horti, et contigui. Vide et Donatum de Urbe Roma, III. 23. Lamiam laudat Horatius Od. III. 17. De hortis Mæcenatis jam dictum supra Annal. XV. 39.

6 *Ibi legatos excepit*] Philo, Legat. ad Caium, p. 1040.

7 *Ne nomine quidem notum*] Τὸν ἀκατονόμαστον. Philo, Legat. ad Caium, p. 1041. Calumniæ causa, quod Judæi nomen Dei יהוה, *Jehova*, ineffabile esse dicerent. Inde ampla adversus Judæos calumniarum materies.

Caium Deum, Jovem, Deos omnes, unum esse' ingeminante.[1]

64. Interim criminabatur Isidorus[2] 'reliquos terrarum populos præter Judæos pro salute Principis sacrificasse.' Hi accusationis indignitatem aversati, exclamant[3] 'se injuriis peti; terque, pro auspiciis imperii, restituta Cæsaris sanitate, victoriaque Germanica, hecatombas,[4] non truncas, uti apud ceteras gentes moris est, sed integras, sacro igne adolevisse.' Haud mitior Caius eos 'alii, non sibi, sacrificasse' queritur:[5] moxque obambulans, aulas, œcos, gynæcea, tabulata omnia inspectare; hæc probare; illa damnare; alia mutata velle, assectantibus inter adversariorum contumelias Judæis: quos subito affatus, 'cur,' inquit, 'sue abstinetis?'[6] Rident plauduntque Alexandrini: patrios ritus excusant Judæi:[7] jocatur Princeps;[8] statimque ad seria transgressus, 'quid juris in urbe Alexandria petant' interrogat.

65. Illi meditatam orationem, qua jura per quadringentos annos[9] valida probarent, cœperant, cum propere

1 *Ingeminante*] Philo, loc. cit. Τὰς τῶν θεῶν ἁπάντων ἐπωνυμίας ἐπεφήμιζον αὐτῷ.

2 *Criminabatur Isidorus*] Philo, ibid.

3 *Exclamant*] Philo, ibid.

4 *Hecatombas*] Philo, ibid. Ἑκατόμβας ἐθύσαμεν. Ita dictæ sunt a centum bobus in his sacrificiis immolari solitis. Sic Marius pugnaturus Diis vovit immolaturum se centum boves, ηὔξατο τοῖς θεοῖς κατὰ ἑκατόμβης, Plutarch. in Mario, p. 420. Non solos tamen boves in hecatombis fuisse immolatos accipimus ex Capitolino in Maxim. et Balb. xi. 'Hecatombe autem tale sacrificium est: centum aræ uno in loco cespititiæ exstruuntur, et ad eas centum sues, centum oves mactantur. Jam, si imperatorium sacrificium sit, centum leones, centum aquilæ, et cetera hujusmodi animalia centena feriuntur.'

5 *Queritur*] Philo, ibid. Ἔστω, φησὶ, ταῦτα ἀληθῆ τεθύκατε, ἀλλ' ἑτέρῳ, καὶ οὐχ ὑπὲρ ἐμοῦ: 'Esto: hæc vera sint. Certe alii, non mihi sacrificastis.'

6 *Cur sue abstinetis*] Id Judæis lege vetitum, Levitic. xi. 7. Deuteronom. xiv. 8. Causam autem legis ita explicat eruditus Mead, Medica sacra, p. 7. 'Fœdis in summa pelle ulcerationibus ab omni ævo quam maxime patuerunt Hebræorum corpora, unde carnis suillæ esu illis interdictum fuisse putant eruditi: quippe quæ crassum et ægre perspirabile nutrimentum sanguini subministrans, istiusmodi corporis constitutionibus minime convenit.'

7 *Excusant Judæi*] Alios nempe aliis gentibus mores esse; ipsis Alexandrinis usu quarundam rerum esse interdictum: multos etiam reperiri, qui ne agnina quidem vescerentur. Philo, Legat. ad Caium, p. 1042.

8 *Jocatur Princeps*] Et agninas carnes insuaves esse respondet. Philo, ibid.

9 *Quadringentos annos*] Philo, Le-

fugit, amplissimamque aulam pererrans, jubet 'fenestras vitro candido,[1] specularibus lapidibus haud absimili, occludi.' Exin ad Judæos lente regressus, 'quid dicant' quærit. Dicta summatim repetentibus, subito evadit in ædem, quam veteribus picturis[2] exornabat. Denique reversus, nec ita ferox, sed commiserans, 'proh miseros,' inquit, 'et imbecillos magis quam malos, qui me Dei naturæ participem esse haud intelligitis.'[3] Hæc locutus, abiit; jussique legati recedere:[4] Principis futilitate irritati,[5] læti tamen quod jam non causæ tantum, sed vitæ etiam diffiderent.

66. Sub anni finem Apelles[6] malarum artium pœnas luit; vinctusque ferreis compedibus,[7] et rota tortus per dierum intervalla, ut diu suppliciis sufficeret, quantum olim ad luxuriæ incitamenta, tantum ad crudelitatis ludibria valuit: haud raro, at semper infirmo exemplo. Validius enim ad scelus impellit præsentis fortunæ illecebra, quam retrahit futuræ infamiæ formido. Eodem anno Pontius Pilatus,[8] Viennam[9] biennio ante relegatus, vitam pristinæ

gat. ad Caium, p. 1040. Ergo tempore Philippi, Macedonum regis, ante conditam urbem ab Alexandro Magno, cum locus adhuc Rhacotes nominabatur, huc venerant Judæi. De urbe Alexandria vide Plinium, v. 9.

1 *Vitro candido*] Philo, Legat. ad Caium, p. 1042. Περιελθὼν προστάττει τὰς ἐν κύκλῳ θυρίδας ἀναληφθῆναι τοῖς ὑάλῳ λευκῇ διαφανέσι παραπλησίως λίθοις, οἳ τὸ μὲν φῶς οὐκ ἐμποδίζουσιν, ἄνεμον δὲ εἴργουσι καὶ τὸν ἀφ' ἡλίου φλογμόν: 'Obambulans jussit circumquaque fenestras claudi vitro candido, simili specularibus lapidibus, quibus lux admittitur, ventus et sol excluditur.'

2 *Veteribus picturis*] Ex Græcia, cujus spoliata templa, advectis. Joseph. Antiq. Jud. xix. 1.

3 *Haud intelligitis*] Philo, loc. cit.

4 *Recedere*] Philo, Legat. ad Caium, p. 1043.

5 *Irritati*] Tunc Judæi arma sumsere: quem motum Cæsaris mors diremit: vid. Hist. v. 9.

6 *Apelles*] De quo supra cap. 57.

7 *Ferreis compedibus*] Philo, Legat. ad Caium, p. 1021. et 1022.

8 *Pontius Pilatus*] Procurator Judææ, de quo diximus in Suppl. Annal. v. 8. De ejus morte Euseb. in Chronic. 'Pontius Pilatus, incidens in multas calamitates, propria se manu interfecit. Scribunt Romanorum historici.' Orosius, vii. 5. 'Pilatus autem præses, qui sententiam damnationis in Christum dixerat, postquam plurimas seditiones in Hierosolymis excepit ac fecit, tantis irrogante Caio angoribus coarctatus est, ut sua se transverberans manu, malorum compendium mortis celeritate quæsierit.'

9 *Viennam*] Nunc *Vienne*, in *Dauphiné*. Adeo in Chronic. Eruditus Cho-

dignitatis memoria, conscientia scelerum, mœroris impatientia tristem ipse finivit.

67. Caius Cæsar IV. et Sentius Saturninus infaustis auspiciis consulatum iniere.[1] Sacrificanti enim Cæsari Kalendis Januariis jecur victimæ defuit.[2] Alia quoque vulgata prodigia,[3] potius tædio principatus, quam rei veritate. Haud siluerim tamen, quod Plinius,[4] egregius naturæ scriptor retulit. Nec vera tantum, sed tradita quoque nobilibus auctoribus, etsi minus verisimilia, memorare debet Annalium conditor. Igitur cum ab Astura[5] Antium renavigaret Princeps, fertur, tota classe proficiente, ejus quinqueremem solam restitisse. Cunctis demirantibus quid quadringentorum remigum officio intercederet, exiliere qui id circa navim quærerent: invenere echeneidem, gubernaculo adhærentem, Caioque ostenderunt. Indignationem, quod eum semipedalis pisciculus remoraretur, excepit admiratio, cum, qui adhærens ita tenuisset, in navigium receptus nihil polleret

rier, *Histoire générale de Dauphiné*, VI. Sect. 11., perperam existimat Pilatum in Judæa occubuisse.

1 *Consulatum iniere*] Caius Cæsar Augustus IV. et Cn. Sentius Saturninus consules fuere A. U. 791. J. C. 41.

2 *Jecur victimæ defuit*] Plin. XI. 37. Sect. 73. jecur defuit 'Caio Principe Kalendis Januariis, cum iniret consulatum, quo anno interfectus est.'

3 *Prodigia*] Quæ vide apud Suetonium, in Caio, LVII.

4 *Quod Plinius*] Plin. XXXII. 1. 'Heu vanitas humana, cum rostra illa, ære ferroque ad ictus armata, semipedalis inhibere possit, ac tenere devincta, pisciculus! Fertur Actiaco Marte tenuisse prætoriam navim Antonii, properantis circumire et exhortari suos, donec transiret in aliam. Ideoque Cæsariana classis impetu majore protinus venit. Tenuit et nostra memoria Caii Principis ab Astura Antium renavigantis: ut res est etiam auspicalis pisciculus. Si quidem novissime tum in Urbem reversus ille Imperator, suis telis confossus est. Nec longa fuit illius moræ admiratio, statim causa intellecta, cum e tota classe quinqueremis sola non proficeret, exilientibus protinus qui id quærerent circa navim, invenere adhærentem gubernaculo, ostenderuntque Caio, indignanti hoc fuisse quod se revocaret, quadringentorumque remigum obsequio contra se intercederet. Constabat peculiariter miratum quomodo adhærens tenuisset, nec idem polleret in navigium receptus. Qui tunc posteaque videre, eum limaci magnæ similem esse dicunt.' De echeneide vide Aldovrandum, de Piscibus, III. 22. p. 335. et seq. Maria autem nunc navibus plena, nec ullis unquam impedita echeneidibus, satis evincunt falsa esse, quæ hac de re veteres prodidere.

5 *Astura*] Plin. III. 5. et 6. 'Astura, flumen et insula, in Antiano' sinu.

68. At hæc leviora, quam ut atrocem adverterent Principem, qui quantum ceteri prosperis, tantum adversis inhiabat: solitus temporum suorum calamitatem dolere,[1] quod fame, peste, exercituum cladibus, urbium incendiis, regionum subversionibus, uti superioribus principatibus contigerat, non nobilitarentur. Verum quæ populis precabatur mala, in ipsum, Urbem regressum, vertere. Nefandum facinus diversis incitamentis susceptum.[2] In illud ruit Æmilius Regulus, Cordubensis,[3] odio Principis: Annius Minucianus, ut Lepidum ulcisceretur,[4] sibique imminens discrimen propulsaret: Cassius Chærea, vir antiquis moribus et austeris, quibus, ut ad bonum nihil melius, ita ad malum nihil audacius, propter spretam suam virtutem[5] ipsamque Caii benevolentiam infensior.

69. Singuli, quoscumque noverant dominatione offensos, socios deligere, non ut periculum declinarent, sed ut

Hodieque *Torre d'Astura* nominatur, prope Terracinam.

1 *Calamitatem dolere*] Sueton. in Caio, XXXI. 'Queri etiam palam de conditione temporum suorum solebat: quod nullis calamitatibus publicis insignirentur. Augusti principatum clade Variana: Tiberii, ruina spectaculorum apud Fidenas, memorabilem factum: sui oblivionem imminere prosperitate rerum. Atque identidem exercituum cædes, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optabat.'

2 *Susceptum*] De hac conjuratione ejusque auctoribus et causis, vide Josephum, Antiq. *Judaic.* XIX. 1.

3 *Cordubensis*] *Plin.* III. 1. 'Corduba, colonia patricia.'

4 *Lepidum ulcisceretur*] De Lepido dictum est supra cap. 27.

5 *Spretam suam virtutem*] Suet. in Caio, LVI. 'Primas sibi partes Cassius Chærea, tribunus cohortis prætoriæ, depoposcit: quem Caius seniorem jam, ut mollem et effœminatum denotare omni probro consuerat: et modo, signum petenti, Priapum aut Venerem dare: modo, ex aliqua causa agenti gratias, osculandam manum offerre, formatam commotamque in obscœnum modum.' Has quoque injurias, et quidem atrocius, memorat Seneca, de Constantia sapientis, XVIII. 'Chæreæ, tribuno militum, sermo non pro manu erat, languidus sono, et infracta voce suspectior. Huic Caius signum petenti, modo Veneris, modo Priapi dabat; aliter atque aliter exprobrans armato mollitiam. Hæc ipse, (Caius,) perlucidus, crepidatus, armillatus. Coëgit itaque illum uti ferro, ne sæpius signum peteret. Ille primus inter conjuratos manum sustulit: ille cervicem mediam uno ictu decidit: plurimum deinde undique publicas ac privatas injurias ulciscentium gladiorum ingestum est. Sed primus vir fuit, qui minime visus est.' Principes ignoscere, punire decet: cavillari, conviciari semper dedecet, plerumque pœnitet, ut recte monet Cl. de Montesquieu, *Esprit des Loix*, XII. 38.

societate valescerent. Omnium acerrimus Chærea,[1] prætorianorum tribunus, singula observare: Principis libidines, sacrorum arcana, vectigalium immanitatem, populi luctus, suasmet injurias, cum ob humanitatem et in exigendis vectigalibus moderationem a Principe, qui virilia omnia exuerat, ut muliebria ostentaret, mollitiei argueretur, et, quoties signum petebat, Veneris, Cupidinis, Priapive semper acciperet, in crimina, causasque cædis exaggerare: ad facinus ascitos, laudibus, exemplis accendere.

70. Ejus consilia ferme oppressit casus.[2] Quidam enim Timidius[3] Pompedium, senatorem, gestis magistratibus insignem, tum Epicureæ scholæ placitis in otia resolutum, conjurationi tamen innexum, quasi probrosis sermonibus Principem illusisset, majestatis arcessivit; petiitque ut Quintilia, theatricis operis, venali pulchritudine, et Pompedii aliorumque plurimorum amoribus famosa, per tormenta interrogaretur. Annuit Caius; ac ne quid suppliciorum acerbitati deesset, jussus Chærea eam quæstioni subjicere, in tormenta eo magis duraturus, quo toties objecta mollitiei crimina magis odisset.

71. His vulgatis, ingens fuit conjuratorum metus. Multi, ut quid sibi sperandum formidandumve intelligerent, Quintiliam, cum ad supplicia ducebatur, invisere. Illa, supra fortissimorum virorum animos erecta, unius e conjuratis pedem pede pressit, nutuque oculorum se silentii firmam, et adversum tormenta invictam fore ostendit. Chærea, grandem animam nactus, tanto acerbius sæviit, quod hac via promtius certiusque ad Principis perniciem properari persentisceret. Exin Quintiliam, defecto corpore, sed excelsa mente immotam, ad Caium perduxit; quam ubi vidit, miserans, Pompedium absolvit, Quintiliam, in doloris levamen, amissæque formæ solatium, pecunia donavit.

72. At Chærea, periculo violentaque crudelitate atrox,

1 *Chærea*] Cassius Chærea, de quo plura Josephus, loc. cit. Dio, LIX. p. 662.

2 *Oppressit casus*] Quem casum fuse memorat Josephus, Antiq. Jud. XIX. 1. n. 5.

3 *Timidius*] Josephus, loc. cit. Τιμίδιος.

Papinium tribunum, Clementem,[1] prætorianorum præfectum, adit;[2] atque in hunc modum alloquitur:[3] 'Hactenus Principis securitati insudavimus: ejus vitæ insidiatores ferro necavimus, aut tormentis adeo inclementer excruciavimus, ut hominum teterrimo miseratio moveretur. Hæccine, hæcne tota militiæ nostræ ratio?' Erubuit Clemens, vultu quantum dominationis puderet prodente, at siluit ne iniqua Principis insectatione exitium sibi quæreret.

73. Audacior Chærea, ratusque vinci facilem esse, qui erubesceret, queritur[4] 'se crudelissimi Principis non satellites tantum, sed amicos esse: adversus libertatem et patriam armatos, civium sanguine quotidie fœdari: nec tanta infamia suam adhuc securitatem apud suspicacem et humana cæde lætum Principem redimi. Audendum tandem: suæ et omnium saluti consulendum.'

74. Chæream laudat Clemens,[5] sed 'silentium et moras' suadet: addit 'se, ob ingravescentem ætatem tantæ rei imparem, tutiora forte reperturum; neminem honestiora dicturum.' Dein discessere, in varias cogitationes distracti. Clemens audita dictaque animo volvebat. Chærea, fide præfecti haud satis prospere tentata, magis præceps, Corn. Sabinum, tribunum, Annium Minucianum, in Urbe dignitate præstantem,[6] in partes trahit: adjungit senatores, equites, milites. Accessit quoque Callistus,[7] Principis favore, et opibus, libertorum præcipuus: ad scelera tanto paratior, quanto fortunæ insolentior et avidior. Is perfidiæ dedecus velabat falsi incertum an veri criminis atrocitate,

1 *Clementem*] Forte filium Julii Clementis, de quo *Annal.* I. 23.

2 *Adit*] Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 6.

3 *Alloquitur*] Hæc et seq. Joseph. ibid.

4 *Queritur*] Joseph. ibid.

5 *Laudat Clemens*] Joseph. Ant. Jud. XIX. 1. n. 7.

6 *Dignitate præstantem*] Minucianus, teste Josepho, Antiq. Jud. XIX. 1. n. 9. 'erat dignitate præcipuus, civiumque nobilissimus, et inter ceteras laudes arte dicendi summus:' Ὑπεροχῇ τε ἀξιώματος, γενναιότατος γὰρ ἦν τῶν πολιτῶν, καὶ τῷ ἐπὶ πᾶσιν ἐπαινουμένῳ, μᾶλλον ὡς ἅπτοιτό τινος λόγου.

7 *Accessit quoque Callistus*] De quo dictum est Annal. XI. 29. Vide et Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 10.

scilicet Caium sibi imperasse, 'ut Claudium veneno tolleret.'

75. Tanta conjuratorum multitudine augescebant quidem animi, sed retardabantur consilia. Quisque enim, uti assolet, in diversas ibant sententias. Unus Chærea censebat[1] 'super omnia opus esse festinatione: mora res corrumpi: plurimas jam omissas occasiones: Caium potuisse interfici, Capitolium ascendentem, ut pro filia sacra faceret; vel e summa basilica præcipitari, cum nummos in plebem spargebat; vel opprimi, cum arcanas suas religiones celebrabat incustoditus et incautus. Ceterum se neque sociis, neque armis indigere: a Diis sibi eam vim corporis datam, ut solus nudusque valeat Caio necem, patriæ salutem afferre.'

76. Intrepidum Chæreæ animum omnes probavere, orantes tamen[2] 'ne præpropera festinatione res in discrimen adducatur, et malorum remedium in majora et insanabilia mala vertatur. Ludos Palatinos[3] quamprimum edendos: hoc commodissimum meditatæ cædis tempus: Urbe spectaculis intenta, imparatis satellitibus, aut ob locorum angustias impeditis, Caium vulneribus totum fore pervium.' Chærea, licet morarum impatiens, consensit, et graviores tempore iras fovens, condictum diem primum ludorum[4] expectavit. Illuxit tandem; at variis casibus præpeditus, nunquam in scelus patuit. Quatuor quoque[5] sequentibus diebus conjuratorum consternatione, aut ancipitibus consiliis, nihil attentatum.

1 *Unus Chærea censebat*] Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 11.

2 *Orantes tamen*] Hæc omnia Joseph. ibid.

3 *Ludos Palatinos*] Sueton. in Caio, LVI. Ludos illos a Livia in honorem Augusti institutos, et per triduum celebrari solitos memorat Dio, LVI. p. 600. et in suum usque tempus ab Imperatoribus fuisse continuo exhibitos asseverat: Ἡ Λιουΐα ἰδίαν δή τινα αὐτῷ (Αὐγούστῳ) πανήγυριν ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ἐν τῷ παλατίῳ ἐποίησεν, ἣ καὶ δεῦρο ἀεὶ ὑπ' αὐτῶν ἀεὶ αὐτοκρατόρων τελεῖται. Apud Josephum, Antiq. Jud. XIX. 4. ludi isti appellantur ἱπποδρομίαι. Quos 'ludos curules' interpretatus est Rufinus.

4 *Diem primum ludorum*] In vetere Kalendario Herwartiano, XVI. Kal. FEBRVARII, seu die 17. Januarii, LVDI PALATINI.

5 *Quatuor quoque*] Zonaras, vol. I. p. 559. Ὅμως ἐκαρτέρουν ἐπὶ πέντε ἡμέρας: 'Se per quinque dies continuerunt.'

77. Infremens Chærea[1] factiosos, in unum convocatos, 'juratæ fidei memoria, proditionis metu, Caii impune quælibet ausuri licentia, nunquam intermoritura patrandi facinoris gloria' ad audaciam excitat. Exin paululum silens, exterritosque ac mutos obstupescere miratus, subirasci et quærere 'quid morarentur viri fortissimi? Adesse ludorum diem ultimam:[2] Caium, effuso nobilium, et optimorum quorumque sanguine, Alexandriam mox profecturum:[3] suas libidines, Romanorum infamiam terra marique ostentaturum. Hæc inaudisse horrendum, ferre magis pudendum. Ægyptium, scelera exosum, ac forte ulturum, laudem maximi facinoris ipsis prærepturum. Spretis eorum consiliis, se semet hodie pro communi salute devovere, eventus securum, certumque id unum miserum, sibique turpe, si, dum viveret, alia, quam hac sua dextra, Caius caderet.'[4]

78. Pudore iraque accensi omnes,[5] fidem renovant, morarumque veniam ex audacia quærebant. Tum dux Chærea gladio se accingit, et palatium petit, ut signum[6] militiæ more accipiat. Nunquam lætior magisque affabilis visus Princeps,[7] seu natura, malorum præsaga, in extremos virtutum igniculos erumpente, seu blandiente magis fortuna, quo sævior imminet. Illo enim ipso die, nono Kalendas Februarias,[8] ad eum perductus fuerat L. Cassius Longinus,[9] Asiæ proconsul, quem e provincia evocaverat, monitus Fortunis Antiatinis[10] 'ut sibi a Cassio caveret:' ejus vin-

1 *Infremens Chærea*] Joseph. Antiq. Judaic. XIX. 1. n. 12.

2 *Ludorum diem ultimam*] Non ludorum Palatinorum; sed alterius tridui, quod Caius denuntiaverat, teste Zonara, loc. cit. Διὰ τοῦτο ἑτέρας τρεῖς ἡμέρας προήγγειλε.

3 *Alexandriam mox profecturum*] Joseph. Antiq. Jud. loc. cit. De hoc itinere jam dictum supra cap. 58.

4 *Caderet*] Hæc omnia Joseph. loc. cit. quæ ut probare nefas, ita quoque silere non licet.

5 *Accensi omnes*] Joseph. Antiq. Judaic. XIX. 1. n. 13.

6 *Ut signum*] De hoc signo dictum ad Annal. XIII. 2.

7 *Visus Princeps*] Joseph. loc. cit.

8 *Nono Kalendas Februarias*] Sueton. in Caio, LVIII. Dio, LIX. p. 663. Dies autem fuit 24. Januarii.

9 *L. Cassius Longinus*] Olim Drusillæ maritus, de quo dictum est Annal. VI. 15. et 45.

10 *Fortunis Antiatinis*] Sueton. in Caio, LVII. 'Monuerunt et Fortunæ

culis, et, cum vellet, cæde, se vitæ ac dominationis certum rebatur, oraculis ludificari homines, non defendi nescius.

79. Itaque sacris de more D. Augusto peractis,[1] ludis affuit. Astabat cum tribunis Cassius Chærea, Cassio Longino formidolosior. Sedebant ceteri conjurationis socii, firmare animos, et proximæ cædis rumusculos,[2] vulgari cœptos, opprimere intenti. Cruenta fabula[3] et multa fictæ mortis imagine exhilaratus Princeps, ad balneum prandiumque egressus hora fere septima,[4] pueros

Antiatinæ, ut a Cassio caveret. Qua causa ille Cassium Longinum, Asiæ tum proconsulem, occidendum delegaverat, immemor Chæream Cassium nominari.' Perperam in recentioribus quibusdam Mss. et editis libris legitur *Sortes Antiatinæ*. Libri omnes veteres, et optimi quique, habent, *Fortunæ Antiatinæ*. De quibus Fortunis vide eruditum Philippum a Turre, Monumenta Veteris Antii, p. 12. et seq. Fortunam Antii cultam celebrat Horatius, I. Od. xxxv. 1. 'O Diva, gratum quæ regis Antium.' Verum ad rem magis apposite Macrobius Saturnal. I. 23. 'Videmus apud Antium promoveri simulacra Fortunarum ad danda responsa.'

1 *D. Augusto peractis*] Joseph. Antiq. Judaic. xix. 1. n. 13. Ludi Palatini D. Augusto erant sacri, ut modo dictum est cap. 76. Illi quoque sacrum fuisse triduum, a Caio additum, videtur. Quod inter illa sacrificia, Princeps 'sacrificans respersus est phœnicopteri sanguine,' prodigii loco habitum est. Sueton. in Caio, LVII.

2 *Proximæ cædis rumusculos*] Quos vide apud Josephum, loc. cit.

3 *Cruenta fabula*] Cum enim dies illa quarta et vigesima Januarii cæde Philippi, Macedonum regis, ante trecentos quinque et septuaginta annos in ludis a Pausania occisi, foret insignita, tota in cruentis fabulis acta est. Mimus cruci affixit Laureolum, et Mnester Pantomimus cædem Cinyræ, ejusque filiæ Myrrhæ egit. Joseph. Antiq. Jud. xix. 1. n. 13. Juvenal. Satir. VIII. 187. Unde intelligas Suetonium in Caio, LVII. 'Pantomimus Mnester tragœdiam saltavit, quam olim Neoptolemus tragœdus ludis, quibus rex Macedonum Philippus occisus est, egerat. Et cum in Laureolo mimo, in quo actor proripiens se ruina sanguinem vomuit, ut plures secundarum certatim experimentum artis darent, cruore scena abundavit. Parabatur et in noctem spectaculum, quo argumenta inferorum per Ægyptios et Æthiopes explicarentur.' Ni forte emendandum, ut placuit Illustr. Pellicerio, *per Ægyptinos Æthiopas explicarentur*. Vide Festum verbo *Ægyptinos*. Hunc nigrorem, inferialibus spectaculis percommodum, memorat Plautus, in Pœnul. Act. v. scen. v. 11. 'Ita replebo atritate, atrior multo ut siet, Quam Ægyptii, aut qui cortinam ludis per Circum ferunt.'

4 *Hora fere septima*] Post ortum Solis. Sueton. in Caio, LVIII. 'Nono Kalendas Februarias, hora quasi septima, cunctatus an ad prandium surgeret, marcente adhuc stomacho pridiani cibi onere, tandem suadentibus amicis' (conjurationis participibus, Joseph. Antiq. Jud. xix. 1. n. 13.) 'egressus est. Cum in crypta, per quam transeundum erat, pueri nobiles ex Asia ad edendas in scena operas evocati præpararentur, ut eos inspiceret hortareturque, restitit.' Pro hora septima horam nonam scripsit Joseph. Antiq. Jud. xix. 1. n. 14.

nobiles, ex Asia ad edendas in scena operas arcessitos, forte alloquebatur, cum Chærea, petito militiæ signo, probrosoque accepto,[1] 'Accipe ratum,'[2] inquit, gladiumque ei humerum inter et collum impressit: silentem, et effugium tentantem Corn. Sabinus mox invasit,[3] et in genua provolvit, signum conjurationis inclamans, *Repete*:[4] Caius jacens, clamitansque 'se vivere,' statim triginta vulneribus[5] confectus est. Alii prodidere[6] Chæream ei cervicem gladio cæsim percussisse, præmissa voce, 'Hoc age;' et Corn. Sabinum ex adverso pectus transverberasse. Constat extremum fatalemque ictum ab Aquila ingestum.[7]

80. Periit Caius nono et vigesimo ætatis anno: prope quadriennio[8] imperaverat. Parentes[9] eum ad virtutem finxissent, *nisi* imperiosior natura ad vitiorum portenta projecisset. Eminenti fuit statura.[10] Cetera in eo immania, pallor vultus, anilitas frontis,[11] concavorum rigentiumque oculorum[12] torvitas, deformitas capitis emendicatis capillis aspersi, obsessa setis cervix, crurum exilitas, enor-

περὶ τὴν ἐννάτην ὥραν. Hora vero Romanorum septima, qua occisus est Caius, erat hora nostra fere secunda pomeridiana.

1 *Probrosoque accepto*] Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 14.

2 *Accipe ratum*] Sueton. in Caio, LVIII.

3 *Mox invasit*] Joseph. loc. cit.

4 *Repete*] Sueton. loc. cit.

5 *Triginta vulneribus*] Suet. ib.

6 *Alii prodidere*] Sueton. in Caio, ibid.

7 *Ab Aquila ingestum*] Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 14.

8 *Prope quadriennio*] Tacit. Dialog. de Orat. XVII. Sueton. in Caio, LIX. 'Vixit annis viginti novem, imperavit triennio, et decem mensibus, diebusque octo.' Plura vide in Stem. Cæs. n. 86.

9 *Parentes*] Pater Germanicus, Agrippina mater, avia Antonia.

10 *Eminenti fuit statura*] Sueton. in Caio, L. 'Statura fuit eminenti, expallido colore, corpore enormi, gracilitate maxima cervicis et crurum, et oculis et temporibus concavis, fronte lata et torva, capillo raro, ac circa verticem nullo, hirsutus cetera. Quare transeunte eo, prospicere ex superiore parte, aut omnino quacumque de causa capram nominare, criminosum et exitiale habebatur. Vultum vero natura horridum ac tetrum etiam ex industria efferabat, componens ad speculum in omnem terrorem ac formidinem.'

11 *Anilitas frontis*] Seneca, de constant. Sap. XVIII. 'C. Cæsar inter cetera vitia, quibus abundabat, contumeliosus mirabiliter ferebatur omnibus aliqua nota feriendis, ipse materia risus benignissima. Tanta illi palloris, insaniam testantis, fœditas erat, tanta oculorum sub fronte anili latentium torvitas, tanta capitis destituti et emendicatis capillis aspersi deformitas. Adjice obsessam setis cervicem, et exilitatem crurum, et enormitatem pedum.'

12 *Rigentiumque oculorum*] Plin. XI. 37. sect. 54. 'Caio Principi rigentes oculi.

mitas pedum. Vultum natura horridum ac tetrum efferabat ex industria, atque ad speculum in terrorem componebat. Atrocior autem erat animus, mens insana, ingenium mobile, et incredibilium rerum avidum. Puer adhuc, constupratis sororibus, libidinum rudimenta in domo Antoniæ[1] occœpisse fertur.[2] Juvenis, voluptatum monstra, suspicionum arcana, sanguinariasque leges Capreis didicit.[3] Princeps liberalitate, hilaritate, popularitate, aliisque virtutum imitamentis, quæ in vitia desinunt, primum illusit. Postea ingenii pravitate, dominationis libidine, immoderata omnia et inaudita cupere:[4] ad nefanda insolescere: successu illectus, pejora quærere; et brevi principatu quid summa vitia[5] in summa fortuna possint ostendere. Literas invidia corrupit: artes luxu adulteravit: mores exemplis prostravit: libertatis reliquias audacia funestavit: imperium stultitia, immanitate ferme evertit:[6] civis vecors, Princeps furiosus, contumeliosus,[7] prodigus simul et crudelis, religiosus et impius, vita, morte, memoria probrosus.[8]

1 *Antoniæ*] Caii aviæ. Vide Stem. Cæs. n. 42.

2 *Occœpisse fertur*] Sueton. in Caio, XXIV.

3 *Didicit*] Principe ac magistro Tiberio, qui Caii mentem ita perspexit, 'ut aliquoties prædicaret, exitio suo omniumque Caium vivere: et se natricem (serpentis id genus) populo Romano, Phaëthontem orbi terrarum educare,' Sueton. in Caio, XI. De Capreis, nunc *Capri*, dictum Annal. IV. 67.

4 *Cupere*] Sueton. in Caio, XXI. 'Destinaverat Sami Polycratis regiam restituere, Mileti Didymeum peragere, in jugo Alpium urbem condere, sed ante omnia Isthmum in Achaia perfodere. Miseratque jam ad dimetiendum opus primipilarem.'

5 *Summa vitia*] Seneca, Consolat. ad Helviam, IX.

6 *Ferme evertit*] Seneca, Consolat. ad Polybium, XXXVI. Immo cum periit 'septem aut octo certe dierum cibaria' populo Romano supererant, teste Seneca, De Brevitate Vitæ, XVIII. Idque unum doluit moriens, 'quod decedebat populo Romano superstite.'

7 *Contumeliosus*] Seneca, de Constantia sapientis, XVIII. 'C. Cæsar inter cetera vitia, quibus abundabat, contumeliosus mirabiliter ferebatur.' Plurima ejus contumeliarum exempla ibi et alias passim refert Seneca.

8 *Probrosus*] Inde sæpissime a scriptoribus Romanis fax pestisque imperii, opprobrium generis humani appellatur. Tantum autem fuit omnium in eum odium, ut ne ejus quidem manes quietos siverint. Teste enim Suetonio, in Caio, LIX. 'Cadaver ejus clam in hortos Lamianos asportatum, et tumultuario rogo semiambustum levi cespite obrutum est: postea per sorores ab exilio reversas erutum, crematum, sepultumque. Satis constat, priusquam id fieret, hortorum custodes umbris inquietatos: in ea quoque domo, in qua occubuerit, nullam noctem sine aliquo terrore transactam, donec ipsa domus incendio consumta sit.'

SUPPLEMENTUM

LIBRI NONI

ANNALIUM C. C. TACITI.

AUCTORE GABRIELE BROTIER.

BREVIARIUM LIBRI.

1. Occiso Caio, cædes plurimæ. 2. Turbæ, Urbisque confusio. 5. De imperio consultant patres. 6. Claudius a militibus Imperator salutatur. 7. Sentius Saturninus, consul, libertatis hortator. 8. Idem persuadet Chærea. Cæsonia, ejusque filia interemtæ. 9. Patres ad Claudium legatos mittunt, ut imperio abstineat. 11. Agrippa, rex, medias partes fovere videtur, ut certius Principem tueatur. 13. Senatus Claudium Imperatorem agnoscit. 15. Chærea capite damnatur. 16. Claudius moderatione, et Caii insectatione, publicam gratiam quærit. 18. In suos beneficus, imperii dignitati et securitati consulit. 20. Ejus quoque munificentiam experti reges Antiochus, Mithridates, et Agrippa. 21. Eadem æquitas erga urbes a Caio vexatas. 22. Egregia hæc imperii initia Messallinæ libidinibus et hebete Principis ingenio corrupta. 23. Sulpicius Galba, et P. Gabinius, Germanorum victores. 24. Juliæ et Annæi Senecæ exilia. 25. Antoniæ et Octaviæ nuptiæ. Britannicus et Titus

nascuntur. 26. Leges. 27. Suetonius Paullinus bellum gerit in Mauritania, Atlantemque montem superat. 29. Bellum absolvit Hosidius Geta. 30. Annonæ cura; præmiaque iis, qui naves fabricarent, proposita. 31. Ad lacum Fucinum emittendum suscepta opera. Portus Ostiensis. Orca ingens. 32. Vesanus ludorum furor. 33. Appius Silanus Messallinæ artibus pervertitur. 35. Furius Camillus Scribonianus, res novas in Dalmatia moliens, statim opprimitur. 37. In multos sævitum. 39. Arguta Galæsi libertas. 40. Arriæ constantia. 43. Lucii Othonis varia fortuna. 44. Quæ supererant veteris principatus vitia abolita. 45. Puniuntur Lycii. 47. Messallinæ audacia et scelera. 49. Conjuratio a Lucio Othone prodita. 50. Bellum Britannicum, duce Aulo Plautio. 57. Claudius Britanniam petit. Victi Britanni. 59. Promota apud Romanos Geographiæ studia.

Hæc per reliquum anni, quo Caius interemtus est, et duobus annis sequentibus gesta,

A. U.	J. C.		
DCCXCV.	42.	Coss.	Ti. Claudio Cæsare II. C. Cæcina Largo.
DCCXCVI.	43.	Coss.	Ti. Claudio Cæsare III. L. Vitellio II.

Occiso Caio Cæsare, et interfectoribus in Germanici domum, palatio vicinam, clam delapsis,[1] Germani, corporis custodes,[2] tumultu ac rumoribus exciti, accucurrere.

1 *Clam delapsis*] Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 15. Clam delapsi sunt, vel attoniti magnitudine facinoris, vel lecticariorum, corporisque custodum vim veriti. Vide Sueton. in Caio, LVIII.

2 *Germani custodes*] Genti suæ cognomines, e qua delecti cohortem Celticam constituebant. Δορυφόροι δὲ ἦσαν

Innata fide ac ferocia, nec invalidiore largitionum Principis memoria, aut spe, in vindictam summo impetu ruunt. Asprenas, senator, primum obvius, obtruncatur.[1] Norbanus,[2] nec dignitate sua, nec majorum laudibus defensus, vim parans fortiter occubuit. Anteius[3] domesticas injurias, cadaveris spectaculo, ulciscendi turpiter avidus, inglorius periit. Alii plurimi sontes et insontes trucidati.

2. Interea fama cædis theatrum pervasit; et pro cujusque aut ingenio, aut fortuna, varie accepta.[4] Plebs Principem, ludis deditum, vel amissum dolore, vel salvum credere. Servi, scelerumque artifices, ob delationes malasque artes timere. Patricii, ceterique nobiles, dominationis atrocitatibus infensi, re lætari, specie tristari. Conscii conjurationis silere. Plurimi, quibus volupe est ficta divendere, spesve in turbidis ponere, alii differre ‘ vulneratum quidem Caium, sed vivere, et vulneribus fomenta parari:’ alii cruore madentem in foro astare, populumque ad ultionem, et optimatium internecionem hortari.’

3. Iis rumoribus gliscebat terror: increvit, cum theatrum, destrictis gladiis, circumsidere Germani milites; aræque præfixis occisorum capitibus, quid omnibus immineret periculi ostentavere.[5] Cuncti veniam salutemque orabant. Temeritas, quæ in extremis valet plurimum, tranquillitatem securitatemque inopinato attulit. Quidam enim Arruntius,[6] rerum venalium præconio indeque partis opibus famosus, atra veste, funereoque planctu theatrum subiit, et ‘ Caium Cæsarem mortuum esse’ vociferavit;

αὐτοὶ (Γερμανοὶ) ὁμώνυμοι τῷ ἔθνει ἀφ' οὗ κατελέχθησαν, τὸ Κελτικὸν τάγμα παρεχόμενοι αὐτῶν. Joseph. Antiq. Jud. xix. 1. n. 15. De hac Germanorum cohorte, a Cæsaribus ad corporis custodiam instituta, jam diximus supra in Supplemento Annal. xvi. 95.

1 *Obtruncatur*] Joseph. loc. cit. Asprenatem conjurationis participem, et cædis concitatorem fuisse testatur idem Josephus, n. 13.

2 *Norbanus*] Nobilitate et militari majorum laude præstans. Joseph. Antiq. Jud. xix. 1. n. 15.

3 *Anteius*] Vir senatorii ordinis, cujus pater a Caio in exilium actus, mox fuerat occisus. Joseph. ibid.

4 *Varie accepta*] De variis hisce sensibus vide Josephum, Antiq. Jud. xix. 1. n. 16.

5 *Ostentavere*] Joseph. ibid. n. 18.

6 *Arruntius*] Rem narrat Joseph. ibid. n. 18.

mox circumcursans, militibus 'gladios conderent' renuntiavit. His furor, ceteris terror statim relanguit.

4. Haud aliter sedata Urbis perturbatio. Prætoriis cohortibus interfectores undequaque pervestigantibus, trepidantique populo occurrit Valerius Asiaticus,[1] consularis, magnaque in concione 'utinam abs se patrata esset cædes' inclamavit. Tanta ferocia recedere animi; et in publica Caii convicia discessum est. Crevit audacia, cum Clemens, quem supra memoravi,[2] Minucianum ceterosque senatores, cædis conscios, ad se adductos remisit; 'Caiumque non Romanorum, sed suis telis confossum[3] periisse' professus est, occiso Principi infestissimus, quod antea timidus.

5. At consules Sentius Saturninus et Pomponius Secundus,[4] gravioribus rebus intenti, despecta curia, quia Julia vocabatur,[5] forum Capitoliumque occupaverant; jussisque Urbanis cohortibus senatus securitati invigilare, edictum Caio contumeliosum[6] proposuere, promissa populo vectigalium imminutione, militibus donativo, si quisque domum se reciperent, et a tumultu ac direptionibus abstinerent.

1 *Valerius Asiaticus*] A Josepho, Antiq. Jud. XIX. 1. n. 20. appellatur *vir consularis*, *ὑπατικὸς ἀνήρ*. Ergo jam consul designatus, aut suffectus fuerat. De ejus consulatibus dictum in notis ad Annal. XI. 1. At feralem ejus vocem referunt tum Josephus, ibid. num. 20. tum Dio, LIX. p. 663. *'Ανελθὼν ἐς περιφανές τι χωρίον, καὶ ἐκβοήσας, Εἴθε ἐγὼ αὐτὸν ἀποκτένειν*: 'Conspicuum in locum progressus, exclamavit: Utinam ego ipsum interfecissem.' Illum inter amicos habuerat Caius, et indigne irriserat, ut accipimus ex Seneca, de constantia Sapientis, XVIII. 'Asiaticum Valerium in primis amicis, ferocem virum, et vix æquo animo alienas contumelias laturum. Huic in convivio, id est, in concione, voce clarissima, qualis in concubitu esset uxor ejus, objecit. Dii boni, hoc virum audire, Principem scire, et usque eo licentiam pervenisse, ut, non dico consulari, non dico amico, sed tantum marito, Princeps et adulterium suum narret et fastidium.'

2 *Supra memoravi*] In Suppl. Annal. VIII. 72. et seq.

3 *Suis telis confossum*] Quippe qui legum contemtu, injuriis, contumeliis, vitiis omnibus, viros sibi amicissimos ad sui odium adduxerat, ut pluribus prosequitur Clemens apud Joseph. Antiq. Jud. XIX. 1. n. 19.

4 *Pomponius Secundus*] Q. Pomponius Secundus consul suffectus. Joseph. Antiq. Jud. XIX. 4. n. 5.

5 *Quia Julia vocabatur*] Sueton. in Caio, LX. Incensa destructaque curia Hostilia, in honorem Caii Julii Cæsaris exstructa fuerat curia altera, dictaque Julia, ut videre est apud Dionem, XLIV. p. 242. et XLVII. p. 338.

6 *Caio contumeliosum*] Josephus, Antiq. Jud. XIX. 1. n. 20.

Exin coacti patres de forma regiminis consultavere. 'Alii abolendam Cæsarum memoriam,[1] diruenda templa,[2] libertatem restituendam;' alii 'retinendam dominationem' censuere. Hi, varias in partes distracti,[3] pro sua spe aut fortuna diversos Principes destinare. Omnes, flagrantibus partium studiis, reliquum diei noctemque absumere, et libertatem mora perdere.

6. Casus tamen, non consilium, imperio Claudium admovit.[4] Rumore cædis exterritus, ad palatii solarium prorepserat: inter prætenta foribus vela latebat abditus, cum discurrens forte gregarius miles, animadversis pedibus, e studio sciscitandi quisnam esset, eum agnovit, extractumque, et præ metu ad genua sibi accidentem, *Imperatorem* salutavit; et ad commilitones perduxit. A furore ad venerationem statim conversi, illum lecticæ imponunt, et vicissim succollantes in castra deferunt tristem ac trepidum, obvia miserante turba,[5] quasi ad pœnam raperetur insons. Receptus intra vallum,[6] inter excubias militum pernoctavit,

1 *Cæsarum memoriam*] Sueton. in Caio, LX. 'Senatus in asserenda libertate adeo consensit, ut consules primo non in curiam, quia Julia vocabatur, sed in Capitolium convocarent. Quidam vero sententiæ loco abolendam Cæsarum memoriam ac diruenda templa censuerunt.'

2 *Diruenda templa*] Divo Julio, Divo Augusto sacra.

3 *Distracti*] Hæc et sequentia Dio, LX. p. 664.

4 *Claudium admovit*] Suetonius in Claud. X. 'Claudius maxima ætatis parte transacta, quinquagesimo anno imperium cepit quantumvis mirabili casu. Exclusus inter ceteros ab insidiatoribus Caii, cum quasi secretum eo (Caio) desiderante turbam summoverent, in diætam, cui nomen est *Hermæum*, recesserat. Neque multo post rumore cædis exterritus, prorepsit ad solarium proximum.' Solarium locus erat in ædibus Romanis ad apricandum accommodatus.

5 *Obvia miserante turba*] Hæc totidem verbis Sueton. in Claud. X. Pluribus Josephus, Antiq. Jud. XIX. 3.

6 *Receptus intra vallum*] Sueton. ibid. Receptus intra vallum castrorum prætorianorum. Facti memoria extat in nummo argenteo P. Chamillart, quem laudat Harduinus, Selecta Opera, p. 717. TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. P. M. TR. P. IMP. P. P. caput Claudii laureatum. In postica parte, visuntur castra prætoria, quibus inscriptum, IMPER. RECEP. id est, 'Imperatore recepto' a cohortibus prætoriis. Ut Claudium recepere prætoriani, ita quoque prætorianos recepit Claudius; id certum facit nummus alter, ab Harduino memoratus, TI. CLAVDIVS CAES. AVG. GERM. P. M. TR. P. Caput Claudii laureatum. In aversa parte, PRAETOR. RECEPT. id est, 'prætorianis receptis.' Tribunus cohortis prætoriæ paludatus, tenens læva Aquilam legionariam, dextram præbet Augusto togato. Egregia prætorianorum voluntas simulque Principis

minore spe, quam fiducia.[1]

7. Patres enim, libertatem inter et novos dominos incerti, adhuc certabant; ac Sentius Saturninus, consul, omnium animos ad libertatem ferme erexit: hortatus,[2] 'ut eam, insperatam licet, Deum tamen immortalium munere oblatam, Cassii Chæreæ fortitudine assertam, amplexarentur: diem hanc sibi gloriosam, posteris lætam, ætatibus omnibus memorandam facerent: servitutis mala, imperitante Julio Cæsare cœpta, Augusti et Tiberii principatibus aucta, a Caio cumulata cogitarent. Dominationem, virtutibus infensam, libidinibus grassari. Rempublicam bonorum civium studiis ac præmiis niti. Penes ipsos esse ut reviviscat libertas, vel æternum obruta jaceat.' Addidit, 'utcumque erit vestra sententia, libertatis vindices, et maxime Cassium Chæream, meritis honoribus decorate.'[3]

8. Orationi[4] vim addidit Chæreæ præsentia; nocteque jam adulta,[5] consules allocutus, signum petiit, et *libertatem* accepit; lætantibus omnibus consularis potestatis et reipublicæ monumentum, tot abhinc annos[6] intermissum, renovari. Mox, ut Caii domus penitus exscindiretur,

humanitas singulis annis novis nummis testata; inde nummi passim obvii, in quibus præter solitas voces, IMP. RECEP. vel PRAETOR. RECEPT. notantur anni tribuniciæ potestatis tertius, quartus, sextus, &c. TR. P. III. IIII. VI. &c.

1 *Quam fiducia*] Minor quidem spes ob abjectam trepidamque Claudii mentem, ac senatus dissensionem. Fiducia tamen ob viriles militum animos.

2 *Hortatus*] Orationem Saturnini, sed pro more suo verbosissimam, refert Joseph. Antiq. Jud. XIX. 2. num. 2.

3 *Honoribus decorate*] Cassium ceterosque libertatis vindices tanto majoribus honoribus efferendos contendebat Saturninus, quod Brutus Cassiusque, Julii Cæsaris interfectores, discordiarum ac bellorum semina tantum jecissent; hi vero, sublato Caio, mala omnia a republica avertissent, pacemque et securitatem publicam asseruissent. Joseph. loc. cit.

4 *Orationi*] Orationem hanc patribus equitibusque, qui aderant, acceptissimam fuisse testatur Trebellii maximi impetus, qui exsiliit, et Saturnino annulum, cui forte Caii vultus erat insculptus, detraxit ac fregit. Joseph. loc. cit. num. 3.

5 *Jam adulta*] Joseph. ibid. Nocte diei 24. Januarii, ut dictum est supra in Suppl. Annal. VIII. 78. et 79.

6 *Tot abhinc annos*] Tum enim a Principibus, non a consulibus signum petebatur. Toto decennio errat Josephus, aut potius erravere qui emendarunt in Josepho, Antiq. Jud. XIX. 2. num. 3. Ἔτει γὰρ ἑκατοστῷ: 'anno centesimo;' emendandum erat ἔτει γὰρ

Chærea Julium Lupum,[1] tribunum, misit,[2] qui Cæsoniam et ejus filiam[3] interficeret. Reperta mater, filiam proxima, mariti cadaveri assidens, cruore fœda, et indolens 'suis eum consiliis haud paruisse.'[4] Ut vidit tribunum, quem ad cæsi Principis miserationem trahere frustra nitebatur, rigescere, sibique extremam necessitatem minitari, fortiter jugulum nudavit, et, Deum hominumque fidem obtestans, percussori obtulit: planctu mortisque firmitudine, si quid mulieri credendum, se maritæ immanitatis objectorumque criminum insontem esse testata. Ejus filia parieti illisa.

9. Dum hæc patrabantur, nuntiata patribus Claudii fortuna. Ne silentio augesceret, confestim legavere Veranium et Brocchum,[5] tribunos plebis, qui Claudio suaderent,[6] 'ut nihil contra senatus auctoritatem attentaret: pristina dominationis mala, quæ ipse erat sæpe expertus, meminisset; malletque cum securitate ac laude in republica vivere, quam cum dedecore et imminentis fati formidine imperare velle. Rempublicam habere milites, arma,

ἐννενηκοστῷ: 'anno nonagesimo.' Nam non ante nonaginta annos, cum Rubiconem transiit et adversus patriam pugnavit Cæsar, hoc consularis potestatis insigne consulibus sublatum.

1 *Julium Lupum*] Cognatum Clementis, prætorianorum præfecti, de quo plura in Suppl. Annal. VIII. 72. Joseph. loc. cit. n. 4.

2 *Misit*] Quatuor erant cohortes cum Chærea senatus partibus addictæ, 'quæ esse sine imperatore, quam sub tyrannide maluerant,' ut loquitur Joseph. *loc. cit.* n. 3. οἷς τὸ ἀβασίλευτον τιμιώτερον τῆς τυραννίδος προὔκειτο.

3 *Ejus filiam*] Vide quæ de Milonia Cæsonia, Caii Cæsaris uxore, ejusque filia *Julia* Drusilla, diximus in Stem. Cæs. *n. 90. et 91.*

4 *Consiliis haud paruisse*] Hæc Joseph. ibid. Addit verba ista ambigua diversum in sensum fuisse tracta. Alii enim volebant Cæsoniam Caio suasisse, ut resipisceret humanitatemque indueret: contra vero alii contendebant fœminam, scelerum consciam, eorumque pœnas reformidantem, egisse ut ipse omnes suos hostes internecione perderet.

5 *Veranium et Brocchum*] Ita eos appellat Joseph. Antiq. Jud. XIX. 3. n. 4. Eorum nomina silet Dio, LX. p. 665. Breviter autem Suetonius in Claud. X. 'Accitusque et ipse (Claudius) per tribunum plebis in curiam ad suadenda quæ viderentur, vi se et necessitate teneri respondit.' Vim hanc et necessitatem intellige de prætorianis, qui Claudium detinebant. Porro Brocchus non est nomen Romanis ignotum. Occurrit in veteribus Inscriptionibus, uti videre est apud Gruterum, p. 768. et alibi: immo *Brocchi* apud Romanos dicebantur, qui erant 'producto ore et dentibus prominentibus.' Vide Plinium, XI. 37. sect. 60. et Nonium, cap. 1. num. 102.

6 *Claudio suaderent*] Joseph. loc. cit. num. 3.

et innumera servitia; quodque ad defensandos patriæ libertatis vindices validius, propitios fore Deos, quorum est recta honestaque tueri.'

10. Minax prætorianorum aspectus legatos perterruit; certique inferiores esse consulares copias, orant, Claudii genua advoluti,[1] 'ne Urbem bello et internecioni objectet: si imperium voluerit, patres adeat, quæ videantur suadeat: posthabita autem semper odiosa, sæpe luctuosa tyrannide, principatum lætis auspiciis et civium benevolentia nixum anteferat.' Jam Claudius, mentis et consilii parum firmus, ad modesta divertebat, nisi militum ferocia, Agrippæ, regis,[2] prudentia, ipsaque dominationis cupido, vel in imbellibus pectoribus haud invalida, abjectos animos sustulisset. Legatis 'vi se et necessitate teneri' respondit.

11. Agrippa, ejus imbecillitati adhuc diffisus, artes suas ita occulebat, ut, dum dominationi clam allaborabat, senatui favere crederetur. Ab eo accitus ut de rerum summa consuleret, curiam venit. 'Quid actum de Claudio'[3] interrogat: quasi ignarus id edoctus, 'se pro senatu ac libertate mori paratum' profitetur: 'at rem difficillimam agi: militibus et pecunia opus esse.' Senatores 'utrumque sibi suppetere' asseverant. Monet Agrippa 'ipsis forte quidem multos, sed novos et disciplinæ rudes esse milites: veteranos vero et bellorum peritos Claudio adesse: nihil temere tentandum: si velint, se Claudium aditurum, et abdicationem persuasurum.'

12. Ad Claudium reversus, eum senatus fluctuationem, militum ceterarumque rerum, quibus respublica nititur, inopiam docet, et ad sensus regnatrice domo dignos exstimulat. Claudius rei facilitate suaque utilitate victus, haud

1 *Genua advoluti*] Joseph. loc. cit. num. 4.

2 *Agrippæ, regis*] Hic est Agrippa I. Herodis Magni nepos, ejusque in regni parte successor, de quo multa diximus in Supplemento Annal. VII. 11. et seq. Prudentiam Agrippæ hac in re plurimum, et forte plus æquo, commendat Joseph. Antiq. Jud. XIX. 4.

3 *Quid actum de Claudio*] Hæc et sequentia Josephus, ibid.

absurde respondet legatis,[1] 'se non mirari senatum prioribus Principibus succensere: at nihil veteris injuriæ, se Principe, remansurum: ætate, fortuna, exemplis, suaque natura meliora edoctum: sibi quidem imperium, at communem cum ipsis fore potestatem; nec formidolosum esse debere, quem suarum partium suæque dignitatis socium[2] habuerunt.' Iis deinde dimissis, milites alloquitur. Cum in ejus nomen jurassent, singulis quinadena sestertia[3] promittit; primus Cæsarum[4] fidem militis præmio pigneratus.

13. Audita Claudii responsione, patres a consulibus in ædem Jovis victoris convocati sunt.[5] At plurimi quid immineret libertati præscii, pars in Urbe latitare; pars in villas secedere, ut, si minus dignitati, magis securitati consulerent: alii, haud amplius centum, convenere: mox clamoribus militum, qui plures dominos respuebant, unum efflagitabant Principem, sunt præpediti: pauca, nec placita, pro libertate dixit Pomponius, consul; ceteri de principatu disceptavere. Hos enim inter, nonnulli summæ rei inhiabant; quorum præcipui, Marcus Vinicius[6] nobilitate et Juliæ[7] matrimonio insignis, Valerius Asiaticus[8] audacia quam auctoritate, validior. Magna ausuros deterruit mutua æmulatio: insuper partes Claudii singulas in horas accrescebant; metus quoque erat ne, si ad arma veniretur, vel Urbs subverteretur, vel, jam cœpta militum defectione, propudiosam ad mortem traherentur. Itaque patres, mili-

1 *Respondet legatis*] Josephus, ibid. et de Bello Jud. II. 11.

2 *Dignitatis socium*] Senator consulque fuerat factus A. U. 790. ut dictum est in Suppl. Annal. VII. 6. Vide et Sueton. in Claud. VII. Dionem, LIX. p. 644.

3 *Quinadena sestertia*] Angl. 125*l.* Totius ergo largitionis summa, non numeratis ducum præmiis, fuit Angl. circiter 1,200,000*l.* Josephus, loc. cit. num. 2., ait data quina drachmarum millia, seu Angl. 170*l.* Sed potior Suetonii in Claud. X. auctoritas. Ni forte volueris data militibus XV. $\overline{\text{HS}}$. ducibus XX. $\overline{\text{HS}}$. Tunc consentient omnia. Porro in donis diversitatem fuisse fatetur Josephus.

4 *Primus Cæsarum*] Hæc Sueton. in Claud. X.

5 *Convocati sunt*] Joseph. Antiq. Jud. XIX. 4. n. 3.

6 *Marcus Vinicius*] Vide Stem. Cæs. n. 99. Male apud Josephum, loc. cit., appellatur Marcus Minucianus, Μινουκιανὸς Μάρκος.

7 *Juliæ*] Caii Caligulæ sororis. Vide Stem. Cæs. n. 97.

8 *Valerius Asiaticus*] De quo supra diximus.

tes, in Claudium consensere: frustra indignante Chærea[1] 'huc recidere tanta libertatis molimina; et post cædem furiosi Principis stolidum assumi: si vellent, se præcisam Claudii cervicem eis allaturum.' 'Hanc quoque infamiam morte sua se anteventurum' minitabatur Sabinus.[2]

14. Hæc incassum jactitata. Quo tardiores ad obsequium, eo patres ad servitium promtiores ruunt: ad castra properant, duce Pomponio.[3] Sed infensi milites consulem, quod fuisset libertatis hortator, strictis gladiis, jam morti destinabant, nisi restitisset Claudius, suoque lateri eum assidere jussisset. Haud ita civiliter excepti senatores: contra repulsi, illusi, cæsi; vulneratus quoque Aponius.[4] In hæc intempestivæ severitatis dedecora prorumpebat Princeps, dominandi rudis, cum venit Agrippa, eumque docuit 'senatum in præsentia non injuriis, sed honoribus mulctandum.'[5]

15. Ad omnia facilis, patres in palatium convocat, quo ipse mediam per urbem lectica defertur,[6] stipantibus militibus, superbisque et populo insultantibus quod Principem imperio dedissent. Licet Pollio, cohortibus prætoriis recens præfectus,[7] edixisset 'ne Chærea et Sabinus in publicum prodirent,' astitere tamen, majore sane spe dominationem contemtu legis irridendi, quam novas turbas concitandi. Ubi primum ventum est in palatium, Claudius cum amicis de Chærea consultavit. Viri fortitudinem laudavere; at 'morte plectendum, ut pœna terrori esset,' censuere; jamque adulta adulatione, non ut Caii interfector, sed ut nefariorum adversus Claudium consiliorum reus,[8] capite

1 *Indignante Chærea*] Hæc et seq. Josephus, ibid.

2 *Sabinus*] Corn. Sabinus, unus e præcipuis Chæreæ sociis, Caiique interfector, ut dictum est in Suppl. Annal. VIII. 74. et 79.

3 *Pomponio*] Consule.

4 *Aponius*] Hæc omnia Josephus, Antiq. Jud. XIX. 4. n. 5. M. Aponius Saturnius, Mœsiæ rector, memoratur a Tacito Hist. I. 79. et II. 85. Forte hujus Aponii fuit filius.

5 *Mulctandum*] Turbidi imperii primordia præmiis potius quam pœnis tutanda.

6 *Defertur*] Ex castris prætoriis ad palatium, quod erat in monte Palatino, defertur. Joseph. loc. cit.

7 *Recens præfectus*] A Claudio in locum Clementis suffectus. Joseph. ibid.

8 *Consiliorum reus*] Dio, LX. p. 666. Id quoque innuit Suetonius in Claud. XI.

damnatur. Interritus, ne mutato quidem vultus colore, Lupumque, ut facinoris, ita pœnæ socium, sed non satis fortem, ad firmitudinem hortatus,[1] supplicium adiit, jussitque percussorem 'eodem, quo Caium peremerat, gladio uti.'[2] Ad mortem sic obduratus, uno ictu obtruncatur. Lupus minore constantia, repetitis ictibus trucidatus est.[3] Sabinus, venia et dignitate, quæ ei fuere oblatæ, spretis, se ipse interemit: indignum ratus,[4] si Chæreæ superstes viveret.

16. Princeps, eam morientium ferociam[5] veritus, in atrociores milites animadvertere; senatores, aliosque sibi infensos beneficiis demulcere: necdum vitæ potentiæque securus, omnibus, qui salutaturi adirent, acerbissimos scrutatores apponere;[6] ne convivia quidem inire, nisi speculatores cum lanceis circumstarent, militesque vice ministrorum fungerentur: alia metu excogitare, quæ postea ad Principum majestatem retenta.[7] Aspera tamen suspicio-

'Tribunis modo ac centurionibus paucis e conjuratorum in Caium numero interemtis, exempli simul causa et quod suam quoque cædem depoposcisse cognoverat.'

1 *Hortatus*] Vestes exuendo, cum de frigore quereretur Lupus, eum allocutus Chæreas, ait: 'Macte animo. Lupi non algent.' Joseph. ibid.

2 *Gladio uti*] Joseph. ibid.

3 *Trucidatus est*] Joseph. ibid. Διὰ τὸ μαλακῶς τὸν τράχηλον παρασχεῖν: 'quod (præ timore) collum parum fortiter porrigeret.'

4 *Indignum ratus*] Hæc totidem verbis Dio, LX. p. 666. Μὴ ἀξιώσας κολασθέντος αὐτοῦ περιεῖναι.

5 *Ferociam*] Populi desideriis honoratam, ut narrat Josephus, Antiq. Jud. XIX. 4. n. 6. Quando enim Chæreæ parentatum, populus Romanus sua libamina ipse attulit, sertaque in ignem conjecit, 'orans ne ob ingratum ejus animum succenseret:' Ἱλέων καὶ ἄμηνιν (mallem cum Cocceio ἀμνήμονα) εἶναι τῆς εἰς αὐτὸν ἀχαριστίας παρακαλοῦντες.

6 *Scrutatores apponere*] Principis terrores graphice describit Suetonius in Claud. XXXV. 'Nihil æque quam timidus ac diffidens fuit. Primis imperii diebus, quanquam, ut diximus, jactator civilitatis, neque convivia inire ausus est, nisi ut speculatores cum lanceis circumstarent, militesque vice ministrorum fungerentur: neque ægrum quenquam visitavit, nisi explorato prius cubiculo, culcitisque, et stragulis prætentatis et excussis: reliquo autem tempore salutatoribus scrutatores semper apposuit, et quidem omnibus et acerbissimos. Sero enim ac vix remisit, ne fœminæ prætextatique pueri et puellæ contrectarentur, et ne cuivis comiti aut librario calamariæ aut graphiariæ thecæ adimerentur.' Multa quoque id genus memorat Dio, LX. p. 666.

7 *Retenta*] Nonnulla ad suam usque ætatem perseverare ait Dio, loc. cit. Quædam tamen a Vespasiano abolita.

num mollita, sublatis impietatis criminibus,[1] condonatis veteribus injuriis, remissis sensim,[2] ut gratia augesceret, vectigalibus.

17. Accessit etiam favor, cum Claudius protulit duos Caii libellos,[3] a Protogene scriptos, alterum *gladii*, alterum *pugionis* titulo insignes. Ambo notas et nomina electissimorum senatorii equestrisque ordinis, morti destinatorum, continebant. Eos cum famosis literis,[4] quas Caius crematas simulaverat, palam combussit; Protogenemque, ut Urbi gratificaretur, interfecit.[5] Majorem adhuc ex inaudita improbitate Caio invidiam, sibi laudem civiumque benevolentiam quæsivit. Arcam enim ingentem, venenorum plenam,[6] quam in secretiore Caii supellectile repererat, demersit; tantaque erupit lues, ut infecta maria traderentur, nec sine piscium exitio, quos enectos æstus in proxima littora ejecit.

18. Tum omnes se a Principe servatos[7] fateri: in fratre Germanici virtutes, spes populi Romani cumulatas prædicare. Ille vero nimios honores[8] recusare, nedum divinos

1 *Impietatis criminibus*] Impietatis in Principem; quam tamen ulciscebatur, si esset cum aliis criminibus conjuncta. Dio, LX. p. 666.

2 *Remissis sensim*] Dio, ibid.

3 *Duos Caii libellos*] Ferales illos libellos, *Gladium* et *Pugionem* appellatos, memorant Sueton. in Caio, XLIX. Dio, LIX. p. 660.

4 *Famosis literis*] De his literis commentariisque adversus Caii matrem ac fratres scriptis, quos crematos simulaverat, diximus in Suppl. Annal. VII. 8. et 11.

5 *Interfecit*] Dio, LX. p. 667.

6 *Venenorum plenam*] De hac arca ferme totidem verbis Sueton. in Caio, XLIX.

7 *A Principe servatos*] Inde tot Claudii nummi, auro, argento et ære cusi, quorum in parte postica est corona quercea, in qua scriptum, EX SC. OB CIVES SERVATOS.

8 *Nimios honores*] Immo teste Suetonio in Claud. XII. Princeps 'in semet augendo parcus, atque civilis, prænomine Imperatoris abstinuit.' Id confirmant nummi, in quibus plerumque hæc tantum inscriptio: TI. CLAVDIVS CAESAR. AVG. GERM. id est, 'Tiberius Claudius Cæsar Augustus Germanicus.' Hanc quoque modestiam laudat Dio, LX. p. 667. Crebras etiam ac nimias acclamationes inhibuit, ut docet Dio, ibid. p. 668. τά τε ἐπιβοήματα τὰ πολλὰ καὶ ὑπέρογκα ἔπαυσε. Eum tamen saltem vicies *Imperatorem* salutatum fuisse accipimus ex argenteo nummo, olim in Museo Collegii Ludovici Magni, qui anno Claudii decimo cusus est. In antica parte, Claudius capite laureato, TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. P. M. TR. P. X. P. P. IMP. XX. In parte postica, Victoria cum caduceo, PACI AVGVSTAE. Humanorum honorum modicus, divinis penitus abstinuit, vetuitque ne quis ipsum adoraret, neve

velle: sola imperii insignia usurpare: statuas paucas et modestas[1] permittere; 'mutis signis templa, compita, publicas, privatas ædes oppleri, civesque exturbari' dictitans.[2] Hac civilitate stabilito imperio, nihil antiquius habere, quam ut id biduum,[3] quo de mutando reipublicæ statu hæsitatum erat, memoriæ eximeret. Omnium itaque factorum dictorumque in eo veniam et oblivionem in perpetuum sancire ac præstare; et, cum Principum reverentia religionibus et pietatis officiis accrescat, aviæ Liviæ[4] divinos honores, et Circensi pompa currum elephantorum;[5] parentibus inferias publicas:[6] patri[7] Circenses ludos[8] natali die decernere. Ne Antonium quidem inhonoratum, ac sine grata mentione transmisit: testatus per edictum, 'tanto impensius petere se ut natalem patris Drusi celebrarent, quod idem esset et avi sui Antonii.'

19. Addidit matri[9] carpentum, quo per Circum duceretur: tribuit quoque cognomen Augustæ,[10] quod fœmina,

quis ipsi supplicaret. Vide Dionem, loc. cit.

1 *Paucas et modestas*] Unam nempe argenteam, duas ex ære et lapide. Dio, ibid.

2 *Dictitans*] Dio, ibid.

3 *Id biduum*] Hæc omnia iisdem verbis recitat Suetonius in Claud. XI.

4 *Aviæ Liviæ*] Augusti uxori, quæ ob adoptionem Germanici avia erat Claudii. Vide Stem. Cæs. n. 66. Matri cœlestes honores negaverat Tiberius, tribuit Claudius. Vide quæ hac de re jam diximus in not. et emend. ad Annal. v 2. Addit Dio, LX. p. 667. Liviam equestribus certaminibus a Claudio fuisse honoratam: ejus effigiem in templo Augusti dedicatam: mandatum quoque Vestalibus ut ei sacra facerent, mulieribusque ut per ejus nomen jurarent.

5 *Currum elephantorum*] Augustino similem. Suetonius, ibid. id est, qualem habebat D. Augustus.

6 *Inferias publicas*] Sueton. in Claud. XI. In iis inferiis exstruebantur aræ, floribus exornabantur, cædebantur victimæ, Diisque Manibus sacrificabatur, de reliquo epulabantur, qui mortuis ita parentaverant. Feralia hæc sacra fuse describit Kirchmannus, de Fun. Roman. IV. 1. et seq. De Claudii parentibus vide Stem. Cæs. n. 79. et 42.

7 *Patri*] Neroni Claudio Druso, de cujus laudibus vide Stem. Cæs. n. 79.

8 *Circenses ludos*] Sueton. ibid. De his ludis, et quot in iis essent missus, si geminaretur lætitia, diximus supra.

9 *Matri*] Antoniæ, Antonii Triumviri filiæ, fœminæ optimæ, cujus laudes vide in Stem. Cæs. n. 42. et in Suppl. Annal. VII. 42. Pietatis Claudii in matrem testes nummi plurimi et ubique obvii. Carpentum vero, quo honestata Antoniæ memoria, erat vehiculi genus mularum bigis tractum, in quo defunctarum Augustarum imagines per circum ducebantur.

10 *Cognomen Augustæ*] Perperam in

virtutis quam laudis studiosior, recusaverat. Fratris[1] memoriam, per omnem occasionem celebratam, novis auxit honoribus.[2] Agrippinam et Juliam[3] de exilio reduxit. Magna quoque usus in priores Principes reverentia, jusjurandum neque sanctius sibi, neque crebrius instituit, quam 'per Augustum.'[4] Tiberio marmoreum arcum[5] juxta Pompeii theatrum,[6] decretum olim ab senatu, sed omissum, peregit. Omnia quidem Caii acta rescidit,[7] ejusque statuas noctu sustulit:[8] vetuit tamen eum ignominia notari;[9] diemque necis, quamvis exordium principatus sui, inter festos referri:[10] quo edicto Principi dignitas, sceleribus odium manebat.

vulgatis Suetonii in Claud. XI. libris legitur, 'cognomen Augustæ ab avia recusatum.' Compertum omnibus Liviam cognomen Augustæ non recusasse, sed ultro usurpasse. Idcirco Lipsius emendabat, *ab viva* recusatum; multi extant Antoniæ nummi cum titulo ANTONIA AVGVSTA, sed imperante Claudio cusi, ut fatentur viri omnes eruditi. Cognomen Augustæ olim datum fuisse Antoniæ a Caio jam notavimus in Suppl. Annal. VII. 6.

1 *Fratris*] Germanici, nunquam satis laudati imperatoris. Vide Stem. Cæs. n. 81. Tabula Antiatina, quam eruditus Vulpius Soc. Jesu publicavit et illustravit, notat mense Octobri, die, ut videtur (hic enim extritum marmor), sexto idus INFER. GERMANIC. id est, *inferias Germanici.*

2 *Honoribus*] Hos inter honores comœdiam a Claudio scriptam et coronatam recenset Suetonius in Claud. XI. 'Ad fratris memoriam per omnem occasionem celebratam, comœdiam quoque Græcam Neapolitano certamine docuit, ac de sententia judicum coronavit.' In hac urbe tantam modestiam præ se tulit, ut tanquam privatus et Græcorum more ibi viveret, musicis spectaculis cum pallio et soleis, gymnico certamini cum purpurea veste et aurea corona interesset. Hæc Dio, LX. p. 668.

3 *Agrippinam et Juliam*] De quibus dictum in Suppl. Annal. VII. 35. Dio, LX. p. 667. Reversæ suam pietatem in Caium, fratrem suum, licet immeritum, significavere; ejusque cadaver per eas sepultum, ut jam diximus supra.

4 *Per Augustum*] Sueton. in Claud. X.

5 *Marmoreum arcum*] Sueton. ibid.

6 *Pompeii theatrum*] Cujus scenam, olim ambustam, refecerat Tiberius, ut dictum est Annal. VI. 45. Illam dedicavit Claudius, sed unum Tiberii nomen inscripsit, suum omisit, Dio, LX. p. 669. Quibus cærimoniis ludos tum ediderit narrat Sueton. in Claud. XXI. Hujus theatri rudera visuntur adhuc Romæ ad Campum Floræ in ædibus Ducis *de Grillo*, vicinisque apothecis.

7 *Rescidit*] Sueton. in Claud. XI. Verum hæc cum Dione, LX. p. 667. intellige de perperam actis a Caio, vel ab aliis propter Caium. Τὰ μὲν δὴ οὖν ὑπό τε τοῦ Γαΐου καὶ ὑφ' ἑτέρων δι' ἐκεῖνον οὐκ ὀρθῶς γενόμενα, ἀνέτρεψε.

8 *Sustulit*] Dio, ibid.

9 *Ignominia notari*] At, vel invito Claudio, hæc ignominia, malorum Principum ultrix, Caium secuta est; testaturque Dio, ibid. ætate sua in sacramentis votisque concipiendis Caii Tiberiique nomina reticeri.

10 *Inter festos referri*] Sueton. in

20. Haud minus diligenter cautum ut nova dominatio regibus exteris commendaretur. Restituta Antiocho[1] Commagene parsque Ciliciæ, a Caio data et ademta. Mithridates,[2] Iberus, Armeniæ rex, in vincula conjectus, primum libertatem, deinde regnum recepit. Data Polemoni,[3] regi Bosphorano, Cilicia, ut Mithridates, a magno Mithridate[4] oriundus, Bosphoro donaretur.[5] At ut egregia Agrippæ officia, ita maxima fuit gratia. Non modo confirmata regna, quæ jam acceperat, additæ adhuc Judæa et Samaria.[6] Ei quoque decreta consularia insignia, fratri ejus Herodi[7] prætoria; multaque Judæis indulta.[8]

Claud. xi. Vetuit diem illum inter festos referri, ne de Caii nece lætari videretur; quod sibi nec gloriosum, nec tutum *fuisset*. Sequentibus annis primo *illo imperii* sui die prætoriarum cohortium militibus centenos nummos, Angl. 17*s*. viritim dedit. Dio, LX. p. 673.

1 *Restituta Antiocho*] Dio, LX. p. 670. De Antiocho IV. Commagenæ rege, dictum supra in Suppl. Annal. VII. 11. et VIII. 34. Vide et Annal. XII. 55.

2 *Mithridates*] Dio, ibid. De illo jam actum in Suppl. Annal. VIII. 34. Vide quoque Tacitum Annal. XI. 8. et XII. 44. ac seq.

3 *Data Polemoni*] Dio, ibid. Hic Polemon II. supra memoratus in Supplemento Annal. VII. 36. Nullos superesse nummos Polemonis, dum in Bosphoro regnabat, cusos, docet Cl. Cary, *Histoire des Rois du Bosphore*, p. 50.

4 *Magno Mithridate*] Rege Pontico, olim Romæ æmulo.

5 *Bosphoro donaretur*] Dio, ibid. Quot in Mithridatis, regis Bosphorani historia recensenda peccaverit Vaillant, et quomodo ejus nummus a falsario fuerit adulteratus disce ab erudito Cary, loc. cit. p. 51. et seq. Tristem, sed fortem, regni ejus exitum descripsit Tacitus Annal. XII. 15. et seq.

6 *Judæa et Samaria*] Quæ olim fuerant avi ejus Herodis Magni. Iis etiam addidit Abilinam, quæ ad Lysaniam tetrarcham pertinuerat, et quæcumque ex Libano erant imperatoriæ dominationis, ut videre est apud Josephum, Antiq. Jud. XIX. 5. n. 1. Tunc Magni cognomen accepit Agrippa; cuique nummi ejus dignitatis et Claudii benevolentiæ testes. Hos inter præcipuus nummus ex ære mediocri a Vaillant et Harduino, Select. Opera, p. 332. vulgatus: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΑΓΡΙΠΠΑΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ. Caput diadematum Agrippæ. In aversa parte, Dea stat cum temone et cornu copiæ: Μ... ΚΑΙΣΑΡΙΑ Η ΠΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΩΝ. id est, 'Metropolis Cæsarea ab Augustis dilecta.' Aliæ quoque urbes lætitiam suam significavere, quod gentilem regem haberent. Hinc nummi ΕΠΙ ΒΑCΙΛΕ. ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ, id est, 'Tiberiensium sub rege Agrippa.' Hinc magis adhuc obvii nummi, in quibus lilium cum tribus literis ΒΑ Φ, id est, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΓΡΙΠΠΑ ΦΑΣΑΗΛΙΤΩΝ, seu 'Rex Agrippa, (nummus) Phasaëlitarum,' de quibus Plinius, XXI. 5.

7 *Fratri ejus Herodi*] Regi Chalcidis, de quo Dio, LX. p. 670.

8 *Judæis indulta*] Duo hac de re Claudii decreta, rogantibus Agrippa et Herode obtenta, refert Josephus, Antiq.

21. Eandem æquitatem expertæ urbes, quibus statuas a Caio ablatas restituit.[1] Neque opum appetens, vetuit ne quis, si cognatos haberet, Cæsarem scriberet hæredem.[2] Demum quod in novo principatu difficillimum, abruptam severitatem inter et nimiam facilitatem temperamento usus, varia sanxit quibus sanctitas legum,[3] civium tranquillitas, ludorum moderatio astrueretur. Ipse observantia in consules, benignitate erga omnes, ingens modestiæ exemplum simul et incitamentum.

22. Læta quidem initia, sed cito corrupta Messallinæ[4] libidinibus, insolentia libertorum,[5] hebete ingenio Principis, qui natura invalidus, serviliter eductus, literatior[6] mitiorque, quam Principem mediocris animi decet, pauca pro arbitrio et majestate imperii, pleraque alieno impulsu, præcipitive metu aut impetu actitavit. Dominationem vix retenturus, ni mole sua aliquandiu starent magna imperia; legatique exercituum obviam, sed turpem fortunam illustriori obsequio postposuissent.

23. Hos inter eminuit Sulpicius Galba,[7] Germaniæ

Jud. XIX. 5. n. 2. et 3. In posteriore id memorandum Judæis permitti, ut per universum Romanum imperium, propter fidem et amicitiam Romanis præstitam, patrios suos mores sine ullo impedimento servent; moniti tamen ut 'modestius se gerant, nec aliarum gentium religiones contemnant:' ἐπιεικέστερον χρῆσθαι, καὶ μὴ τὰς τῶν ἄλλων ἐθνῶν δεισιδαιμονίας ἐξουθενίζειν.

1 *Restituit*] Dio, LX. p. 669. Suetonius in Caio, XXII. quem vide in not. ad Suppl. Annal. VIII. 55.

2 *Scriberet hæredem*] Dio, loc. cit.

3 *Sanctitas legum*] Hæc et quæ sequuntur multis exemplis confirmat Dio, LX. p. 668. et 669. quorum hæc præcipua. Claudius sodalitia, a Caio restituta, in quibus multum erat gulæ ac licentiæ, nihil caritatis et pietatis, dissolvit. Strenarum munera, ab Augusto ob humanitatem studiosamque populi voluntatem, a Caio propter aviditatem prodigentiamque accipi solita, a Tiberio ob parsimoniam (nam ea munera majoribus muneribus rependebat Augustus, et ex iis Deorum statuas vicatim dedicabat. Sueton. in August. LVII.) repudiata, ipse ut lucri cupiditas ab imperatoria majestate penitus abesset, edicto sustulit. Vesaniam quoque ludorum, qui per dies plurimos iterabantur, si quid forte prioribus diebus fuisset peccatum, frænavit.

4 *Messallinæ*] Claudii uxoris, fœminæ perditissimæ. Vide Stem. Cæs. n. 26.

5 *Libertorum*] Callisti, Pallantis, &c.

6 *Literatior*] Multa privatus Princepsque Latine et Græce scripsit, quæ commemorat Suetonius in Claud. XLI. et XLII.

7 *Sulpicius Galba*] Postea Imperator, jam laudatus supra in Suppl. Annal. VIII. 23. Erat teste Plutarcho in Galb. p. 1054. Romanorum ditissimus, ἰδιώτης πλουσιώτατος ἁπάντων.

superioris legatus. Licet ad nova summaque a multis stimulatus,[1] officii constans maluit imperium defendere, quam usurpare; Cattosque devicit,[2] fide et victoria intimam Principis benevolentiam promeritus. Laudis æmulus, P. Gabinius, Germaniæ inferiori præfectus, Chaucos[3] debellavit. Aucta lætitia, quod, quæ sola[4] apud hostes supererat, captam Variana clade legionis aquilam reportavit; indeque *Chaucius*[5] cognomen obtinuit. Princeps vero, periculorum et bellorum expers, ob utramque victoriam *Imperator* salutatus est.[6] Liberti, exquisitiore adulatione, in ejus laudem traxere sopitas in Mauretania turbas, quæ jam ante Caii cædem desierant;[7] et ut triumphalia ornamenta ob id acciperet persuasere.

24. At fœdiora meditabatur Messallina. Juliam,[8] forma, nobilitate, cum Claudio necessitudine præcellentem exosa, ferocem ejus animum, et ad imperantis fortunæ obsequia flecti nescium, impatientius ferebat. Primum muliebri æmulatione certavere, mox, prout solitum, vicit potentia. Juliaque variis criminibus atque etiam adulteriis infamata magis, quam convicta, rursus in exilium projecta est. Annæus Seneca, adulteriorum societati innexus, in insulam Corsicam relegatur:[9] sapientiæ fama, Juliæ superbia facile excusandus, nisi ipse ingeniosioribus scriptis,[10] adulatoriis

1 *Multis stimulatus*] Sueton. in Galba, VII.

2 *Cattosque devicit*] Dio, LX. p. 670. De quibus plura dicta sunt in libro de Moribus German. XXX.

3 *Chaucos*] Suetonius in Claud. XXIV. Perperam legas apud Dionem, LX. p. 670. *Μαυρουσίους*, *Maurusios*. Male emendabat Palmerius *Cheruscos*, nec satis probabiliter Xylander et Reimarus *Marsos*. Corrigendum Χαύκους, penes quos erat una Aquila, sicut altera apud Marsos fuerat, de qua dictum Annal. II. 25. Inde error prodiit, quod paulo ante Mauretaniam memoraverat Dio. Porro Chauci littus maris inter Amisiam et Albim tenebant.

4 *Quæ sola*] Dio, loc. cit. Vide quoque not. ad Annal. II. 25.

5 *Chaucius*] Suetonius, ibid.

6 *Imperator salutatus est*] Dio, ibid.

7 *Desierant*] Dio, ibid. Plinius quoque. Sed vide quæ jam annotavimus supra in Suppl. Annal. VIII. 34.

8 *Juliam*] Germanici filiam. Vid. Stem. Cæs. n. 97.

9 *Relegatur*] Dio, ibid. Exilii sui laudator inducitur Seneca in Octavia, Act. 2. sc. 1. v. 381. Melius latebam procul ab invidiæ malis, Remotus inter Corsici rupes maris: Ubi liber animus, et sui juris, mihi Semper vacabat, studia recolenti mea.'

10 *Scriptis*] Vide inprimis librum de

precibus,[1] amarulentis dicteriis,[2] ferme fidem criminationibus fecisset.

25. Inter hæc dissidia, Claudius filias suas, Antoniam[3] Cn. Pompeio Magno[4] tradidit, Octaviam[5] L. Junio Silano[6] despondit, exigua[7] maritali pompa, post tristiore exitu.[8] Generos vigintiviratu[9] tantum donavit: dein feriis Latinis[10] Urbi præfecit: tarde concessit ut quinquennio maturius, quam per leges, magistratus[11] peterent. Eodem anno nati sunt,[12] ortu et fato dispares, moribus et studiis pares, familiari necessitudine[13] summi, Britannicus et Titus:

Consolatione ad Helviam matrem suam a Seneca scriptum.

1 *Adulatoriis precibus*] Quas lege in consolatione ad Polybium, ac maxime capite 32. rigida ac virili Stoicorum sapientia minime dignas.

2 *Dicteriis*] Quibus aculeata rigescit insectatio, quam post mortem Claudii, quem vivum laudaverat, scripsit; cuique titulum fecit, Claudii Cæsaris ΑΠΟΚΟΛΟΚΥΝΤΩΣΙΣ. Tam parum secum consensisse Senecam nemo mirabitur, qui reputaverit unam virtutem sibi semper constantem, plerumque discors esse ingenium.

3 *Antoniam*] Vide Stem. Cæs. n. 105.

4 *Cn. Pompeio Magno*] Pompeio Magno cognomen, sibi invisum, ademerat Caius Caligula; restituit quidem Claudius, generumque fecit: sed postea occidit. Unde Seneca in Apocoloc. p. 707. 'Caius Cæsar Crassi filium vetuit Magnum vocari: hic (Claudius) nomen illi reddidit, caput tulit.'

5 *Octaviam*] Vide Stem. Cæs.

6 *L. Junio Silano*] Filio Appii Silani, de quo dicetur infra cap. 33.

7 *Exigua*] Immo ita exigua, ut etiam his ipsis diebus senatum habuerit. Quod testatur Dio, LX. p. 668. et ex eo Zonaras. Suffragatur quoque Sueton. in Claud. XII. 'Sponsalia filiæ natalemque geniti nepotis silentio, ac tantum domestica religione transegit.'

8 *Tristiore exitu*] Si quidem uterque a Claudio postea occisus. Ob crimen interemtus est 'Pompeius, in concubitu dilecti adolescentuli confossus,' Sueton. in Claud. XXIX. Silanus, incustoditi amoris accusatus magis quam reus, mortem sibi conscivit, ut dictum est Annal. XII. 8.

9 *Vigintiviratu*] De hoc honorum rudimento dictum ad Annal. III. 29.

10 *Feriis Latinis*] Quæ sint, et unde sic dictæ, vide Annal. IV. 36.

11 *Magistratus*] Hæc omnia Dio, LX. p. 668. Magistratus intellige de quæstura, et aliis postea honoribus. Quæstura juxta leges post annum 24. petebatur, ut notatur Ann. III. 29.

12 *Nati sunt*] Britannicus natus est 'vigesimo imperii (Claudii) die,' Sueton. in Claud. XXVII. Titus vero 'natus est III. Kal. Januarias insigni anno Caiana nece, prope Septizonium, sordidis ædibus, cubiculo vero perparvo et obscuro: nam manet adhuc et ostenditur,' Sueton. in Tit. I. Septizonium illud, Severiano antiquius, fuit in Esquiliis. De Britannico vide Stem. Cæs. n. 108. Primum dictus est Tiberius Claudius Germanicus. Postea Britannicus appellatus est, Dio, LX. p. 673.

13 *Necessitudine*] De qua plura Suetonius in Tit. II. Titus educatus in aula

mira hominum sorte, quæ utriusque vices variasse videtur, ut singuli plus desideriorum relinquerent. Britannicus Claudio et Messallina genitus vigesimo paterni imperii die: Titus Vespasiano et Flavia Domitilla tertio Kalendas Januarias.

26. Claudius Cæsar II. et Cæcina Largus, consules,[1] in acta Augusti juravere.[2] In sua jurari vetuit Princeps; prorogatoque[3] per totum annum Cæcinæ magistratu, ipse bimestri dignitate[4] se abdicavit, nihil contra leges se fecisse jurejurando professus,[5] majore vanitate, quam veritate. Consul enim, et extra honorem,[6] juris dicundi assiduus, nonnunquam a præscriptis legum discedebat, quandoque ex bono et æquo, sæpius inconsulta animi levitate, et amenti similis.[7] Novas tamen leges condidit, sua utilitate, Principis civilitate probatas. Rectores enim provinciarum, diutius in Urbe morari solitos, jussit[8] in eas ante Kalendas Apriles proficisci: simul vetuit 'ne sibi pro accepta dignitate

cum Britannico simul, 'ac paribus disciplinis, et apud eosdem magistros institutus. Quo quidem tempore, aiunt, metoposcopum a Narcisso Claudii liberto adhibitum, ut Britannicum inspiceret, constantissime affirmasse; illum quidem nullo modo, ceterum Titum, qui tunc prope astabat, utique imperaturum. Erant autem adeo familiares, ut de potione, qua Britannicus hausta periit, Titus quoque juxta cubans gustasse credatur, gravique morbo afflictatus diu. Quorum omnium mox memor statuam ei auream in palatio posuit, et alteram ex ebore equestrem, quæ Circensi pompa hodieque præfertur, dedicavit, prosecutusque est.'

1 *Consules*] Tiberius Claudius Cæsar *II. et C.* Cæcina Largus consules fuere *A. U. 795. J. C.* 42. Dio, LX. p. 671. Largus auctor videtur fuisse senatusconsulti Largiani, de quo Institut. Libr. III. Tit. 8. de Successione libertorum. 'Postea (id est, post legem Juniam) senatusconsulto Largiano cautum fuerat, ut liberi manumissoris non nominatim exhæredati facti, extraneis hæredibus eorum in bonis Latinorum præponerentur.' Vide eruditum Heineccium, Antiquitates Romanæ Jurisprud. III. 8. n. 9.

2 *Juravere*] Claudio ita jubente, ut testatur Dio, LX. p. 671. Neque permisit quenquam in sua acta jurare. De hoc usu jurandi dictum est Annal. I. 7.

3 *Prorogatoque*] Dio, ibid.

4 *Bimestri dignitate*] Sueton. in Claud. XIV.

5 *Jurejurando professus*] Dio, ibid. Ob tale jusjurandum, Trajanum, qui egregia promiserat, majora præstitit, laudat Plinius in Panegyric. LXIV. et LXV.

6 *Extra honorem*] Abdicato consulatu.

7 *Amenti similis*] Multus hac in re Sueton. in Claud. XIV. et XV. eamque exemplis quamplurimis confirmat.

8 *Jussit*] Legem hanc retulit Dio, LX. p. 672.

gratias agerent;' professus 'se Principem; ipsos esse principatus adjutores: apud se gratiam laudemque nacturos, si ex provinciis, officio egregie perfuncti, reverterentur.' Legem Papiam Poppæam, a Tiberio jam mollitam,[1] sed in hoc Urbis luxu adhuc graviorem, moderatus est: et sexagenarios,[2] qui uxorem quinquagenaria minorem ducerent, cœlibum pœnis exemit. Pupillis[3] consuluit, eorumque tutelæ curam, olim prætoribus commissam, consulibus mandavit. Ad lites quoque expediendas, rerum actum,[4] divisum antea in hybernos æstivosque menses, conjunxit.

1 *Mollitam*] Vide quæ dicta sunt supra Annal. III. 25. et 28.

2 *Sexagenarios*] Licet legem Papiam Poppæam moderatus fuisset Tiberius, caput tamen addiderat, quo sexagenarii, etiamsi uxores ducerent, pœnis tamen legis Papiæ Poppææ subjacebant. Contendebat enim Tiberius infœcunda hæc matrimonia non iniri, ut liberi procrearentur, sed tantum ut legis pœna vitaretur. Caput istud Tiberianum obrogavit, id est, mutavit Claudius. Unde Sueton. in Claud. XXIII. ait: 'Capiti Papiæ Poppææ legis, a Tiberio Cæsare, quasi sexagenarii generare non possint, addito, obrogavit.' Ea vero conditione obrogavit, ut sexagenarius, vel etiam sexagenario major uxorem minorem quinquagenaria duceret. Id nos docet Ulpianus Tit. XVI. 3. et 4. 'Qui intra sexagesimum, vel quæ intra quinquagesimum annum, neutri legi' (Juliæ et Papiæ Poppææ) 'paruerit, licet ipsis legibus post hanc ætatem liberatus esset, perpetuis tamen pœnis tenebitur, ex senatusconsulto Perniciano:' (eruditus Perizonius emendat *Persiciano*, quod Paulus Fabius Persicus consul fuit, imperante Tiberio, A. U. 797. At legem Papiam Poppæam moderatus est Tiberius A. U. 773. Mallem itaque emendari *Tiberiano:)* 'sed Claudiano senatusconsulto, major sexagenario, si minorem quinquagenaria duxerit, perinde habebitur, ac si major sexaginta annorum duxisset uxorem. Quod si major quinquagenaria minori sexagenario nupserit, impar matrimonium appellatur: et senatusconsulto Calvitiano' (assentior Cujacio emendanti *Claudiano*, licet Perizonio et Schultingio placeat *Calvisiano*) 'jubetur non proficere ad capiendas hæreditates, et legatas dotes. Itaque mortua muliere, dos caduca erit.' Qui plura voluerit, adeat Cl. Heineccium, Antiq. Rom. Jurisprud. vol. I. p. 296. et seq.

3 *Pupillis*] Sueton. in Claud. XXIII. 'Sanxit ut pupillis extra ordinem tutores a consulibus darentur.' Antea in Urbe prætoris, in provinciis præsidum erat tutores pupillis dare. Cum nondum lege Claudiana satis consultum esset tutoribus, M. Antoninus Philosophus 'prætorem tutelarem primus fecit, cum ante tutores a consulibus poscerentur, ut diligentius de tutoribus tractaretur.' Jul. Capitolin. in M. Antonin. X.

4 *Rerum actum*] Sueton. ibid. Apud Romanos res aliæ per hyemem, aliæ per æstatem agebantur. Molestissimum hunc comperendinatum sustulit Claudius. Postea restituisse videtur Galba, teste Suetonio in Galb. XIV. Melius providit M. Antoninus, supra laudatus, qui 'fastis dies judiciarios addidit, ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibusque disceptandis constitueret.' Jul. Capitolin. in M. Antonin. X.

Demum ne publica pecunia periret, tres prætorios viros,[1] qui ærario debita exigerent, instituit: additis lictoribus, ut cresceret dignitas. Ad divina quoque conversus, Urbem, religionum multitudine fatiscentem, sacris Eleusiniis augere voluit.[2] Laudabiliore cura, Gallorum, quos furiosa Druidarum superstitio humanis victimis Deos placare docuit, feros ritus, civibus sub Augusto jam interdictos, abolevit,[3] ceteraque[4] hujus superstitionis vetuit. Triumphato enim terrarum orbe, hæc nobilissima Romanos manebat victoria, ut religionum monstra tollerent, victasque gentes rationi servire, ac felices vivere cogerent.

1 *Tres prætorios viros*] Dio, LX. p. 671.

2 *Augere voluit*] Sueton. in Claud. XXV. 'Sacra Eleusinia etiam transferre ex Attica Romam conatus est.' Transtulit postea Hadrianus, ut docet Aurel. Victor. de Cæsar. in Hadr. Eleusiniis sacris, Cereri ac Proserpinæ dicatis, nihil fuit apud Græcos celebratius secretiusve: quorum ob contemtum capitis damnatus est optimus Socrates.

3 *Abolevit*] Suetonius, loc. cit. 'Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, et tantum civibus sub Augusto interdictam, penitus abolevit.' Hæc ita sunt aperta et indubitata, ut a librariis corruptum existimem locum Plinii, XXX. 1. 'Gallias utique possedit (sacri prodigiosi celebratio), et quidem ad nostram memoriam. Namque Tiberii Cæsaris principatus sustulit Druidas eorum, et hoc genus vatum medicorumque.' Forte scripserat Plinius 'Tiberii Claudii principatus,' vel 'Tib. Cl. Cæsaris principatus.' Hæc inhumana Gallorum sacra, qui, affecti gravioribus morbis, vel in præliis ac periculis versantes, pro victimis homines immolant, pluribus recenset Cæsar de Bell. Gal. VI. 15. Quod vero incredibile videretur, ni quantum in hominum animos valeat superstitio, innumeris ac portentosis exemplis foret compertum, cum homines occidere non licuit, humano saltem sanguine aras proluere juvit. Hoc docet horum temporum scriptor elegans Pomponius Mela, III. 2. Gallorum 'gentes superbæ, superstitiosæ, aliquando etiam immanes, adeo ut hominem optimam et gratissimam Diis victimam cæderent. Manent vestigia feritatis jam abolitæ, atque ut ab ultimis cædibus temperant, ita nihilominus, ubi devotos altaribus admovere, delibant.' Melæ interpretes, temporis quo scripserit incuriosi, multa in his illustrandis peccavere. Perperam enim Schottus 'abolitam feritatem' ad A. U. 657. retulit, cum senatusconsultum, teste Plinio, XXX. 1. factum est, 'ne homo immolaretur.' Romanis nondum parebant Galliæ. Infeliciter quoque pro *ultimis cædibus* emendare voluit Pintianus *humanis cædibus*. Quæ sit satis monuisse, ut quanti sit in illustrandis veterum Scriptorum operibus temporum ratio dignoscatur.

4 *Ceteraque*] Inter hæc in magna Galliarum fama erat ovum anguinum, de quo cum multa commemorasset, addit Plinius, XXIX. 3. sect. 12. 'Vidi equidem id ovum mali orbiculati modici magnitudine, crusta cartilaginis, velut acetabulis brachiorum polypi crebris, insigne Druidis. Ad victorias litium, ac regum aditus, mire laudatur: tantæ vanitatis, ut habentem id in lite in sinu equitem Romanum e Vocontiis, a Divo

27. Interim Suetonius Paullinus [1] bellicæ laudis famam in Africa auspicabatur. Ædemon [2] enim, libertus, arma resumserat ut Ptolemæum regem, a Caio Cæsare [3] interemtum, ulcisceretur. Ne per moras audacia glisceret, Suetonius Mauretaniam propere ingressus est. Barbari, exercitibus Romanis tum primum [4] in regione sua bellantibus exterriti, refugere. Dum in latebris premebantur, ventum ad montem Atlantem, tot fabulis celebratum.[5]

28. Suetonius Polybium,[6] egregium Annalium conditorem, qui Africæ littora exploraverat, æmulatus, terras scrutari voluit; primusque [7] Romanorum ducum Atlantem aliquot millium spatio transgressus, loca, hactenus tantum virilem ob luxuriam [8] audita, invisit. Vanescentibus, quo

Claudio interemtum non ob aliud sciam.'

1 *Suetonius Paullinus*] Prætorii erat ordinis, teste Dione, LX. p. 670. De illo sæpe dictum Annal. XIV. 29. et seq. et in vita Agricolæ, V.

2 *Ædemon*] Plin. v. 1.

3 *A Caio Cæsare*] Ut diximus in Suppl. Ann. VIII. 34.

4 *Tum primum*] 'Romana arma primum, Claudio Principe, in Mauritania bellavere.' Plin. v. 1.

5 *Fabulis celebratum*] Præter Herculi et Perseo ibi laborata, illum etiam in nubila ita erectum prodidere veteres, ut cœlum et sidera non 'tangere modo vertice, sed sustinere quoque' diceretur. Mela, III. 10. De Atlante hacque Suetonii expeditione, pauca, sed lectu digna, scripsit Cl. D'Anville, *Mémoires de l'Acad. Roy. des Inscrip.* Vol. XXVI. p. 80. et seq. Hoc enim bello ultra Atlantem perventum ad urbes Alelen et Cillabam, nunc *Helel* et *Gher-Selbin*, arbitratur: quas tamen inde remotissimas in Phazania, hodie *Fezzan*, ponit Plin. v. 5.

6 *Polybium*] Polybius Cornelium Scipionem Africanum in Africana expeditione comitatus, ab eo accepta classe A. U. 608. A. C. 145. partem illam orbis scrutatus est; suumque iter descripsit, Plinio, v. 1. memoratum, sed compendiosius pro tanta rei utilitate hominisque dignitate. Immo errorem Polybio affingit, tanto scriptore indignum: scilicet, si Plinio credimus, a monte, quem Theon Ochema dixere veteres, nunc *the southern extremity of the Sierra Leone*, ad promontorium Hesperium, nunc *the Cape of Palms*, 'navigatione dierum ac noctium decem, in medio eo spatio Atlantem locavit Polybius, a ceteris omnibus in extremis Mauritaniæ proditum.' Id certe non peccavit Polybius; sed in medio spatio a portu Carthaginis, unde profectus est, ad Hesperium promontorium, quo pervenit, ac proinde in extremis Mauritaniæ positum esse Atlantem merito prodidit. Quod nemini hactenus, ne erudito quidem Harduino compertum miror. Hac de re totoque Polybii itinere plura forte alias sum dicturus.

7 *Primusque*] Plin. loc. cit. et ex eo Solinus, cap. 26. Hanc expeditionem memorat quoque Dio, LX. p. 670.

8 *Virilem ob luxuriam*] Apud Romanos Indico luxu fœminæ, Africano viri gloriabantur. Præcipuus apud viros honor citreis mensis, quas tanti faciebant, ut, Juba rege mortuo, duæ sint venumdatæ, 'quarum alteri pretium fuit HS. XII. (Angl. 10,000*l.*) alteri paulo minus,

propius accedebat, fabulis, nulla occurrere Ægipanum Satyrorumque[1] vestigia: sed comperit imas montis radices,[2] densis altisque repletas sylvis, incognito[3] genere arborum, proceritate spectabili, enodi nitore,[4] fronde cupressis simili, gravi odore,[5] et tenui obducta lanugine, sericis velleribus nihilo viliore:[6] verticem altis etiam æstate operiri nivibus: decumis eo pervenerat castris:[7] ultra ad fluvium Ger,[8] contendit per solitudines nigri pulveris, eminentibus inter-

Plin. XIII. 15. Sed de hac insania jam diximus in not. et emend. ad Annal. III. 52. ubi multa de Romanorum luxu congessimus.

1 *Satyrorumque*] Plinius, v. 1. 'Eundem (Atlantem) noctibus micare crebris ignibus, Ægipanum Satyrorumque lascivia impleri, tibiarum ac fistulæ cantu, tympanorumque et cymbalorum sonitu strepere celebrati auctores prodidere.' Eadem ferme legas in Periplo Hannonis. Geographi veteres, vol. I. p. 4. et 5. Inde orta fabula, quod pauci, qui istas regiones incolunt, homines diu propter immodicum calorem lateant, noctu ad res agendas cum facibus discurrant. Præterquam quod in his oris ignei halitus frequentes esse potuere. De monstrifica Ægipanum et Satyrorum forma vide Melam, I. 4. et 8. Plinium, v. 8.

2 *Imas montis radices*] Africam versus, non vero versus mare. Unde Plinius, v. 1. 'E mediis hunc (Atlantem) arenis in cœlum attolli prodiderunt, asperum, squalentem, qua vergat ad littora Oceani, cui cognomen imposuit: eundem opacum, nemorosumque, et scatebris fontium riguum, qua spectat Africam, fructibus omnium generum sponte ita subnascentibus, ut nunquam satietas voluptatibus desit.'

3 *Incognito*] Hæ sunt arbores citri Atlanticæ, a citro seu malo Assyria omnino diversæ, quas non noverant Romani, licet apud eos tanto essent in pretio. Plinius, XIII. 15. 'Atlas mons peculiari proditur sylva . . . confines ei Mauri quibus plurima arbor citri, et mensarum insania, quas fœminæ viris contra margaritas regerunt.'

4 *Enodi nitore*] Cum in luxu una valeat raritas, apud Romanos eviluit enodis ille trunci nitor, sed ingentibus pretiis emebantur contortæ radices. Id testatur Plinius, XIII. 15. 'Tuber hoc est radicis, maximeque laudatum, quod sub terra totum fuerit: et rarius quam quæ superne, quæque gignuntur etiam in ramis, proprie quod tanti emitur, arborum vitium est, quarum amplitudo ac radices æstimari possunt ex orbibus.' Eandem insaniam arguit Seneca, de Beneficiis, VII. 9. 'Video istic mensas, et æstimatum lignum senatoris censu, (Angl. 10,000*l.*) eo pretiosius, quo illud in plures nodos, arboris infelicitas torsit.'

5 *Gravi odore*] Plin. ibid. 'Cupresso fœminæ sylvestri sunt similes folio, odore, caudice.'

6 *Nihilo viliore*] Solin. XXIV. Plinius quoque, v. 1. 'Tenui eas obduci lanugine: quibus addita arte, posse, quales e bombyce, vestes confici.'

7 *Castris*] Plin. ibid. Decima castrorum metatione.

8 *Fluvium Ger*] Fluvium mediterraneum, qui Gætuliam alluit, dictum Ptolemæo, IV. 6. Γεὶρ; nunc *Adjedec* appellatum. Solinus et Cl. De l'Isle, *Theatr. Histor.* fol. 1. perperam volunt Suetonium ad fluvium, 'qui Niger vocatur,' contendisse. Niger, hodie *Guin*, a fluvio Ger decem gradibus distat; at tantum aliquot millium spatio Atlantem

dum velut exustis cautibus; locaque inhabitabilia[1] fervore, quanquam hyberno tempore, expertus: proximos saltus, elephantorum, ferarum et serpentium gregibus infestos adiit; et, a Canariis populis, qui dividuis ferarum[2] visceribus victitabant, inhabitari comperit.

29 His exploratis, rebellibusque territis magis, quam subactis, Suetonius Romam repetiit, cum pertinaciore hoste[3] postea dimicaturus. Cœpta vero in Mauretania absolvit Cn. Hosidius Geta;[4] Salaboque, barbarorum duce, semel atque iterum devicto, et ad solitudines frustra delapso,[5] initæ tandem pacis conditiones. Duas in provincias, Tingitanam et Cæsariensem,[6] divisa est Mauretania, duobusque equestris ordinis rectoribus permissa. Conciliandi animos simul et firmandi dominationem causa, oppidum Tingi[7] coloniam fecit Claudius; appellatumque Traducta Julia: eodem honore donatæ Cæsarea,[8] olim Jubæ regia, et Lixos,[9] fabulosissime antiquis narrata. Deductis

transgressus est Suetonius, teste Plinio, loc. cit.

1 *Inhabitabilia*] Suetonius tamen non ultra trigesimum latitudinis gradum contendit.

2 *Dividuis ferarum*] Atque etiam canum, unde nomen accepere, ut docet Plinius, v. 1. 'Canarios appellari. Quippe victum ejus animalis promiscuum his esse, et dividua ferarum viscera.'

3 *Pertinaciore hoste*] Cum Britannis. Vide Annal. XIV. 29. et seq.

4 *Cn. Hosidius Geta*] Dio, LX. p. 670.

5 *Frustra delapso*] Cum barbari siticulosa loca semper peterent, eos, magna aquarum copia collecta, insecutus est Geta. Ea tamen in tantis solitudinibus deficiente, Romanus exercitus adhuc periisset, ni inopina imbrium vis per magicas artes, ut tradit Dio, LX. p. 671. seu quod libentius crediderim, forte fortuna præsto fuisset.

6 *Tingitanam et Cæsariensem*] De hac divisione jam dictum in Supplemento Annal. VIII. 34.

7 *Tingi*] Hodie *Tenja*, vel *Tanger*, urbs princeps Mauritaniæ Tingitanæ, de qua Plinius, v. 1. 'Tingi, quondam ab Antæo conditum: postea a Claudio Cæsare, cum coloniam faceret, appellatum Traducta Julia.' De hujus urbis nomine et nummis vide Harduinum, Select. Opera, p. 77. Antiquitatem quoque laudat Mela, I. 5. 'Tingi oppidum pervetus, ab Antæo, ut ferunt, conditum. Extat rei signum, parma elephantino tergore exsecta, ingens, et ob magnitudinem nulli nunc usuro habilis; quam locorum accolæ ab illo gestatam pro vero habent traduntque, et inde eximie colunt.'

8 *Cæsarea*] Nunc *Shershell*. Olim caput Mauritaniæ Cæsariensis. Plin. v. 2. 'Oppidum celeberrimum Cæsarea, antea vocitatum Iol, Jubæ regia, a Divo Claudio coloniæ jure donata.'

9 *Lixos*] In ora maritima infra Tingim. Plinius, v. 1. 'A Julia Constantia (hodie *Arzilia*) 32,000. passuum, colonia a Claudio Cæsare facta Lixos, vel

quoque veteranis, conditum Oppidum novum;[1] et Latium datum Tipasæ:[2] Rusucurium[3] civitate honoratum. Interim Musulanorum manu,[4] Numidiam turbare ausa, victa cæsaque, tranquillitas Numidiæ est reddita.

30. Romano nomine apud barbaros ita inclarescente, fame[5] in Urbe laborabatur, luxu et superstitibus Caianæ stultitiæ[6] reliquiis magis, quam terrarum infœcunditate.[7] Princeps innata bonitate, metuque plebis, nunquam insolentioris, quam cum ea tumultuandi occasione abutitur, publicæ penuriæ in præsentia subvenit,[8] negotiatoribus[9] lucri spe excitatis, et suscepto in se damno, si quid per tempestates accidisset. Facilius majusque incitamentum, honores addidit: civibusque, qui naves mercaturæ causa

fabulosissime antiquis narrata. Ibi regia Antæi, certamenque cum Hercule: et Hesperidum horti. Affunditur æstuarium a mari flexuoso meatu, in quo draconis custodiæ instar fuisse nunc interpretantur. Amplectitur intra se insulam, quam solam e vicino tractu aliquanto excelsiore, non tamen æstus maris inundat. Extat in ea et ara Herculis, nec præter oleastros aliud ex illo aurifero nemore.'

1 *Oppidum novum*] Dictum quoque Ptolemæo, IV. 2. Ὀππιδόνεον κολωνία. Nunc *Sinaab*, in mediterranea Mauritania Cæsariensi.

2 *Tipasæ*] Plin. loc. cit. Tipasa, nunc *Tefessad*, prope Cæsaream versus Orientem fuit.

3 *Rusucurium*] Plin. v. 2. Rusucurium, hodie *Dellys*, in Mauritania Cæsariensi, honoratum a Claudio civitate.

4 *Musulanorum manu*] De hac valida Africæ gente vide Annal. II. 52. Paucis Aurel. Victor. in Claud. *Cæsa Musulamiorum manus.* Pluribus Dio, LX. p. 671. Sed sine gentis appellatione.

5 *Fame*] Dio, LX. p. 671. validæ hujus famis, Λιμοῦ τε ἰσχυροῦ, meminit. Ea est ipsa fames, ab Agabo prædicta, de qua D. Lucas in Act. Apostol. XI. 28. Ἀναστὰς δὲ εἷς ἐξ αὐτῶν, ὀνόματι Ἄγαβος, ἐσήμανε διὰ τοῦ πνεύματος, λιμὸν μέγαν μέλλειν ἔσεσθαι ἐφ' ὅλην τὴν οἰκουμένην· ὅστις καὶ ἐγένετο ἐπὶ Κλαυδίου Καίσαρος.

6 *Caianæ stultitiæ*] Caligulæ stultitiam in Puteolano ponte exstruendo, memoravimus in Suppl. Annal. VIII. 10. et seq. De hac quoque Aurelius Victor in Claud. 'Adhuc (a Claudio) annonæ egestas composita, quam Caligula induxerat, dum adactis toto orbe navigiis, pervium mare theatris curribusque damno publico efficere contendit.'

7 *Terrarum infœcunditate*] Fuere quidem per multos annos *assiduæ sterilitates*, ut loquitur Suetonius in Claud. XVIII. Ægyptum tamen non fuisse hoc anno infœcundam arguere videtur Claudii nummus, quem protulit Harduinus, Select. Opera, p. 718. TI. ΚΛΑΥ. ΚΑΙ—id est, 'Tiberius Claudius Cæsar,' caput Claudii laureatum. In aversa parte, sex spicæ, fertilitatis Ægyptiæ symbolum, ΑΥΤΟΚΡΑ. Ε._ Β. id est, 'imperii anno secundo.'

8 *Subvenit*] Inde tot nummi Claudii, in quibus exhibetur vel vas frumentarium cum spicis, vel CERES AVGVSTA.

9 *Negotiatoribus*] Hæc et seq. Sueton. in Claud. XIX.

fabricarent, vacationem[1] Legis Papiæ Poppææ; Latinis[2] jus Quiritium;[3] fœminis[4] jus quatuor liberorum[5] constituit. Quæ quidem in tanta legum mutatione duravere,[6] usu et necessitate defensa.

31. Futuri quoque providus, et veritus ne, ob tempestatum adversa et importuosum mare, eadem rediret frugum egestas, opera duo pari et inenarrabili impendio, utilitate et exitu dispari aggressus est. Agros enim Romanos, infinitis villarum spatiis in dies magis arctatos, lacum

1 *Vacationem*] Ne forent obnoxii pœnis legis Papiæ Poppææ de cœlibibus. De illa lege jam egimus supra cap. 26.

2 *Latinis*] 'Latini,' ut docet Caius Institut. I. Tit. 1. n. 2. 'sunt, qui aut per epistolam, aut inter amicos, aut convivii adhibitione manumittuntur.' Libertas illa Latina introducta A. U. 772. lege Junia Norbana.

3 *Jus Quiritium*] Civitatem Romanam, habet Ulpianus Tit. III. n. 6. ubi ipsum Claudii edictum memorat his verbis. 'Nave Latinus civitatem Romanam accepit, si non minorem, quam decem millia modiorum navem fabricaverit, et Romam sex annis frumentum portaverit, ex edicto Divi Claudii.' Navem, quæ decem millia modiorum contineret, nos diceremus *a vessel of ninety tons*. De modio Romano jam egimus supra Annal. II. 87. De Jure Quiritium Civitateque Romana, vide not. et emend. ad Annal. XI. 23.

4 *Fœminis*] Intellige de libertabus. Ingenuis enim fœminis tres sufficiebant liberi. Vide quæ diximus in not. et emend. ad Annal. III. 28. ubi multa de lege Papia Poppæa.

5 *Jus quatuor liberorum*] Hoc jure libertæ patroni tutela liberabantur, sui juris vivebant, sine tutorum auctoritate testabantur, res suas administrabant, tuto capiebant quicquid eis testamento esset legatum. Huc spectat Ulpianus, Tit. XXIX. n. 3. 'Libertas, quatuor liberorum jure, tutela patronorum (liberari)—jam posse eas sine auctoritate patronorum testari.' Jure illo fruebatur Zosima, cujus memoria extat apud Gruterum, p. 631. 2.

PERSICVS. LIBERTVS. MANVMISSVS....C. CORNELIO. PERSICO. F. HABENTI. EQVVM. PVBLICVM. CORNELIAE. ZOSIMAE. MATRI. EIVS. HABENTIVS. QVATVOR. LIBER. BENEFICIO. CAESAR. LIBERTIS. LIBERTABVS. POSTERISQ. SVIS. EORVMVE.

id est, 'habenti jus quatuor liberorum beneficio Cæsaris.' At non confundenda cum hoc beneficio personali lex generalis, quam Claudius tulit ut matres liberis suis succederent. Qua quidem de lege agit Justinianus, III. Tit. III. 1. 'Lex duodecim Tabularum ita stricto jure utebatur, et præponebat masculorum progeniem, et eos, qui per fœminini sexus necessitudinem sibi junguntur adeo expellebat, ut ne quidem inter matrem et filium filiamve ultro citroque hæreditatis capiendæ jus daret—sed hæ juris angustiæ postea emendatæ sunt. Et primus quidem Divus Claudius matri ad solatium liberorum amissorum legitimam eorum detulit hæreditatem.' Postea Hadriani tempore, matribus adhuc magis consultum senatusconsulto Tertulliano. De his omnibus vide eruditum Heineccium, Antiq. Roman. Jurisprud. III. Tit. 3.

6 *Mutatione duravere*] Suetonius in Claud. XIX. 'Quæ constituta hodieque servantur.'

Fucinum[1] emittendo augere incassum molitus est, prodigentiæ reus et adversus luxuriam invalidus.[2] Portum vero Ostiensem,[3] a Divo Julio[4] sæpe destinatum, semper ob difficultatem omissum, nec nisi Trajani,[5] Principis optimi, auspiciis absolvendum, felicius cœpit. Primum repugnavere architecti.[6] Sed vicit Principis auctoritas. Immensum egesta terra;[7] mareque immissum.[8] Grande adhuc

1 *Lacum Fucinum*] Hodie *the lake of Celano*, quem 'magnitudine, mari similem,' πελαγίᾳ τὸ μέγεθος, dixit Strabo, v. p. 240. Quadraginta circiter millia passuum ambitu continet. De hujus lacus emissione, ægre post undecim annos absoluta, quamvis continuis triginta hominum millibus sine intermissione operantibus, multa in notis ad *Annal.* XII. 56. Qui vero accuratissimam stupendi hujusce operis descriptionem voluerit, adeat eruditam dissertationem ab erudito Fabretti scriptam de Emissario lacus Fucini. Raph. Fabretti de Columna Trajani Syntagma, p. 385. et seq. Errat vero Dio, LX. p. 672. cum ait lacum Fucinum fuisse emissum, ut magis navigabilis fieret Tiberis. In Lirim, hodie *Garigliano* emissus est: in Tiberim nunquam potuit emitti. Peractum a Claudio emissarium olim meditatus fuerat Augustus; sed abstitit, victus precibus Marsorum, qui lacu utebantur. Idem consilium agitaverat Julius Cæsar, teste Suetonio in Jul. XLIV. 'Siccare Pomptinas paludes, emittere Fucinum lacum' cogitabat.

2 *Invalidus*] Quantula enim hæc! quam imbecilla adversus luxuriam omnia vastantem remedia!

3 *Ostiensem*] Manet quidem nomen, *Porto*. At portus ipse, cum per sexcentos et amplius annos durasset, Barbarorum bellis, Romanorum incuria, ruderibus limoque obductus, penitus periit. Nuncque rus est, ubi fuit olim portus Romanorum celeberrimus. Egregiam ejus descriptionem et ichnographiam vide apud Cornelium Meyer, *l' Arte di restituire a Roma la tralasciata navigatione del suo Tevere*. Tab. 2.

4 *A Divo Julio*] Sueton. in Claud. XX. Fusius Plutarchus in Jul. p. 735. τῇ δὲ ἔγγιστα τῆς Ῥώμης θαλάσσῃ κλεῖθρα διὰ χωμάτων ἐπαγαγὼν δὲ τὰ τυφλὰ καὶ δύσορμα τῆς Ὠστιανῆς ἠιόνος ἀνακαθηράμενος, λιμένας ἐμποιήσασθαι καὶ ναύλοχα πρὸς τοσαύτην ἀξιόπιστα ναυτιλίαν: Proximo Urbi mari claustra aggeribus imponere, cæcumque et importuosum Ostiæ littus repurgare, ac portus ibi moliri stationesque tantæ sufficientes navigationi.'

5 *Nec nisi Trajani*] Nero quidem, inter Claudii et Trajani tempora interjectus, portum illum plurimis ornamentis auxit; unde tot ejus nummi, in quibus portus navesque et columna exhibentur cum hac Inscriptione, superius AVGVSTI, inferius SPOROSTC. id est, 'Augusti Portus Ostiensis senatusconsulto.' Sic enim cognominabatur, ut videre est apud Dionem, LXXV. p. 858. Trajanus vero non tantum ornamenta, sed portum alterum addidit, qui quoque periit. Hujus laudes vide apud Plinium, VI. Ep. 31. Olim dicebatur Portus Trajanus, Ptolemæus, III. 1. Loco adhuc manet nomen *Porto Trajano*.

6 *Architecti*] Immensas fore impensas causantes.

7 *Egesta terra*] Dio, LX. p. 672. Ob importuosum mare opus fuit multam terram egerere, ut aperiretur portus.

8 *Immissum*] Unde Juvenalis, Satir. XII. 75. 'Tandem intrat positas inclusa per æquora moles, Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rursum Quæ pelago

accessit substructionis miraculum,[1] cum navis,[2] omnium maxima, qua Caius obeliscum, qui in Vaticano Circo[3] visitur, ex Ægypto importaverat, tribus molibus turrium altitudine in ea exædificatis Puteolano pulvere,[4] demersa est, ut Pharus,[5] Alexandrini æmulus, superponeretur. Tantas inter operas fors obtulit spectaculum, raritate et celebritate memorandum.[6] Orca,[7] carnis immensæ, dentibus trucu-

currunt medio, longeque relinquunt Italiam. Non sic igitur mirabere portus, Quos natura dedit.'

1 *Miraculum*] Dio, ibid. Sueton. in Claud. xx. 'Portum Ostiæ exstruxit, circumducto dextra sinistraque brachio, et ad introitum profundo jam solo mole objecta: quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.'

2 *Navis*] Illam egregie commendat Plinius, xvi. 40. 'Abies admirationis præcipuæ visa est in navi, quæ ex Ægypto Caii principis jussu, obeliscum in Vaticano circo statutum, quatuorque truncos lapidis ejusdem ad sustinendum eum adduxit: qua nave nihil admirabilius visum in mari certum est: 120,000. modium lentis pro saburra ei fuere. Longitudo spatium obtinuit magna ex parte Ostiensis portus latere lævo. Ibi namque demersa est a Claudio principe, cum tribus molibus, turrium altitudine in ea exædificatis obiter Puteolano pulvere, advectisque. Arboris ejus crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat.' Paucis eadem repetit Plinius, xxxvi. 9. n. 4.

3 *In Vaticano Circo*] De Circo et obelisco dictum est Annal. xiv. 14.

4 *Puteolano pulvere*] Hodieque appellatur *Pozzolana:* nomen ducit a Puteolis, nunc *Pozzuolo,* urbe Neapoli vicina. Puteolani pulveris hæc est natura, ut si aquam attingat, saxum fiat. Unde Plinius, xxxv. 13. 'Quis enim satis miretur pessimam ejus terræ partem, ideoque pulverem appellatum in Puteolanis collibus, opponi maris fluctibus: mersumque protinus fieri lapidem unum inexpugnabilem undis, et fortiorem quotidie, utique si Cumano misceatur cæmento.'

5 *Pharus*] Locus, ubi fuit Alexandriæ Pharus, adhuc vocatur *Torre Alessandrina.* Quanta fuerit tum Ostiensis, tum Alexandrini phari magnificentia, inde æstimare licet, quod in Alexandriæ pharo fuerit turris, quæ constitit octingentis talentis, Angl. 180,000*l.* teste Plinio, xxxvi. 12.

6 *Memorandum*] Historiam narrat Plinius, ix. 6. testis ipse oculatus. 'Orca et in portu Ostiensi visa est, oppugnata a Claudio principe. Venerat tunc ex ædificante eo portum, invitata naufragiis tergorum advectorum e Gallia, satiansque se per complures dies, alveum in vado sulcaverat, accumulata fluctibus in tantum, ut circumagi nullo modo posset: et dum saginam persequitur, in littus fluctibus propulsa, emineret dorso multum supra aquas carinæ vice inversæ. Prætendi jussit Cæsar plagas multiplices inter ora portus: profectusque ipse cum prætorianis cohortibus populo Romano spectaculum præbuit, lanceas congerente milite e navigiis assultantibus, quorum unum mergi vidimus, reflatu belluæ oppletum unda.' Imperante Septimio Severo, cetus portum illum adhuc appulit; tantæ autem magnitudinis, ut ejus effigies, in amphitheatrum introducta, quinquaginta ursos caperet, Κῆτος ὑπερμέγεθες ἐς τὸν

lenta, portum subiit. Per complures dies satiata naufragiis tergorum e Gallia advectorum, vado tam profundum incubuit, ut circumagi nequaquam posset. Dum saginam persequitur, fluctibus in littus propulsa, dorso supra aquas inversæ carinæ instar eminuit. Admirationi, dein ludo, patuit bellua. Astante Principe, comitantibus cohortibus prætoriis, spectante populo Romano, cum monstro a multo milite dimicatum. Numerosa lancearum vis congesta e navigiis assultantibus, quorum unum, reflatu belluæ oppletum unda, periit.

32. Alia ludorum genera, Romæ habita, non ferino, sed humano furore, Principisque dedecore fœda, in Urbis luctum cito erupere. Nam certamina, stante republica, ad duranda corpora et erigendos animos instituta, vigente dominatione, efferavere Principes, qui ex funerum assuetudine ad atrocia libita insolescebant. In his gladiatoriis muneribus, insitam natura et literis humanitatem Claudius exuit[1] tanto facilius, quod se primum servilis audaciæ vindicem esse gloriabatur, et eo sanguine gaudebat populus. Servos ergo libertosque, falsis in dominos criminationibus, Tiberio Caioque imperitantibus, famosos, feris objecit.[2] Rei quidem, verum aliis pœnarum generibus multandi, cecidere tam multi, ut Augusti statuam, eo loci positam, alio transferri jusserit,[3] ne vel cædes semper inspicere videretur, vel semper velata esset. Haud erubescente Principe ea juberc et spectare, quibus æream Augusti imaginem interesse, eum puderet.

τοῦ Αὐγούστου ἐπίκλην λιμένα ἐξώκειλε, καὶ ἑάλω, καὶ τὸ μίμημα αὐτοῦ εἰς τὸ κυνηγέσιον εἰσαχθὲν, πεντήκοντα ἄρκτους εἴσω ἐδέξατο.

7 *Orca*] Orca est *a whale with teeth.* Eruditus Shaw, *Voyages*, vol. I. p. 335. memorat orcam, sexaginta pedes longam, sub muros urbis *Algiers* ante aliquot annos projectam. Quod Algerianis ita portentosum visum est, ut ne quid exitii regno suo immineret, metuerent.

1 *Claudius exuit*] Id quoque annotavit Cl. de Montesquieu, *Considérations sur les causes de la grandeur des Romains et de leur décadence*, cap. XV. p. 155. et 156. verasque causas attulit cur apud nos sit humanitas, dum apud Romanos tanta viguit crudelitas. Suetonius, hominum rudis, licet multa scripserit, quibus in eorum notitiam venire potuisset, perperam ait in Claud. XXXIV. eum 'sævum et sanguinarium natura fuisse.'

2 *Feris objecit*] Dio, LX. p. 673.

3 *Alio transferri jusserit*] Dio, ibid.

33. Tot cædibus obduruit:[1] sæpe ausus imperare, gladiatores,[2] ac maxime retiarios[3] jugulari, ut exspirantium facies videret. Mox a facinorosis vilioribusque capitibus ad meliora nobilioraque impetum cepit, Messallina et libertis crudelitatis instinctoribus; ac, si quid hæsitaret, metu imminentis periculi[4] ad audaciam impellentibus. C. Appium Silanum,[5] Hispaniæ rectorem, iis artibus circumvenere. A Principe accitus, in Urbem redierat; acceptaque in matrimonium matre Messallinæ, summa erat adepturus, si ipsi minus virtutis, Messallinæ minus libidinis fuisset. At eam, ne materni quidem thalami reverentem, aversatus, despectam cupidinem in odium tanto implacabilius, quanto turpius, vertit. Cum tamen nihil esset criminis, quod objiceretur, adversus eum per commenta grassari consenserunt Messallina et Narcissus; divisasque inter se partes ita sunt executi.

34. Narcissus, similis attonito, Claudii cubiculum ante lucem irrupit,[6] affirmans 'somniasse se vim Principi ab

1 *Obduruit*] Hæc tamen tam pudenda, tam horrenda cum agerentur, Seneca exul, Consol. ad Polyb. XXVI. et XXXVI. appellabat Claudium Principem 'maximum, mitissimum, omnium Principum mitissimum.' Quod calamitosi ingenii propudium!

2 *Imperare, gladiatores*] Suetonius in Claud. XXXIV. Alia multa id genus probra ibidem narrat, quæ indignationem moveant. Nihil enim Principem magis dedecet, quam crudelitas.

3 *Retiarios*] Retiarii, armati rete et tridente, cum secutoribus, seu myrmillonibus, pugnabant. In eo posita retiariorum ars, ut myrmillonum capita rete suo implicarent. Post eos prosternebant, et tridente perfodiebant. Retiarii imaginem vide apud Cl. Gori, Inscript. Antiq. vol. III. p. 99.

4 *Imminentis periculi*] Ad cetera Claudii vitia accessit illud in Principibus maximum, quod 'nihil æque quam timidus ac diffidens fuit.' Sueton. in Claud. XXXV. Inde 'nulla adeo suspicio, nullus auctor tam levis extitit, a quo non mediocri scrupulo injecto ad cavendum ulciscendumque compelleretur.' Sueton. in Claud. XXXVII. Ita animatus Princeps 'totum ex magna parte principatum, non tam suo, quam uxorum libertorumque arbitrio administravit: talis utique plerumque, qualem esse eum aut expediret illis, aut liberet, Sueton. in Claud. XXV. Infelix, qui semper vel novis terriculamentis, vel patratorum scelerum conscientia exagitaretur. Dio, LX. p. 674.

5 *C. Appium Silanum*] Historiam paucis narrat Suetonius in Claud. XXXVII. pluribus Dio, LX. p. 674. Silanus consocer Claudii dicitur Suetonio in Claud. XXIX. quod filium suum Octaviæ desponsasset.

6 *Irrupit*] Hæc totidem ferme verbis Suetonius in Claud. XXXVII.

Appio illatam.' Messallina, in admirationem formata, 'sibi quoque eandem speciem aliquot jam noctibus obversari' retulit. Nec multo post ex composito 'irrumpere Appius' nuntiatur, cui pridie ad id temporis ut adesset præceptum erat: quasi plane repræsentetur somnii fides, 'arcessi statim ac mori' jubetur. Postero die Claudius, fraudis, nedum sceleris, minime suspicax, ordinem rei gestæ pertulit ad senatum, ac liberto gratias egit 'quod pro salute sua etiam dormiens excubaret.'

35. Tum omnes indignari: Principem, imbecillitate crudelem, formidare. Proceres, quibus plus imminet periculi, et majores sunt spes, novas res meditantur. Annius Vinicianus,[1] harum appetens, sed, quod deerant milites, movendis impar, Furium Camillum Scribonianum, Dalmatiæ legatum, ad defectionem literis solicitat:[2] eo facilius ad consilia traxit, quod imperii avidus esset, nec indignus haberetur, legionesque cum multis auxiliis suppeterent. Permotæ ducis auctoritate, novitatis illecebra, mutant sacramentum.[3] Senatores plurimi et equites, easdem partes secuti, Dalmatiam petunt.

36. Scribonianus, aspirantis fortunæ initiis elatior, ratusque timidam Claudii mentem citra bellum terreri posse, eum contumeliosa minacique epistola 'cedere imperio'[4] jubet, 'vitamque otiosam in privata re agere.' Mobilis Cæsar jam dubitabat, adhibitis principibus viris,[5] an obtemperaret, cum nuntiatum est 'Scriboniani fortunam evanidam periisse; legionum neque aquilas ornari,[6] neque

1 *Annius Vinicianus*] Dio, LX. p. 674. Jam sub Tiberii principatu majestatis postulatus fuerat Vinicianus, ut vidimus supra Annal. VI. 9. Post Caii cædem eum imperio dignum visum fuisse tradit Dio, loc. cit.

2 *Solicitat*] Dio, ibid. De hac quoque defectione scripsere Suetonius in Claud. XIII. Tacitus Annal. XII. 52.

3 *Sacramentum.* Quod prius Claudio dixerant.

4 *Cedere imperio*] Sueton. in Claud. XXXV.

5 *Principibus viris*] Suet. ibid.

6 *Aquilas ornari*] Ob novi principatus initia, aquilas signaque ornare voluere milites: quo de usu dictum ad Ann. I. 24. Rem vero narrat Suetonius in Claud. XIII. 'Bellum civile movit Furius Camillus Scribonianus, Dalmatiæ legatus: verum intra quintum diem oppressus est, legionibus, quæ sacramen-

signa convelli moverique potuisse: milites Deum metu, violatæ fidei pudore in pœnitentiam conversos, Claudii imagines adorasse, renovasse sacramentum. Scribonianum, amentem animi, in Issam insulam[1] profugisse; ibique a Volaginio, in uxoris gremio, occisum[2] quinto rebellionis die.'

37. Talibus nuntiis e timiditate ad securitatem revocatus Princeps, Volaginium e gregario milite ad summa militiæ provexit;[3] atque, ut exercituum fidem consecraret, præter solita præmia voluit 'legiones septimam et undecimam Claudianas,[4] pias, felices a senatu appellari;'[5] laudem providi Principis reportaturus, si, punitis flagitii repertoribus, ceteros dissimulasset, aut clementia devinxisset. At Messallina et liberti, arrepta hac sæviendi et in quorumvis fortunas involandi occasione, eum ad immodicam severitatem exasperarunt.[6] Vinicianus aliique plurimi voluntaria morte judicium antevenere.[7] Ceteri, senatores, equites,

tum mutaverant, in pœnitentiam religione conversis, postquam denuntiato ad novum imperatorem itinere, casu quodam, an divinitus, neque aquilæ ornari, neque signa convelli moverique potuerunt.'

1 *Issam insulam*] In ora Illyrici, de qua Plinius, III. 26. 'Issa civium Romanorum, et cum oppido Pharia.' Hodie appellatur *Lesina*.

2 *Occisum*] Juxta Dionem, LX. p. 674. Scribonianus voluntariam mortem oppetiit, ἑκούσιος ἀπέθανε. Sed potior fides habenda Tacito, Hist. II. 75. eum a Volaginio, gregario milite, occisum scribenti. 'Propter adventum Apostoli Petri Romam, et tenera Christianorum germina, vixdum adhuc pauca ad sanctæ fidei professionem erumpentia, hanc exorientem tyrannidem et consurgens istud civile bellum esse compressum' contendit pius Orosius, VII. 6. Adventitiis istis et incertis argumentis minime indiget certa et inconcussa Christianorum fides. Vidi nummum hujus Scriboniani, ex ære magno, sed spurium. In antica parte, FVRIVS CAMILLVS. Caput Scriboniani diadematum. In postica, miles dextra, hastæ, sinistra, clypeo innititur.

3 *Provexit*] Tacit. Hist. II. 75.

4 *Claudianas*] Ideo septima legio *Claudiana* dicitur Tacito Hist. II. 85. Eadem nuncupatio occurrit in nummis Gallieni a Bandurio, Numismat. Imper. Rom. vol. I. p. 168. laudatis LEG. VII. CL. VII. P. VII. F. id est, 'legio septima Claudiana, septimum pia, septimum fidelis.' LEG. XI. CL. VI. P. VI. F. id est, 'legio undecima Claudiana, sextum pia, sextum fidelis.'

5 *A senatu appellari*] Dio, LX. p. 674. Τό τε ἕβδομον καὶ τὸ ἑνδέκατον (στρατόπεδον), καὶ Κλαυδίεια, καὶ Πιστὰ καὶ Εὐσεβῆ, και πρὸς τῆς βουλῆς ὀνομασθῆναι.

6 *Exasperarunt*] Ita ut ultioni tantum intentus, militibus signum petentibus sæpe daret versum hunc Homericum, Odyss. XVI. 72. Ἄνδρ' ἀπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ: 'Ulcisci fas est, si quis nos læserit ante.' Vide et Suetonium in Claud. XLII.

7 *Antevenere*] Dio, LX. p. 675.

viri ac mulieres custodiis carceribusve[1] attinebantur: ad indicium attracti non modo servi ac liberti, sed ingenui quoque tum peregrini, tum cives: nonnulli etiam senatorii et equestris ordinis tormentis subditi, licet, ineunte principatu, 'se nemini libero[2] tormenta adhibiturum' jurasset Claudius. Ipse, medius inter consules, sella curuli aut tribunicio subsellio sedens, astantibus prætorii præfectis, præsentibus libertis, ad senatum referebat, læsamque majestatem ulciscebatur.

38. Præter viros, fœminæ complures in carcere supplicio affectæ;[3] quod fœdius,[4] aliæ, captivarum instar, vinclis onustæ, ad tribunal protrahebantur, earumque corpora in Gemonias projiciebantur. Enectorum vero extra Urbem capita tantum[5] exposita. Liberis vita,[6] quibusdam paterna bona[7] permissa. Sed odium severitatis auxit nocentissimorum impunitas, quam a Messallina et libertis favore et pecunia redemere;[8] ut scelere, ita et gratia infames.

39. Feralem scenam paucorum fortitudo illustravit. Hos

1 *Custodiis carceribusve*] De iis dictum ad Annal. III. 22.

2 *Nemini libero*] Hæc omnia Dio, loc. cit. Apud læsum Principem juramento validior lex Julia, de qua Julius Paulus, Sentent. v. Tit. 29. 'In reum majestatis inquiri prius convenit, quibus opibus, qua factione, quibus hoc auctoribus fecerit: tanti enim criminis reus non obtentu adulationis alicujus, sed ipsius admissi causa puniendus est. Et ideo cum de eo quæritur, nulla dignitas a tormentis excipitur.'

3 *Supplicio affectæ*] Hæc et seq. Dio, ibid.

4 *Fœdius*] Fœditas enim atrox fœminas vinclis onerari, ad tribunal protrahi, cæsarumque corpora in Gemonias projici.

5 *Capita tantum*] Et hi erant viri honestissimi. Nam, ut docet Paulus, loc. cit. 'Humiliores bestiis objiciuntur, vel vivi exuruntur; honestiores capite puniuntur.' Non in Urbe, sed extra Urbem plectebantur. Vide Annal. I. 61. et xv. 67.

6 *Vita*] Imperante Tiberio in Sejani liberos acerbe sævitum, ut vidimus in Suppl. Ann. v. 43. et 49.

7 *Paterna bona*] Dio, LX. p. 675. Non omnibus, sed quibusdam tantum paterna bona permissa sunt, quod reorum majestatis bona vel fisco vel ærario addicebantur. Crevit pœna, imperantibus Arcadio et Honorio, qui non modo reorum majestatis bona fisco adjudicavere, sed eorum quoque liberos ab omni hæreditate et dignitate exclusere, ut semper miseri tædium vitæ, mortisque cupiditatem, in paterni sceleris pœnam et odium, passim circumferrent.

8 *Redemere*] Dio, ibid.

inter famam promeritus est Galæsus,[1] Scriboniani[2] libertus: inductus enim in curiam multa locutus est libere. A Narcisso autem, in medium prorumpere auso, interrogatus, 'quidnam ageret, si Scribonianus imperaret;' forti responso, 'a tergo astans, tacerem,' ejus insolentiam retudit.

40. At memoriam omnem vicit Arria,[3] Cæcinæ Pæti uxor. Jam plurima laude[4] nobilis, et apud Messallinam acceptissima, potuisset se a marito, Scribonianæ conjurationis socio, segregare, et superstes vivere. Sed vita morti posthabita, cum Pætus, occiso Scriboniano, navem esset ascensurus ut Romam traheretur, ipsa milites oravit, 'ut simul imponeretur.'[5] 'Daturi,' inquit, 'estis consulari viro[6] servulos aliquos, quorum e manu cibum capiat, a quibus vestiatur, a quibus calcietur: omnia vel sola præstabo.' Re non impetrata, conducit piscatoriam naviculam, ingensque navigium minimo sequitur.

41. Mox, cum Romam venit, causam apud Claudium dicit; uxoremque Scriboniani, indicium profitentem,[7] increpans, 'ego,' inquit, 'te audiam, cujus in gremio Scribonianus occisus est, et vivis?' Tantam animi ferociam miratur et timet Thrasea,[8] ejus gener; quæque sibi evenirent quasi præscius, deprecatur 'ne mori pergat: filiamque suam cum marito,[9] si sibi pereundum quoque fuerit, mori cogat.' Arria, tanto animosior, quanto filia carior,

1 *Galæsus*] Rem narrat laudatque Dio, ibid. In mediam curiam, et ante Principem prorumpere ausus est Narcissus.

2 *Scriboniani*] Galæsus libertus erat Furii Camilli Scriboniani, de quo supra cap. 35.

3 *Arria*] Ejus historiam paucis memorat Dio, ibid. Tacitus Annal. XVI. 34. Pluribus Plinius, Epist. III. 16. quam totam epistolam edidimus inter Testimonia Veterum.

4 *Plurima laude*] Constantiæ inprimis, quam in morte filii et mariti morbo fortiter probavit. Vide Plinium, loc. cit.

5 *Simul imponeretur*] Hæc et seq. totidem ferme verbis Plinius, loc. cit.

6 *Consulari viro*] Fuerat ergo Pætus consul suffectus. Ejus enim nomen nusquam in Fastis occurrit.

7 *Indicium profitentem*] Conjurationis socios indicantem.

8 *Thrasea*] Thrasea Pætus, quem Nero, scelerum suorum non satis certus, nisi virtutem ipsam exscinderet, interfecit; ut fuse narratum Annal. XVI. 21. et seq.

9 *Cum marito*] Thrasea, qui Arriam, Arriæ filiam, uxorem duxerat.

respondet, 'si tam diu tantaque concordia vixerit tecum, quam ego cum Pæto, volo.'[1]

42. Aucta hoc responso suorum cura, attentius custoditur. Id sentit, et queritur, 'eos nihil agere: posse quidem efficere, ut male moriatur: ne moriatur, non posse.'[2] Hæc vix effata, exsilit cathedra; adversoque parieti capite ingenti impetu impacto, corruit sensus expers, constantiæ tamen haud immemor. Nam refocillatæ prima verba fuere; 'dixeram vobis inventuram me quamlibet duram ad mortem viam, si vos facilem negassetis.' Tam acriter suprema tentantem fors juvit. Extrema enim necessitate marito nuntiata, percussorem exosus, nec tamen mortis satis firmus, pugione pectus prætentabat. Testis Arria ferrum stringit, perfodit pectus, extrahit pugionem, porrigit marito? additaque voce,[3] 'Pæte, non dolet;'[4] occumbit.

43. Absimili, sed æque singulari facto Lucius Otho[5] inclaruit. Recti enim pervicax, ausus est in Illyrico milites quosdam, quod motu Scriboniani ex pœnitentia præpositos suos, quasi defectionis adversus Claudium auctores, occiderant, capite punire,[6] et quidem ante principia,[7] se coram: quamvis ob id ipsum promotos in ampliorem gradum a Claudio sciret. Gloriam apud militaris disciplinæ peritos adeptus, gratiam apud Principem minuit. Hanc, retectis nefariis Romani equitis adversus eum consiliis, ut anno proximo opportunius expediam,[8] non modo recuperavit, sed etiam auxit, magna priscæ severitatis, maxima infractæ fidei laude. Hoc anno, uno e tribunis plebis defuncto, ceteri,

1 *Volo*] Hæc omnia Plinius, loc. cit.

2 *Non posse*] Plinius, ibid.

3 *Voce*] Vocem illam 'immortalem ac pæne divinam' appellat Plinius, ibid. Quantum in hac Stoica ferocia insanierint Veteres omnibus compertum.

4 *Non dolet*] Verbo, fortitudinis pleno, nescio quid urbanitatis male addidit Martialis, Epigramm. I. 14. 'Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto, Quem de visceribus traxerat ipsa suis. Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit: Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.'

5 *Lucius Otho*] Pater M. Othonis, qui postea fuit Imperator.

6 *Capite punire*] Hæc omnia totidem verbis Suetonius in Othone, I.

7 *Ante principia*] De principiis, loco castrorum sacratissimo, dictum Annal. I. 61.

8 *Expediam*] Infra cap. 49.

quanquam præsentibus consulibus, senatum coëgere[1] ut alter sufficeretur.

44. Tiberio Claudio Cæsare III. et L. Vitellio II. consulibus,[2] festorum solenniumque dierum numerus in immane creverat.[3] Malum pietate cœptum, auctum licentia, gliscens in dies adulatione, repressit Cæsar, non extinxit:[4] immo moribus ad inaniora delabentibus, revaluit[5] cum majore religionum et imperii detrimento. Abolita simul reliqua Caii dominationis opprobria: quæque vel nefarie, vel immerito donaverat, aut rapuerat, restituta.[6] Curatoribus viarum præter dignitatem reddita quoque pecunia, quam damnationibus et hasta extorserat Corbulo.[7] Paululum mollita lege,[8] edictum 'ut provinciarum rectores ante medium Aprilem ex Urbe in provincias suas discederent.'

45. At sævitum in Lycios,[9] qui, exuta veteri modestia, exitialibus inter se discordiis laborabant, et Romanos aliquot occiderant. Iis ademta libertas, quam olim constantia et fide, piratis[10] maria omnia infestantibus, erant promeriti. Lycia contributa Pamphyliæ tum tanto fideliori, quod ante Cn. Pompeii[11] victoriam fuerat cum piratis latrociniorum socia.

1 *Senatum coëgere*] Dio, LX. p. 676.

2 *Consulibus*] Tiberius Claudius Cæsar III. L. Vitellius II. consules fuere A. U. 796. J. C. 43. In vetere inscriptione apud Muratori, Thesaur. Inscript. vol. I. p. 304. TI. CLAVDIO. CAES. III. L. VITELLIO II. COS.

3 *Creverat*] Dio, LX. p. 676.

4 *Non extinxit*] Immo tam cito recruduit, ut, Nerone principatum ineunte, adhuc consultatum, ut dividerentur sacri et negotiosi dies, queis divina colerentur, et humana non impedirentur, ut dictum est Annal. XIII. 41.

5 *Revaluit*] Ita ut totus ferme annus vel sacris vel ludis absumeretur, ut patet ex veteribus Kalendariis. Quantum inde et religionum et commercii detrimentum emergeret facile cuivis æstimare. Saltem, ne hac pietatis specie fas jusque vanesceret, M. Aurelius Antoninus postea 'fastis dies judiciarios addidit, ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibusque disceptandis constitueret.' Jul. Capitolin. in M. Antonin. X

6 *Restituta*] Dio, loc. cit.

7 *Corbulo*] De quo jam dictum supra in Suppl. Annal. VIII. 2.

8 *Mollita lege*] Antea enim fuerat sancitum, ut antea Kal. April. ex Urbe proficiscerentur, ut vidimus supra cap. 26.

9 *Sævitum in Lycios*] Dio, LX. p. 676.

10 *Piratis*] De Piratico bello Annal. XII. 62. In hoc bello quam strenui fidelesque Romanis fuerint Lycii, quam vero infida Pamphylia, docet Strabo, XIV. p. 664, et 665.

11 *Cn. Pompeii*] Qui oram mariti-

46. Dum Claudius hac de re in curia cognoscebat, Lycium quendam,[1] civem Romanum, Latine allocutus, eum Romani sermonis rudem esse indignatus est, jureque civitatis privavit: semper, uti assolent impotentes Principes, indecora inter et decora ambiguus. Nam simul, iniquas grassandi artes exosus, ne criminationibus civium Romanorum jus violaretur vetabat:[2] simul levissimis de causis jus illud vel ipse adimebat, vel ita abjecte publicabat 'ut vitreis fractis venale,'[3] diceretur. Majore adhuc licentia, et quovis pretio apud Messallinam et libertos prostabat. Sic nomen, quanta cum imperii utilitate, tanta Urbis laude, cum præstantissimis et opulentissimis exterarum regionum viris sapienter a majoribus communicatum, cœpit evilescere.

47. Nec Messallina his prædationibus contenta; sed dominationis cupidine, qua nulla in fœminis acrior, magis accensa, imperii munia, conspirantibus libertis, in se trahere:[4] exercituum, provinciarum præfecturas vendere: in tota republica tam inclementer auctionari, ut, cum ne emendi quidem superesset facultas, Claudius populum in campum Martium coëgerit, ibique rerum pretia statuerit; publico suo dedecore, maximoque libidinum incitamento, quæ nunquam ferocius vigent, quam cum mollioribus remediis irritatæ.

48. Post hæc enim cœpit Messallina nihil moderati

mam a prædonibus liberavit, et imperium maris populo Romano restituit, Plin. VII. 26. Vide quoque Plutarch. in Pompeio, p. 642.

1 *Lycium quendam*] Id tradit Dio, LX. p. 676. Forte Claudius gloriabatur se hac in re imitari Augustum, qui traditur 'legato consulari successorem dedisse, ut rudi et indocto, cujus manu *ixi* pro *ipsi* scriptum animadverterit.' Sueton. in Aug. LXXXVIII.

2 *Vetabat*] Coërcuit enim, teste Dione, loc. cit., delatorum nequitiam, qui homines ab ipso donatos jure civitatis arguebant, quod Claudii nomen non usurparent, testamentoque nihil ei legarent. Sed simul et isti Lycio et aliis plurimis civibus Romanis immitem se præstabat, et immerito jus civitatis adimebat, ut observat ibidem Dio.

3 *Venale*] Dio, loc. cit. Οὕτως ὑπὸ εὐχερείας ἐπευωνίσθη, ὥστε καὶ λογοποιηθῆναι, ὅτι κἂν ὑάλινά τις σκεύη συντετριμμένα δῷ τινι, πολίτης ἔσται: 'Ob parandi facilitatem adeo vile factum est (jus civitatis Romanæ,) ut vulgo jactatum fuerit, etiamsi quis alicui vasa vitrea confracta dedisset, civem Romanum fore.'

4 *In se trahere*] In his Messallinæ probris recensendis multus est Dio, LX p. 676. et 677.

habere; nec jam libidinibus, sed sceleribus certare:[1] dignitate ad audaciam abuti: pudicitiam publicare: nobilissimos quosque viros ac fœminas ad voluptatum monstra provocare: si assenserint, gratiam; si dissenserint, odia dividere: Claudium spectaculorum illecebris ludificari: eum muliebri famulitio ita cingere, ut, dum hæc stupente et indignante Urbe in propatulo patrabantur, unum Principem laterent, ipseque histrionem Mnesterem, Messallinæ flagitia paventem, ipsius jussis esse obnoxium[2] juberet. Justus Catonius,[3] prætoriarum cohortium præfectus, cum publicam infamiam indicio ulcisci pararet, Messallinæ odio, Claudii jussu morte affectus est. Iisdem artibus, crimine incerto, nec defensione ulla data, Juliæ,[4] altera Drusi, altera Germanici filia, D. Augusti proneptes, ferro fameve enectæ.

49. Hæc Cæsareæ domus funera Claudii nece cumulare meditabatur eques Romanus. Scelus L. Otho, prodentibus servis, comperit, et detexit, magna quidem cum laude, quod anno superiore, uti jam diximus,[5] gratia apud Principem exciderat. Reus a tribunis plebis et consulibus e Tarpeia rupe[6] dejectus est. Mox de L. Othonis honoribus consultatum. Senatus eum rarissimo honore, statua in palatio posita, prosecutus est.[7] Claudius quoque, ut præstito officio, ita liberalitate potior, Othonem inter patricios

1 *Sceleribus certare*] Horrenda libidinum et scelerum ' meretricis Augustæ ' monstra, quæ hic exscribere puderet, memorant Plinius, x. 63. et Juvenalis vi. 115. et seq. Vide quoque Dionem, loc. cit.

2 *Esse obnoxium*] Tacit. Annal. xi. 36.

3 *Justus Catonius*] Dio, loc. cit. Illum quoque inter plurimos a Claudio occisos numerat Seneca in Apocolocynt. Forte idem ipse est ac Justus Catonius, quem ' *primi ordinis centurionem*' jam vidimus Annal. i. 29.

4 *Juliæ*] Sueton. in Claud. xxix. Dio, lx. p. 677. et Seneca in Apocolocynt. Augustum ita loquentem inducit: ' Hic, P. C., qui vobis non posse videtur muscam excitare, tam facile homines occidebat, quam canis exta edit—Iste quem videtis, per tot annos sub meo nomine latens, hanc mihi gratiam retulit, ut duas Julias, proneptes meas, occideret, alteram ferro, alteram fame—Dic mihi, Dive Claudi, quare quenquam ex his, quos, quasque occidisti, antequam de causa cognosceres, antequam audires, damnasti? hoc fieri solet? in cœlo non fit.' De utraque Julia vide Stem. Cæs. n. 74. et 97.

5 *Diximus*] Supra cap. 43.

6 *Tarpeia rupe*] Dio, lx. p. 677. De rupe Tarpeia dictum Annal. vi. 19. et Hist. iii. 71.

7 *Prosecutus est*] Hæc et seq. Sue-

allegit; collaudansque amplissimis verbis, adjecit, 'virum esse, quo meliores liberos habere ne optaret quidem.'

50. Tum oblata tandem, quæ per tot annos defuerat, bellorum materies. Bericus,[1] aliique ex Britannia ob seditionem profugi, insulam, a D. Julio prospere tentatam, nunc domesticis dissensionibus et inexperta novorum regum ætate vinci facilem, Claudio demonstravere. Eo libentius auditi, quod triumphi decus quæreret Princeps, nec occupationes, quæ libidines suas occulerent, aversaretur Messallina. Insuper Britanni ob non redditos transfugas tumultuabantur.[2] Itaque jussus est Aulus Plautius[3] e Gallia[4] exercitum in Britanniam transmittere, dum Cæsar elephantos ceteraque bellorum terricula pararet.

51. At legiones, secum reputantes quantula D. Julius in Britannia gessisset, quam dira perpessus esset in Oceano Germanicus, exoticam et ultra terrarum fines militiam, plenam discriminis, laudis vacuam, aspernabantur. Plautius, vir bello egregius, gnarusque milites frustra ad odiosa impelli, eos cunctando ad spem amoremque victoriæ adducebat. Cæsar, morarum impatiens, Narcissum mittit,[5] qui rem deproperet. Is, personam juraque Principis in Urbe usurpare solitus, Plautii tribunal conscendit. Milites, superbum genus, et opprobrii indignantissimum, liberti audaciam exhorrescunt: 'Io Saturnalia'[6] occlamitant; et personatum Principem ludificati, 'Plautium ducem suum esse: quo jusserit, statim ituros' gloriantur.

52. Plautius, ne indignatio, ad res quasque, et inprimis militares validissima, elanguesceret, confestim naves conscendit; copiasque in tres partes distraxit,[7] ut suis facilior,

ton. in Othone, I.

1 *Bericus*] Dio, LX. p. 677.

2 *Tumultuabantur*] Sueton. in Claud. XVII.

3 *Aulus Plautius*] Dio, ibid. Vide et Tacitum, Vit. Agric. XIII. et XIV.

4 *E Gallia*] E Gallia Belgica, Rhenanisque legionibus.

5 *Narcissum mittit*] Narcissus prææpotens Claudii libertus, cujus mors memorata est Annal. XIII. 1.

6 *Io Saturnalia*] Mos enim erat Saturnalibus, ut id festum, sumta dominorum persona, servi celebrarent. Dio, LX. p. 667.

7 *In tres partes distraxit*] Dio, loc. cit. Eruditus autem Bucherius, *Belgium Romanum*, IV. 11. n. 5. existimat Roma-

hostibus formidolosior foret appulsus. Reflante vento aliquamdiu retroacti: restitere tamen, tum pœnitentiæ pudore, tum facis ab Oriente ad Occidentem[1] transcurrentis visu ad pertinaciam obfirmati; navesque plano et nudo littore constituere. Nam Britanni, adversante vento, nihil sibi timendum rati, et in sua remigrantes defensionem omiserant. Ubi autem audiere Romanos appulisse, terror, uti assolet, barbaros attonuit. Nec redire, nec congredi ausi, se in paludes ac sylvas abdidere, ut sicut olim D. Julium mora fatigaverant,[2] ita Plautium otio frangerent.

53. At ille, haud nescius lentitudine suos defecturos, hostes valituros, statim bellum aggredi: latitantes Britannos venari: omnibus vestigiis indagare; ac tandem divulsos offendere, qui vix, sociati, fuissent bello pares. Devicto Cataratago,[3] mox cæso Togodumno,[4] Cunobelini nuper mortui filiis, fuga salutem quæsiere; parsque Bodunorum,[5] qui Catwillaunis[6] parebant, in fidem recepta. Præsidio ibi relicto, Plautius ad amnem[7] progressus, hostes, quasi insuperabili obice defenderentur, in socordiam resolutos reperit: jubet Gallos,[8] flumina in armis tranare solitos, 'impetum in eos facere: viris parcere; sed equos telis figere: cetera se provisurum.' Jussa facessunt alacres.

num exercitum in tres partes ita divisum fuisse ab Aulo Plautio, ut primam partem e Batavis, secundam e Menapiis juxta Brugas, *Bruges*, tertiam e Morinis et Iccio Cæsaris portu, nunc *Boulogne*, Occidentem inter ac Boream solvere jusserit. Ita a vento Occidentali maxime in Orientem retroacti, facis rursum ab Oriente in Occidentem discurrentis signo recreati sunt: inde, priore cursu repetito, Britannis jam a littorum custodia digressis, in Britanniam sunt advecti.

1 *Ad Occidentem*] Quem navigando petebant. Dio, ibid. De his facibus vide Plinium, II. 26.

2 *Fatigaverant*] Vide Julium Cæsarem, Bell. Gall. v. 8. et seq.

3 *Cataratago*] Dio, LX. p. 678. eum appellat Καταράτακον.

4 *Togodumno*] Dio, ibid.

5 *Parsque Bodunorum*] Dio, ibid. Boduni, aliis dicti Dobuni, provincias illas obtinebant, quas nunc dicimus *Oxford and Glocester*.

6 *Catwillaunis*] A Dione, ibid. appellantur Κατουελλανοί. At in veteri lapide, qui in vallo *Picts-Wall* repertus est, dicuntur Catwillauni. CIVITATE CATVVILLAVNORVM. Vide Transact. Phil. vol. XXX. n. 356. p. 813. Tenuere provincias, quas nunc vocamus *the counties of Buckingham, Hertford, and Bedford*.

7 *Ad amnem*] Sane Tamesim, nunc *the Thames*. Dio, loc. cit. Ἐπὶ ποταμῷ τινι.

8 *Gallos*] Nempe Germanos inferiores, fluminum accolas, et maxime Batavos, ut recte explicat eruditus Bucherius, loc. cit.

Britanni, insperata audacia perturbati, in esseda[1] se recepere. At, undique vulneratis equis, curribus excussi, obtritique, multa cum strage inulti pereunt.[2]

54. Interea Fl. Vespasianus, ad summa genitus, ejusque frater Sabinus,[3] legatus, amnem trajecerant. Hostes, Gallorum[4] irruptione et suorum luctu turbidos, inopinato adorti, plurimos interfecere. Qua clade non dejecti, irritati magis Britanni, sumtoque ex furore consilio, patientiam incusant, seque ad prælium accingunt: nec nisi in posterum diem differtur. Utrinque acerrime pugnatum: nutabat victoria; jamque hostes Hosidium Getam[5] circumsistebant, cum pericula in eorum exitium is convertit, eosque tam fortiter superavit, ut, licet nondum consul fuisset, triumphalia insignia obtinuerit.[6]

55. Infeliciter tentata fortitudine, Britanni ad artes refugere. Properant ad Tamesis, æstu intumescente accrescentis, ostia, gnaris locorum tuta, ignaris infida, flumenque trajiciunt. Romani, eos prosecuti incautius, periclitati. At Galli, ob rei difficultatem audaciores, enatant, dum alii, supra eum locum per pontem transgressi, simul Britannos adoriuntur, et multiplici pugnæ imparatos ingenti clade prosternunt. Lætissimam victoriam luctus occupavit. Fugitivos enim dum ipsi inconsultius quoque insequebantur, inviis paludibus cum multa suorum jactura hausti sunt.[7]

56. Plautius, populos, neque Togodumni nece, neque suis cladibus fractos, sed ferocia iraque tumentes, non temere provocandos ratus, occupata loca firmat præsidiis:[8] cas-

1 *Esseda*] Currus erant Britannorum, de quibus dictum in Vita Agricolæ, XXXV.

2 *Pereunt*] Dio, loc. cit.

3 *Frater Sabinus*] Dio, ibid. Flavius Sabinus frater erat Vespasiani, qui postea fuit Imperator. Vide Stem. Flaviorum in not. et emend. ad Hist. I. 46. Legatus autem dicitur Sabinus quod sane præerat uni e legionibus, quæ in Britannia militabant.

4 *Gallorum*] Qui amnem tranaverant; ut modo dictum est supra.

5 *Hosidium Getam*] Quem Dio, loc. cit., appellat Cn. Hosidium Getam. Jam vidimus supra cap. 29. Hosidium Getam Mauritanici belli confectorem.

6 *Triumphalia insignia obtinuerit*] Dio, ibid.

7 *Hausti sunt*] Dio, ibid.

8 *Firmat præsidiis*] Dio, LX. p. 679.

traque in dextra Tamesis ripa metatus,[1] res gestas, quidque sit spei periculive, uti erat jussus, Principi renuntiat. Addit 'validas quidem esse gentes: at si cetera ad id bellum parata accederent; et Cæsar numine ac præsentia milites tutaretur, certam dignamque Principe adesse victoriam.'

57. Claudius, triumphi decus animo jam præcipiens, res Urbanas ceterosque exercitus Vitellio,[2] collegæ suo, commendat: ipse statim ad Britannicam expeditionem profecturus, nisi fuisset Galbæ, quem fide scientiaque militari acceptissimum prædiximus,[3] morbo retardatus.[4] Ubi convaluit, Cæsar magno apparatu[5] ab Ostia[6] in Britanniam navigavit, magis cum mari quam cum hostibus conflictatus. Bis enim vehementi Circio[7] pæne demersus est prope Liguriam,[8] juxtaque Stœchadas insulas.[9] Cum tandem Massiliam[10] appulisset, Gesoriacum[11] pedestri itinere petiit: mox ad ostia Tamesis transmisit.

58. Flagrantibus militum, quos Principis aspectus ad gloriam magis adhuc quam ad lætitiam excitat, studiis exceptus, flumen transit: nactusque Britannos, qui, nuntiato Cæsaris adventu, occurrerant, illico prælium[12] committit, eosque principatus majestate potius quam pugnæ atrocitate superat. Incruenta victoria[13] lætus, Camulodunum,[14] Cunobelini regiam, occupat:[15] populos in deditionem accipit, aut

1 *Metatus*] Hunc enim venit Claudius, ut patet ex Dione, loc. cit.

2 *Vitellio*] Dio, ibid. Hoc anno Vitellius consul erat cum Claudio.

3 *Prædiximus*] Supra cap. 23.

4 *Morbo retardatus*] Suetonius, in Galba, VII.

5 *Magno apparatu*] Tanto quidem, ut elephantos parasset. Dio, loc. cit.

6 *Ab Ostia*] A portu Ostiensi, de quo dictum supra cap. 31. Sueton. in Claud. XVII.

7 *Circio*] Circium dicimus, *a west-north-west wind.*

8 *Prope Liguriam*] Nunc *Genoa.*

9 *Stœchadas insulas*] Hodie *the isles of Hieres.* De quibus dictum Hist. III. 43.

10 *Massiliam*] Nunc *Marseilles.*

11 *Gesoriacum*] Nunc *Boulogne.* Hæc autem omnia Suetonius et Dio, loc. cit.

12 *Prælium*] Dio, ibid.

13 *Incruenta victoria*] Suetonius in Claud. XVII. 'Sine ullo prælio aut sanguine intra paucissimos dies parte insulæ in deditionem recepta, sexto quam profectus erat mense Romam rediit.'

14 *Camulodunum*] Nunc *Colchester.*

15 *Occupat*] Dio, ibid.

vi subigit. Intra sexdecim dies[1] sæpe imperator[2] consalutatus, pluraque temporum opportunitate, quam D. Julius bellorum fama potitus, in Urbem revertitur, relictis Plautio et Vespasiano, qui faustis auspiciis inchoata consilio ac fortitudine perficerent.[3]

59. Aucto novis terris imperio, accrevit eruditio Romana, mira quidem, sed nota bellorum ac literarum societate. M. Agrippa,[4] quo meliorem civem Roma vix unquam tulit, orbem terrarum Urbi spectandum proponere erat aggressus: D. Augustus complexam eum porticum[5] ex destinatione commentariisque Agrippæ ab Octavia[6] inchoatam peregerat.

1 *Intra sexdecim dies*] Id tantum temporis egit in Britannia, teste Dione, LX. p. 680. Ἦλθέ τε ἐς τὴν Ῥώμην ὁ Κλαύδιος ἓξ μῆνας ἀποδημήσας, ἀφ' ὧν ἑκκαίδεκα μόνας ἐν τῇ Βρεττανίᾳ ἡμέρας ἐποίησε.

2 *Sæpe imperator*] Quod quidem contra Romanorum institutum, quo haud sæpius, quam semel, licuit uno de bello id nomen assumere. Αὐτοκράτωρ πολλάκις ἐπωνομάσθη παρὰ τὰ πάτρια· οὐ γάρ ἐστιν ἐν οὐδενὶ πλεὸν ἢ ἅπαξ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πολέμου τὴν ἐπίκλησιν ταύτην λαβεῖν. Dio, LX. p. 679. Inde in vetere Inscriptione, quæ extat in pariete turris antiquæ castri Apolliniaci: TI. CLAVDIVS CAESAR. AVGV. GERMANICVS PONT. MAX. TRI. POTEST. V. IMP. XI. P. P. COS. IIII. Vide Gruter. p. 31. num. 1. In argenteo quoque Claudii nummo, apud Harduinum, Selecta Opera, p. 719. TI. CLAVDIVS CAESAR AVG. P. M. TR. P. VI. IMP. XI. capite laureato, in postica parte, arcus triumphalis, cui Imperator in equo impositus cum spoliis. Epigraphe, DE BRITAN. Id est, 'de Britannis.'

3 *Perficerent*] Dio, LX. p. 679.

4 *M. Agrippa*] Cujus laudes vide in Stem. Cæs. n. 47.

5 *Complexam eum porticum*] Plin. III. 2. Nempe porticum orbem terrarum complexam. Porticus illa Octaviæ theatro Marcelli fuit adjuncta. Manent adhuc quædam ejus rudera in ecclesia quæ appellatur *S. Angiolo in Pescheria.* Ad urbis Romæ imitationem fuit Augustoduni, nunc *Autun*, similis porticus, quam laudat Eumenius in oratione pro Restaurandis scholis, cap. 20. 'Videat præterea in illis porticibus juventus, et quotidie spectet omnes terras et cuncta maria, et quicquid invictissimi Principes urbium, gentium, nationum, aut pietate restituunt, aut virtute devincunt, aut terrore. Siquidem illic, ut ipse vidisti, credo, instruendæ pueritiæ causa, quo manifestius oculis discerentur, quæ difficilius percipiuntur auditu, omnium cum nominibus suis locorum situs, spatia, intervalla descripta sunt, quicquid ubique fluminum oritur et conditur, quacumque se littorum sinus flectunt, quo vel ambitu cingit orbem, vel impetu irrumpit Oceanus.' Augustodunensis porticus fragmentum vide, *Journal de Trévoux*, anno 1706. mense Decembri, p. 297. et seq. Ad eandem Romanorum magnificentiam pertinet marmorea veteris Romæ ichnographia, olim in templo Romuli ad viam sacram posita, cujus fragmenta in Capitolio nunc visuntur, quæque exhibet Cl. Piranesi, *Antichità Romane*, Vol. I. Tabul. III. et seq.

6 *Ab Octavia*] Augusti sorore. Vide Stem. Cæs. n. 16.

Magnificum quidem et victore populo dignum fuit spectaculum. Nondum tamen Geographia Romanis scriptis innotuerat. Id opus, a M. Tullio Cicerone sæpe tentatum,[1] semper omissum, privatis incertum an publicis rebus utilius, ita accuravit Pomponius Mela,[2] ut, si a prioribus scriptoribus studiorum antiquitate vincatur, omnes elegantia vicerit.

1 *Sæpe tentatum*] Vide epistolas Ciceronis ad Atticum, II. 4. et 6.

2 *Pomponius Mela*] Elegantissimum opus scripsit Pomponius Mela, dum Claudius Britanniam vincebat; ut testatur idem Mela, de Situ orbis, III. 6. 'Britannia qualis sit, qualesque progeneret, mox certiora et magis explorata dicentur. Quippe tamdiu clausam aperit ecce Principum maximus, nec indomitarum modo ante se, verum ignotarum quoque gentium victor, qui propriarum rerum fidem, ut bello affectavit, ita triumpho declaraturus portat.'

SUPPLEMENTUM

LIBRI DECIMI

ANNALIUM C. C. TACITI.

AUCTORE GABRIELE BROTIER.

BREVIARIUM LIBRI.

1. Honores, ob Britannicam victoriam, Claudio et Messallinæ decreti. 2. Claudius Urbem triumphans ingreditur. 3. Publica lætitia. 4. Fœda libertorum decora. 5. Res Romana Plautii et Vespasiani armis victricibus in Britannia promovetur. 6. Mors Agrippæ. Judæa iterum in provinciam redacta. 7. Achaia proconsulari imperio reddita. Ærarium prætoribus restitutum. 8. Complures leges, aliæ utiliter, aliæ temere mutatæ. 10. Inconsulta Principis in Cottium liberalitas. 11. Puniuntur Rhodii. Umbonius Silio senatu pulsus. Dilatæ ob sacra nundinæ. 12. In solennibus sacramentis vetus mos revocatus. Imminuta publicarum imaginum multitudo. 13. In iis ponendis egregia majorum prudentia: immensa recentioris ævi ambitio. 15. Præfectorum provinciis repressa avaritia. 16. Audacia multitudine legum irritata. Parricidialis furor. 17. Singulare edictum de Solis eclipsi. 18. Ludi: congiarium. 19. Tiberius Alexander Judææ procurator. Izates, Adia-

benorum rex, ejusque mater Helena, Judaicam religionem professi. 20. Romanos inter et Parthos medius Izates utriusque imperii gratiam aucupatur. 22. Parthorum favore increscit. 23. Hermaphroditus Romæ visus, et a Claudio expiatus. 24. Scarus e mari Carpathio in Italiam asportatus. 25. Mentagra ex Asia invecta. 26. Valerius Asiaticus abdicat se consulatu. 27. M. Vinicii ruina. 28. Asinii Galli, imperio inhiantis, vesana consilia et pœna. 29. Coërcita libertorum audacia; patronorum duritia. 30. Princeps Messallinæ libidinibus turpiter obnoxius. Fœda Mnesteris et populi Romani jurgia. 31. Thracia in formam provinciæ redacta. Legatio ex insula Taprobane missa. 32. Hujus legationis occasio. 33. Insulæ mores et usus. 35. De Seribus quoque auditum. Eorum corporis forma, commerciorumque ratio.

Hæc tribus annis gesta,

A. U.	J. C.		
DCCXCVII.	44.	Coss.	L. Quintio Crispino II. M. Statilio Tauro.
DCCXCVIII.	45.	Coss.	M. Vinicio II. Tauro Statilio Corvino.
DCCXCIX.	46.	Coss.	Valerio Asiatico II. M. Junio Silano.

CLAUDIUS generos suos,[1] Pompeium Magnum et Silanum, victoriæ nuntios præmiserat.[2] Ubi primum Romam venere, senatus in ejus honoribus fuit eo profusior, quod tot abhinc annis[3] victorem Principem non vidisset. Super triumphum,[4] ludos annuos, duos arcus, alterum in Urbe,[5] alterum

1 *Generos suos*] De his dictum supra in Suppl. Annal. IX. 25.

2 *Præmiserat*] Dio, LX. p. 679.

3 *Tot abhinc annis*] Ab Augusti victoriis.

4 *Super triumphum*] Hæc et seq. Dio, ibid.

5 *Alterum in Urbe*] Arcum illum in nummo expressum jam vidimus supra in Suppl. Annal. IX. 58. not. infra.

Gesoriaci,[1] exstruendos, datum ipsi cognomen, ejus filio nomen *Britannici*.[2] Decretum quoque[3] 'ut Messallina, sicut olim Livia, primum in consessu locum occuparet, et carpento veheretur.' Præterea cum per dedecora prioris principatus in hujus laudes ire patres essent soliti, jussum 'ærea Caii Cæsaris numismata,[4] quæ ejus imaginem referrent, conflari.' At quasi æs illud non posset nisi ad probra liquescere, in Mnesteris, histrionis, quondam Caii familiaritate, tunc Messallinæ libidinibus infamis, statuas obriguit.

2. Interim Princeps, solvens e Vatreni portu,[5] prægrandi domo verius, quam nave,[6] Adriam[7] intraverat; moxque Romam sexto,[8] quam profectus erat, mense rediit, Quintio Crispino II. et Statilio Tauro consulibus.[9] Civitas omnis obviam effusa, multi provinciarum præsides, legatique qui coronas aureas[10] attulerant, nonnulli etiam exules ob publicam lætitiam revocati, triumphantem maximo apparatu excepere. Præter celebritatis solita, currum carpento

1 *Gesoriaci*] De Gesoriaco, *Boulogne*, dictum supra p. 84.

2 *Filio nomen Britannici*] Antea Claudii filius dictus fuerat Germanicus, ut jam monuimus.

3 *Decretum quoque*] Dio, ibid.

4 *Numismata*] Dio, ibid. Manent tamen adhuc quamplurima Caii numismata ex ære.

5 *E Vatreni portu*] Plin. III. 16. Portus ille nunc dicitur *Porto Primaro*. Nomen ducit ab amne Vatreno, nunc *Santerno*, qui in Padum influit.

6 *Quam nave*] Sub Augusti et Caii Caligulæ principatu, maxime cum libuit obeliscos ex Ægypto asportare, cœpere Romani immensas naves fabricare. Vide supra p. 140. et Anecdota de Caio, infra.

7 *Adriam*] Adriaticum mare.

8 *Romam sexto*] Sueton. in Claud. XVII.

9 *Consulibus*] L. Quintius Crispinus II. et M. Statilius Taurus consules fuere A. U. 797. J. C. 44. In veteri lapide apud Gruterum, p. 1041. n. 10.

L. QVINCTIO CRISPINO II.
M. STATILIO TAVRO COS.

At apud Dionem, LX. p. 680. aliter leguntur nomina consulum: Γαΐου τε Κρίσπου τὸ δεύτερον καὶ Τίτου Στατιλίου ὑπατευόντων. Quod eruditus Muratori, Inscript. Antiq. vol. I. p. 304. n. 3. confirmat hac veteri Inscriptione,

M. AEMILIO. LEPIDO. T. STATILIO TAVRO.
COS.

10 *Coronas aureas*] Has inter coronas, duas memorat Plinius, XXXIII. 3. sect. 16. 'Claudius, cum de Britannia triumpharet, inter coronas aureas 7. pondo habere, quam contulisset Hispania citerior, 9. quam Gallia Comata, titulis indicavit.' Ipse Claudius 'inter hostilia spolia navalem coronam fastigio Palatinæ domus juxta civicam fixit, trajecti et quasi domiti Oceani insigne.' Sueton. in Claud. XVII.

secuta est[1] Messallina: secuti et triumphalia ornamenta eo bello adepti,[2] sed ceteri pedibus et in prætexta; Crassus Frugi equo phalerato, et in veste palmata, quod eum honorem iteraverat.[3] Cum ad ædem Jovis Capitolini perventum, victor Princeps, D. Julium[4] imitatus, gradus genibus ascendit, duobus suis generis[5] innitens, lauream que in gremio numinis deposuit.

3. Ad triumphi pompam accessere ludorum hilaria, quos Princeps, accepta ob eam rem consulis potestate,[6] duobus simul theatris, ut populo gratificaretur, celebravit. Tot quidem equorum certamina, quot per diem edere liceret, promiserat: verum propter ursorum cædes, athletarum pugnas, pyrrhicas puerorum ex Asia evocatorum saltationes, haud plura, quam decem actitata.[7] Spectaculi raritate ac dignitate præstitit expugnatio direptioque oppidi,[8] ad imaginem bellicam et deditionem Britanniæ regum in Martio campo edita, cui Princeps præsedit paludatus.[9] Alios insuper ludos, senatus permissu, fecere theatralium operarum duces.[10]

4. Hæc quidem decora, et digna Principe, ni fuissent libertorum honoribus fœdata. At Posidi, eunucho,[11] inter

1 *Carpento secuta est*] Sueton. loc. cit.

2 *Adepti*] Non modo consulares, qui bello interfuerant, sed et alii senatores, triumphalia hæc ornamenta obtinuere, ut videre est apud Dionem, LX. p. 680.

3 *Iteraverat*] Hæc totidem verbis Suetonius in Claud. XVII. De palmata, seu triumphali, veste dictum est Annal. I. 15.

4 *D. Julium*] Vide Dionem, XLIII. p. 224. et LX. p. 680.

5 *Generis*] Pompeio Magno et Silano; de quibus dictum cap. sup.

6 *Consulis potestate*] Dio, LX. p. 680.

7 *Decem actitata*] Dio, ibid. Vulgo duodecim erant missus, immo et plures; ut jam observavimus.

8 *Direptioque oppidi*] Hæc et seq. Sueton. in Claud. XXI.

9 *Præsedit paludatus*] In veste militari.

10 *Operarum duces*] Dio, LX. p. 680.

11 *Posidi, eunucho*] Aurel. Victor, in Epitome, *Posidio*. At Posiden eum appellat Suetonius in Claud. XXVIII. 'Libertorum præcipue suspexit Posiden spadonem, quem etiam Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit.' Hunc notat Juvenalis, XIV. 91. 'Ut spado vincebat Capitolia nostra Posides.' Vide et Plinium, XXXI. 2. ubi aquas Posidianas memorat. Grande, licet ignobile, in veteribus historiis eunuchorum nomen. Diu pervulgata per Orientis regna eorum auctoritas, in imperio Romano tandem invaluit, cum

militarium fortissimos arma insignia tanquam participi vic-

Principes quælibet regum libita æmularentur, et, quanto magis insolescerent, tanto plus dominationis adeptos se esse gloriarentur. Ut illud fortunæ portentum cognoscatur, expendam quando in orbe cœperit eunuchorum conditio, unde orta, quis primo fuerit eorum status, quæ deinde fortuna, qui mores, quæ varia demum fata.

Antiquissimam esse eunuchorum conditionem evincit Sacra Scriptura, quæ Putipharem, validissimum in aula Pharaonis, Ægypti regis, eunuchum, et principem exercitus, tempore Joseph, filii Jacob, memorat. Genes. XXXIX. 1. Tanta eunuchi fortuna probat ad antiquiora tempora pertinere eorum nomen. Suffragantur quoque vetustissima imperii Sinensis monumenta, quæ ipsa ætate regis *Yao*, qui vivere desiit anno 2258. A. C., eunuchos commemorant.

At eorum origo nos lateret, ni Sinensia monumenta lucem in hac obscuritate prætulissent. Iis enim edidicimus originem eunuchorum, ut tale decebat humanitatis propudium, fuisse infamiam. Nempe, ubi primum conditæ sunt hominum societates, erupere vitia, ac modo post crimina. Non statim ventum ad supplicia. Placuit pudorem experiri, quo coërceri posset reorum improbitas. Indita sunt ergo criminum reis quædam signa, et jussi sunt vestes certis coloribus distinctas induere, tum ut dignoscerentur et ab iis præcaveretur, tum ut ipsos sui puderet et in melius verterentur. Duravit usus dum fuit et securitatis et pœnitentiæ spes. At cum improborum hominum natura, aliquamdiu pudore coërcita, levitate pœnæ insolescere cœpisset, excogitata supplicia. Quæ inter, quartum memoratur a vetustissimis scriptoribus Sinensibus, virilitatis ademtio. Eaque erat pœna, quæ calumniæ, impudicitiæ, proditioni infligebatur.

Ut originem, ita quoque primum eunuchorum statum nos docent Sinensia monumenta. Haud satis visum eunuchos virilitate exui, conditi sunt in interioribus palatii imperatorum Sinensium partibus aliisque eorum domibus, ut vilia et difficilia quæque ministeria obirent; et, cum infames essent, prodire in imperatoris conspectum prohibebantur: ideoque iis maxime credita officia apud uxorem et concubinas imperatoris.

Illas infamiæ angustias apud Ægyptios cito egressi sunt eunuchi, cum Putipharem exercitus principem jam supra memoraverimus. At in Sinensi imperio, ubi plurimum semper valuit antiquitatis reverentia, per multa sæcula duravit eunuchorum squalor. Per scelus tandem eum exuere, cum, famosa in Annalibus Sinensibus imperii pestis, *Pao Ssee*, concubina imperatoris *Yeou Ouang*, qui regnare cœpit anno 781. A. C., usa artibus eunuchi, adegit imperatorem uxorem suam legitimam repudiare, ejusque filium imperatorio jure orbatum pronuntiare, ut ipsa in imperatoriæ uxoris dignitatem, ejusque filius in hæreditatis spem assumeretur. Ubi votorum fuit compos, non solum eunucho de se bene merito gratam ac memorem se præstitit, eumque palatio præposuit, sed et eunuchos ad plurima et præcipua palatii ministeria adhibuit. Viguit postea, ut apud Orientis, sic apud Sinarum populos, eunuchorum fortuna. Imperatores Romani cum pro imperii fastigio omnes externarum dominationum libidines in se complecterentur, eos quoque cepit eunuchorum furor: ac tandem visus sub Claudio Principe Posides eunuchus, militaria insignia superbe ostentans, inter præclarissimos militiæ duces Capitolium adire. Ne optimus quidem Princeps Titus, sed Orientis deliciis assuetus, ab illo eunuchorum amore abstinuit. Pessimus Domitianus non recti honestique cura, sed adversus fratrem invidia, eunuchos sustu-

lit. Post ejus cædem abrogata sunt ejus decreta. At melior vindex virtutisque assertor, egregius Princeps Nerva vetuit ne quis toto imperio Romano eunuchus fieret. Dio, LXVII. p. 759. LXVIII. p. 770. Lex digna Principe sapientissimo, et humanitatis virtutisque studiosissimo. Viguit sub optimis Principibus, qui auspicatissima Nervæ tempora sunt secuti. Postea, labentibus annis et moribus, mollita est; sancitumque ut 'qui hominem invitum, libidinis aut promercii causa, castraverit, castrandumve curaverit, sive is servus, sive liber sit capite (puniretur). Honestiores, publicatis bonis, in insulam' deportarentur; ut videre est apud Julium Paulum, Sentent. Recept. Libr. v. Tit. 23. Ad legem Corneliam de Sicariis et Veneficis, Leg. 13. Et in hac temporum mollitie visus est sub Severo Principe Plautianus, privatus homo, sed luxu et opibus par Principibus, qui centum ingenuis Romanis virilitatem ademit, ut filia sua Plautilla, quam Antonino Caracallæ despondere parabat, musicos aliosque artium magistros eunuchos haberet. Dio, LXXV. p. 857. Manent adhuc vel in hac nostrorum temporum sapientia et religione ejus mali reliquiæ. Ea enim est dulcibus vitiis natura, ut semper vetentur, semper retineantur.

De moribus autem eunuchorum idem est penes Sinenses scriptores, quod apud ceteros populos, judicium. Consentiunt omnes iis plerumque cuncta esse utriusque sexus vitia, nullam alterutrius virtutem. At cum nunquam tanta sit hominum pravitas, ut paucos saltem honestas non retineat, reperiuntur quandoque eunuchi qui virtutibus præcellant. Hos inter mos est regibus Orientis deligere, quos sibi comites assiduos adesse jubent. Tales sunt apud imperatorem Sinensem qui *Yu Kien* appellantur, id est, 'eunuchi e conspectu;' quod a conspectu Principis non recedant. Tales septem fuisse apud Assuerum manifestum est ex libro Esther, I. 11. In ministeriis autem imperatoris Sinensis vulgo numerantur decem millia eunuchorum, tum penes imperatorem, tum penes principes regii sanguinis, quibus plures paucioresve sunt eunuchi pro ratione suæ dignitatis. Tanta autem ibi est eunuchorum libido, ut multi audeant et uxores et concubinas habere. Adversus hoc flagitium lata quidem est lex a dynastia, quæ nunc Sinis imperat. Verum occulta gliscit libido, et mendacibus sororum aut propinquarum nominibus obtegitur.

Superest ut varia evolvam eunuchorum fata. Antiquitus in pœnam criminis ortam esse infamem eorum conditionem superius dixi. Circa Christi tempora, cum dynastia *Han* Sinis imperaret, desiit castratio inter supplicia haberi. Tum accesserat favor et fortuna; multisque volupe erat vel per sui corporis detrimentum eam ambire: parentes etiam nobiles aliquem liberorum suorum ultro ac libenter ei destinabant, ut auctoritate in aula valerent. Sed cum proclive sit hominibus maxime imbellibus turpibusque fortuna abuti, eunuchi iis in regnis ubi præpotuere, ita pro arbitrio et libidine cuncta vertere, totiesque Principibus ruinam creavere, ut, licet eorum conditio ad pœnam criminis non sit revocata, multisque ministeriis per Orientis regna superbiant, in ignobilitatis tamen et infamiæ ordine retineantur. Nec jam ubique fiunt eunuchi, nisi egestate ac necessitate compulsi. Apud Sinas, cum eunuchi omnes ad Principem pertineant ejusque sint juris, nec ab aliis judicibus in eos sententia ferri possit, reperiuntur scelerum rei, qui, ademta sibi virilitate, impunitatem quærant. Illi eunuchi appellantur *Pan lou*, id est, 'dimidia via;' et sunt numero pauci, nequitia fœdissimi. Quod singulare est in hac eunuchorum infamia, in palatio ministri templorum sunt eunuchi; et pro variis religionibus sunt eunuchi Bonzi, *Bonzes*, eunuchi *Tao See*, eunuchi *Lama*. Constantinopoli apud Turcarum Imperatorem eunuchi colore distinguuntur. Albi penes Principem, nigri penes fœminas serviunt. Eorum ducibus, *Kapou Aga* inter albos, *Kislar Aga* inter nigros, quam maxima est auctoritas.

toriæ dono data: permissum Harpocrati,[1] ut lectica[2] per Urbem veheretur, et spectacula publice ederet.[3] Ausus et Polybius[4] inter duos consules ambulare.[5] Narcissus ceterique liberti per majora adhuc favoris ludibria in fortunam et principatum insultabant.[6] Dum Princeps ea vel ferret patientius, vel licentius permitteret, Rufus Pollio, prætoriarum cohortium præfectus, imaginem ac sedem inter senatores, quotiens Claudium in curiam comitaretur, obtinuit.[7] Et ne id novum videretur, Princeps exemplum Augusti, qui eadem Valerio Liguri[8] tribuerat, causabatur. Majore adhuc invidia, Laco,[9] quondam præfectus Vigilum, tum Galliæ procurator, super hos honores consularia ornamenta assecutus est.

5. Senatus, amore, an munificentia Principis illectus, magnifice de bello Britannico loqui: gesta prædicare: futura providere; et, ut hostes libentius ad deditionem venirent, decernere[10] 'quæcumque Claudius ejusve legati

1 *Harpocrati*] Sueton. loc. cit. Beroaldo aliisque idem esse videtur ac Callistus.

2 *Lectica*] 'Lecticarum usum certis personis, et ætatibus, perque certos dies,' tantum permiserat Julius Cæsar. Sueton. in Jul. XLIII.

3 *Publice ederet*] Cura ludorum viris dignitate præcipuis permittebatur. Sic Arruntium Stellam ludis præfectum vidimus Annal. XIII. 22. Hujus nominis consulem vide apud eruditum Gori, Inscript. Antiq. vol. I. p. 65. Audaces sane libertos fecit senatusconsultum, quo cautum fuerat, 'ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res;' ut dictum est Annal. IV. 63. Hanc audaciam notat Juvenalis III. 34. 'Quondam hi cornicines, et municipalis arenæ Perpetui comites, notæque per oppida buccæ, Munera nunc edunt, et verso pollice vulgus Quemlibet occidunt populariter.'

4 *Polybius*] Is Claudio fuit a studiis: post a Messallina interfectus; ut diximus in Suppl. Annal. XI. 2.

5 *Ambulare*] Sueton. in Claud. XXVIII. Optime Hadrianus, 'cum quodam tempore servum suum inter duos senatores e conspectu ambulare vidisset, misit qui ei colaphum daret, et diceret, Noli inter eos ambulare quorum esse adhuc potes servus.' Spartian. in Hadrian. XXI.

6 *Insultabant*] Hos inter Felix cohortibus, alis, provinciæque Judææ præpositus, trium reginarum maritus fuit. Sueton. ibid.

7 *Obtinuit*] Dio, LX. p. 680.

8 *Valerio Liguri*] Nempe e Liguria. Dioni, ibid. Οὐαλερίου τινὸς Λίγυος.

9 *Laco*] Dio, ibid. Hic est Græcinus Laco, quem Vigilum præfectum vidimus, cum Sejanus everteretur. Vide Suppl. Annal. V. 35. Novæ ejus dignitatis extat monumentum apud Gruterum, p. 417. n. 2. P. GRAECINO P. F. POB. LACONI ORNAMENTIS CONSVLARIBVS.

10 *Decernere*] Dio, ibid.

agerent, aut cum Britannis transigerent, senatum populumque Romanum fixa et in perpetuum rata habiturum.' Plautius, talibus incitamentis haud indigens, sed bellica laude suaque dignitate magis exstimulatus, cœpta feliciter, felicius exequebatur; assumtoque in partem laborum et gloriæ Vespasiano,[1] proximam Britanniæ partem in provinciam redegit: nec regendi minus quam vincendi peritus, feroces animos religionibus artibusque Romanis paulatim mollivit.

6. Nuntiatum interea Agrippam, regem, quem sæpe memoravimus,[2] repentino morbo correptum exspirasse.[3] Claudius veteris necessitudinis memoria regnum ejus filio,[4] in Urbe educto, sibique acceptissimo, destinabat. Deterruere liberti, 'juvenem, pubertatis annos vix egressum, tantæ rei imparem,' obtendentes.[5] Itaque Judæa iterum in provinciam redacta; missusque Cuspius Fadus[6] procurator. Ne tamen vel in Agrippam ingratus, vel Judæis infensus videretur Princeps, cœpit juniorem Agrippam cariorem habere: Judæorum, qui stolam sacram coronamque[7] repeterent, postulatis annuere; in locum Marsi, Syriæ præsidis, defuncto regi invisi, Cassium Longinum[8] suffi-

1 *Vespasiano*] Cui cum bellicosissima gente sæpe fuit pugnandum, teste Suetonio, in Vespasian. IV. 'Claudio Principe, Narcissi gratia legatus legionis in Germaniam missus est: in Britanniam translatus, tricies cum hoste conflixit. Duas validissimas gentes, superque viginti oppida, et insulam Vectem, (nunc *the Isle of Wight*,) Britanniæ proximam, in deditionem redegit: partim Auli Plautii consularis legati, partim Claudii ipsius ductu.'

2 *Sæpe memoravimus*] Ac maxime in Suppl. Annal. VII. 11.

3 *Exspirasse*] Joseph. Antiq. Jud. XIX. 8. D. Luc. Act. Apost. XII. 23. Καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος, ἐξέψυξεν.

4 *Ejus filio*] Agrippæ II. Vide vol. II. p. 368. Stem. Herodum, n. 9.

5 *Obtendentes*] Joseph. Antiq. Jud. XIX. 9. n. 2.

6 *Cuspius Fadus*] Joseph. ibid.

7 *Stolam sacram coronamque*] Cuspius Fadus stolam sacram et coronam, propria summi pontificis ornamenta a Judæis petierat, eaque, ut fidei pignus, in turrim Antoniam seposuerat. Judæis hæc religionis suæ monumenta repetentibus, annuit Claudius, scripsitque epistolam, quam retulit Josephus, Antiq. Jud. XX. 1. n. 2. Data est hoc anno, 'IV. Kalendas Julias, Rufo et Pompeio Silvano, consulibus' suffectis. Stolæ descriptionem videre est in libro Sapientiæ, XVIII. 24. Coronæ Moyses inscripserat nomen Dei יהוה: eam ad suam usque ætatem permansisse testatur Josephus, Antiq. Jud. VIII. 3. n. 8.

8 *Cassium Longinum*] Joseph. Antiq. Jud. XX. 1. Multi adhuc manent hujus

cere; eique, ut injurias, abs Cæsariensibus et Sebastenis[1] illatas, ulcisceretur, imperare. Herodi,[2] Chalcidis regi, templum, ejus thesauros, jusque summi pontificis deligendi[3] permisit: cetera demum dilargitus, quæ solent Principes voluntatis suæ impotes, alienis libidinibus obnoxii.

7. Eadem libertorum licentia, incertum an populi ambitu, forte ipsius Principis, civilem famam affectantis, facilitate, Achaia Macedoniaque,[4] quas Tiberius ad curam suam transtulerat,[5] senatui redditæ. Dein cum imbecilli Principes magis in commutandis, quam perficiendis institutis, lubidinem habeant, hac quoque via ad gloriam contendit Claudius; curamque ærarii Saturni,[6] a D. Julio[7] prætoribus datam, quæstoribus restituit. At ut vetera novitate celebrarentur, edixit[8] 'duos quæstores fore ærarii præfectos: munus per triennium obituros: eo perfunctos, statim vel prætoria dignitate, vel digno re gesta salario donatum iri.' Eam auctoritatis accessionem omnium extra Urbem præfecturarum[9] abrogatione compensavit: simul, ut prætoribus indulgeret, iis quædam judicia, consulum propria,

præsidis Syriæ nummi, inscripti ANTIOΧΕΩΝ ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ, vel ΕΠΙ ΛΟΓΓΙΝΟΥ.

1 *Abs Cæsariensibus et Sebastenis*] Cæsarienses et Sebasteni in omne genus injuriarum contumeliarumque adversus defunctum regem Agrippam exarserant; quod narrat Josephus, Antiq. Jud. XIX. 9. Cæsareæ autem et Sebastes manent nomina.

2 *Herodi*] Frater erat Agrippæ Magni, patruus Agrippæ II.

3 *Summi pontificis deligendi*] Joseph. Antiq. Jud. XX. 1. n. 3. Illud quidem jus obtinuit Herodes, dum vixit: post Herodis mortem ad Agrippam II. pertinuit. Perperam vel Josephus, vel potius ejus librarii id juris ad Herodis posteros transtulere.

4 *Achaia Macedoniaque*] Sueton. in Claud. XXV. Dio, LX. p. 680. Inde aliquot post annis Gallio, proconsul Achaiæ, memoratur a D. Luca, Act. Apost. XVIII. 12.

5 *Transtulerat*] Tiberium, intentum Macedoniæ, Achaiam quoque curantem, videmus Annal. V. 10.

6 *Ærarii Saturni*] Sueton. in Claud. XXIV. Dio, LX. p. 681. Ærarium illud fuit in æde Saturni, hodie *Chiesa di S. Adriano*, ubi manent adhuc ejus rudera.

7 *A D. Julio*] Dio, XLIII. p. 238.

8 *Edixit*] Dio, LX. p. 681.

9 *Omnium extra Urbem præfecturarum*] D. Augustus quæstores constituerat, qui in ora maritima prope Urbem, et in aliis Italiæ locis præessent. Dio, LV. p. 551. Eæ sunt præfecturæ, quas tunc abolevit Claudius. Dio, LX. p. 681. Inde intelligas Suetonium in Claud. XXIV. 'Detractaque Ostiensi et Gallica provincia, curam ærarii Saturni (quæstoribus) reddidit.'

permisit;[1] haud repugnantibus consulibus, qui, pristinæ dignitatis obliti, munera aspernabantur; in Principis venerationem, magnasque spes intenti.

8. Melius utiliusque ad tollendas judiciorum moras sancitum 'ut jurisdictio de fidei commissis[2] quotannis, et in Urbe tantum delegari magistratibus solita, in perpetuum atque etiam per provincias potestatibus[3] demandaretur.' Juxta majestatem imperii quoque edictum 'ut, quibus provinciæ a magistratibus interdicerentur, ii Urbe et Italia summoverentur.'[4] At novo exemplo, atque infra Urbis dignitatem, quosdam Princeps ipse relegavit, 'ut ultra lapidem tertium vetaret ab Urbe egredi:'[5] quasi Urbs, terrarum caput, imperii sedes, communis cunctarum gentium patria, inter pœnas haberi posset.

9. Qua tamen re in publicum decus tantum peccabatur. Mox gravior, certamque in ruinam aliquando eruptura, reipublicæ illata labes, cum Claudius, humanitatis specie, infregit disciplinam militarem, quæ vetustate et austeritate pollet plurimum. Sapienter a majoribus cautum, ut exercitus a voluptatibus opibusque amoverentur. Diuturno enim usu compertum est militem in mortem nunquam esse promtiorem, quam cum deliciarum ignarus. Lex quidem, qua uxorem habere prohibebatur, non abrogata; sed sancito 'ut jura maritorum haberet,'[6] opes et irritamenta libidinis addita.

1 *Permisit*] Dio, LX. p. 681.

2 *De fidei commissis*] Sueton. in Claud. XXIII.

3 *Potestatibus*] Magistratus et potestas ita distinguuntur, ut in Urbe sit magistratus, in provinciis potestas. Major magistratus, minor potestas. Hæc quoque distinxit Juvenalis, x. 99. 'Hujus, qui trahitur, prætextam sumere mavis: An Fidenarum Gabiorumque esse potestas?' Vide ad hunc locum veterem Juvenalis Scholiasten.

4 *Summoverentur*] Sueton. loc cit.

5 *Egredi*] Sueton. ibid.

6 *Jura maritorum haberet*] Dio, LX. p. 681. Jura autem illa maritorum ea sunt, quæ Julius Cæsar et Augustus, tum Urbe civilibus bellis exhausta, tum moribus luxuria in cœlibem vitam vergentibus, iis qui maritarentur liberosque susciperent constituerant. Vide Dionem, XLIII. p. 226. LIV. p. 531. Tacitum, Annal. III. 25. et 28. Quomodo postea corrupta sit militaris disciplina, militesque uxores habuerint, dictum est ad Annal. XIV. 27. Quæ ibi observantur, illustrat Claudianum monumentum, anno 1750. repertum, et ab eruditis Academicis Her-

10. Ni Galliæ fuissent ad luxum et servitutem projectæ, favissetque fortuna imprudentibus Principibus nonnunquam benigna, prudentibus iniqua, in aliud promtiusque discrimen rempublicam Claudius adduxisset. Olim D. Augustus,[1]

culanensibus nuper publicatum. Tabulæ sunt æneæ, omnium id genus antiquissimæ, quibus Claudius civitatem connubiumque classicis militibus dedit. *Antichità d' Ercolano*, vol. v. p. 39.

Pars prima Tabulæ.

TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVGVSTVS
GERMANICVS. PONTIFEX. MAXIM
TRIB. POTESTATE. XII. IMPER XXVII
PATER. PATRIAE. CENSOR. COS. V
TRIERARCHIS. ET. REMIGIBVS. QVI. MILI
TAVERVNT. IN. CLASSE. QVAE. EST. MISENI
SVB. TI. IVLIO. AVGVSTI. LIB. OPTATO. ET
SVNT. DIMISSI. HONESTA. MISSIONE
QVORVM. NOMINA. SVBSCRIPTA. SVNT
IPSIS. LIBERIS. POSTERISQVE. EORVM
CIVITATEM. DEDIT. ET. CONVBIVM. CVM
VXORIBVS. QVAS. TVNC. HABVISSENT
CVM. EST. CIVITAS. IIS. DATA. AVT

Pars altera Tabulæ.

SIQVI. CAELIBES. ESSENT. CVM. IIS
QVAS. POSTEA. DVXISSENT. DVM
TAXAT. SINGVLI. SINGVLAS
A. D. III IDVS. DECEMBR
FAVSTO. CORNELIO. SVLLA. FELICE. } COS
L. SALVIDIENO. RVFO. SALVIANO }
GREGALI
SPARTICO. DIVZENI. F. DIOPSCVRTO
BESSO
DESCRIPTVM. ET. RECOGNITVM. EX. TABVLA
AENEA. QVAE. FIXA. EST. ROMAE. IN. CAPI
TOLIO. AEDIS. FIDEI. POPVLI. ROMANI
PARTE. DEXTERIORE.

Ibidem, p. XLI. videre est alteram tabulam similem, iisdemque datam consulibus, qui consules fuere suffecti A. U. 805. J. C. 52. quo ordinarii consules fuerant P. Cornelius Sylla Faustus et L. Salvius Otho Titianus. Huic alteri tabulæ subjecta sunt septem nomina, quæ testium esse existimant eruditi Academici Herculanenses, non vero eorum qui honesta missione dimissi sunt.

1 *D. Augustus*] Ammian. Marcellin. xv. 9. 'Rex Cottius, perdomitis Galliis, solus in angustiis latens, inviaque locorum asperitate confisus, lenito tandem

quantum ab Alpibus Cottiis[1] ob impervias rupes abruptasve viarum angustias immineret periculi gnarus, Cottium regem in amicitiam receperat, eoque devinxerat, ut rupes viasque explanaret; et, quibusdam civitatibus ejus ditioni additis, mallet præfecturam a Romanis acceptam gerere, quam paterno in regno[2] dominari. Saluberrima consilia Claudius pervertit: nec tantum M. Julio Cottio regnum restituit,[3] sed ampliavit; patente ad hostium assultus imperio, nisi, rege mortuo, formidolosam liberalitatem sustulisset Nero, et Cottias Alpes in jus provinciæ redegisset.[4]

11. Tot inter dominationis dedecora, visum tamen priscæ severitatis exemplum; et Rhodii, qui cives Romanos cruce necaverant, ademta libertate multati.[5] At iis, ut ad delicta, ita ad pœnitentiam facilibus, aliquot post annis, Nerone eorum causam agente, reddita.[6] Minus criminis, plus pœnæ fuit Umbonio Silioni,[7] Bæticæ[8] præfecto, quem Claudius, e provincia evocatum, senatu demovit, quasi exercitibus in Mauretania bellantibus satis magnam frumenti vim non suppeditasset; re, quod libertis displiceret. Quantum e fortunis peteretur ignarus, immensam locupletemque supellectilem hastæ subjecit. At vendita tantum veste senatoria, id unum supplicii repeti miratus, partis opibus, privatus quidem, sed securus, usus est. Hoc anno

timore in amicitiam Octaviani receptus Principis, molibus magnis exstruxit ad vicem memorabilis muneris compendiarias et viantibus opportunas medias inter alias Alpes vias.'

1 *Alpibus Cottiis*] Pars illa Alpium nunc dicitur *the passage of Briançon and Suza.*

2 *Paterno in regno*] Cottii pater fuit rex Donnus, memoratus in egregia Inscriptione, quam ob loci commoditatem, et ne hic turbet, opportunius sum editurus infra, ad calcem hujus libri. Hujus autem Cottii filius neposve fuit M. Julius Cottius, quem Claudius regem fecit.

3 *Restituit*] Dio, LX. p. 681. Errat autem eruditus Reimarus, cum ea, quæ de M. Julio Cottio narrat Dio, ad Cotyn retulit.

4 *Redegisset*] Aurel. Victor, in Epit.

5 *Multati*] Dio, LX. p. 681.

6 *Reddita*] Ut dictum est Annal. XII. 58.

7 *Umbonio Silioni*] Dio, ibid. Οὐμβώνιον Σιλίωνα.

8 *Bæticæ*] De Bætica, Hispaniæ parte, dictum Hist. I. 53.

nundinæ, ne sacra negotiorum tumultu interturbarentur, dilatæ;[1] quod alias sæpe observatum.

12. M. Vinicio II. Tauro Statilio Corvino consulibus,[2] Claudius solita Principibus juravit;[3] veteremque consuetudinem renovavit, ut e prætoribus, tribunis plebis, ceterisque collegiis unus tantum præiret, non vero singuli jurarent. Mox usum publicarum imaginum, in immane gliscentem, repressum iit.[4]

13. Ab ipsis Urbis initiis, majores, gnari quantum virtutum monumenta ad recti incitamentum valerent, viros atque ipsas fœminas,[5] laude præcellentes, equestribus et pedestribus statuis consecraverant; honoresque, legendos ævo, basibus inscripserant. Institutum, magnorum exemplorum ferax, pervertit magistratuum superbia. Dignitate tumidi, memoriæ perpetuitatem, nulla re gesta partam, vanitate et titulis redimebant: totque erupere ignotorum hominum simulacra, ut, iis sylvescentibus, obscura delituisset virtus, ni, M. Æmilio, C. Popilio II. consulibus,[6] censores P. Cornelius Scipio, M. Popilius statuas circa forum eorum qui magistratum gesserant, sustulissent omnes, præter eas quæ populi aut senatus sententia statutæ essent.

14. Extremis reipublicæ temporibus, invalescente luxuria, recruduit ignobilis famæ vesania. Tandem sub Principibus, cum omnia unius arbitrio, paucorum gratia regerentur, urbsque una totius imperii fortunas complecteretur, nullus fuit statuarum imaginumve finis: eas quisque vanissimus et malarum artium strenuus non modo in ædibus et atriis, sed in templis, in foris, oculatissimis in locis, nullo pudore, audacia maxima, sibi collocavere. Cum vix maneret virtuti locus, edixit Princeps ' ut immensa illa

1 *Dilatæ*] Dio, ibid.

2 *Consulibus*] M. Vinicius II. et Taurus Statilius Corvinus, quem Phlegon, de Rebus mirab. cap. 6. perperam cognominat *Corvilium*, consules fuere A. U. 798. J. C. 45.

3 *Principibus juravit*] Dio, LX. p. 681.

4 *Repressum iit*] Dio, ibid.

5 *Fœminas*] Statuas Clœliæ, Lucretiæ, Corneliæ positas vide apud Plinium, XXXIV. 6.

6 *Consulibus*] Plinius, ibid. M. Æmilius Lepidus et C. Popilius Lænas II. consules fuere A. U. 596. A. C. 158.

statuarum et imaginum vis alium in locum transferretur: nemini postea, nisi approbante senatu, ullam ponere liceret.'[1] Illis tantum, qui vel vetera monumenta reficerent, vel nova exstruerent, licitum 'ut in iis suas suorumque imagines publicarent.'[2]

15. Deinde animadversum in potestatum[3] avaritiam; vetus malum, et legibus validius. Quidam provinciæ rector, ob accepta munera infamis, in exilium ablegatus; et quæcumque in præfectura paraverat, sub hasta vendita.[4] Ne ceteris ob continuas dignitates glisceret licentia, populisve iniqua judicia vimque conquerendi facultas adimeretur, cavit Princeps ne provinciarum præfectura defunctos ad alios honores statim promoveret:[5] obsoletis quoque legibus auctoritatem addidit 'ut injuriæ ab rectoribus illatæ ad senatum deferrentur: nec iis liceret peregrinationum diuturnitate aliisve artibus accusationes legumque severitatem subterfugere.' Ne assessoribus[6] quidem, licet ad biennium munus aliquando prorogaverit, vel ipse destinaverit, confestim provinciam sortiri permisit.[7] Mox ipsos extra Italiam commeatus, a senatu peti solitos, beneficii sui fecit;[8] dominationis tanto intemperantior, quanto minor.

16. At novarum usque legum multitudine imminuta, uti assolet, reverentia, irritata audacia: ipsaque supplicia, amissa ob assiduitatem turpitudine, in peccandi libidinem vertere. Nec levia tantum vitia, sed portentosa percrebuere scelera; et hactenus ferme inaudita parricidialis impietas adeo invaluit, ut plures parricidas intra quinquennium

1 *Ponere liceret*] Dio, LX. p. 681.

2 *Imagines publicarent*] Dio, ibid.

3 *Potestatum*] De potestatibus jam dictum supra cap. 8.

4 *Vendita*] Dio, LX. p. 681.

5 *Promoveret*] Dio, LX. p. 682.

6 *Assessoribus*] Assessores dicebantur, qui a præsidibus in consilium adhibebantur, et eis in jure dicundo assidebant. Prætorius unicum deligebat: tres vero consularis; ut docet Dio, LIII. p. 505.

7 *Sortiri permisit*] Dio, LX. p. 682.

8 *Beneficii sui fecit*] Sueton. in Claud. XXIII. Hanc quidem licentiam peregrinandi extra Italiam, inconsulto senatu, tribuebat Claudius. Ne tamen a lege discedere videretur, senatusconsultum fieri curabat. Dio, LX. p. 682.

Claudius culleo insuerit,[1] quam omnibus sæculis insutos traditum. Monstratis criminibus, viros inter et mulieres de contumacia certatum: vicit muliebris sexus, quanto debilior, tanto, si natura insitam humanitatem exuit, flagitiosior. Et cum, sub hoc principatu, venenarii et malefici primum fuissent comprehensi, homines XLV. mulieres LXXXV. suppliciis affecti sunt.[2] Illustri exemplo legibus plus noceri posse, quam juvari, nisi summa imperandi et prohibendi prudentia attemperentur: animadversionum assiduitate facilitatem peccandi, demto pudore, intendi: populorum innocentiam, vel virtutis fama, vel parcitate simul et infamia pœnarum, parari.

17. Aliud autem novi moris edictum prodiit, turbarum metu potius, quam literarum studio. Princeps enim, veritus ne diem suum natalem[3] ob futuram eclipsim inauspicatum haberet populus, denuntiavit[4] 'Calendis Augustis Solem ex quadrante[5] defecturum; idque non ira Deum, sed statis naturæ legibus contingere: Solem interventu Lunæ occultari: pariter Lunam hebetari in suis deliquiis terræ objectu: propter multivagos Lunæ flexus,[6] hos quidem utriusque sideris defectus non esse menstruos, certos tamen ducentis viginti tribus mensibus[7] in suos

1 *Culleo insuerit*] Seneca, de Clementia, I. 23. Culleum fuisse utrem ex corio factum, 'in quo parricidæ, cum simia, gallo, et serpente inclusi, in mare' præcipitabantur, norunt omnes, docetque Isidorus, Origin. v. 27. Breve autem ac verum est Senecæ, loc. cit. cap. 24. dictum: 'Non minus Principi turpia sunt multa supplicia, quam medico multa funera.'

2 *Suppliciis affecti sunt*] Ms. Vindobonensis.

3 *Suum natalem*] Sueton. in Claud. II. 'Claudius natus est, Julio Antonio, Fabio Africano consulibus, A. U. C. 744. A. C. 9. Kalend. Augustis, Lugduni, eo ipso die, quo primum ara ibi Augusto dedicata est.' In veteribus Kalendariis hoc die notatur NATAL. TI. CLAVDII GERMANICI.

4 *Denuntiavit*] Dio, LX. p. 682.

5 *Ex quadrante*] Fuit illa eclipsis trium digitorum. Vide Petavium, de Doctrina temporum, XI. 9.

6 *Lunæ flexus*] Addit Plinius, II. 10. 'propter obliquitatem Signiferi,' Anglice, *the Zodiac*, et errat. Si menstrui non sunt utriusque sideris defectus, id contingit propter errores Lunæ, quæ ab Ecliptica deflectit; non vero propter obliquitatem Signiferi.

7 *Ducentis viginti tribus mensibus*] Ait Plinius, II. 13. 'ducentis viginti duobus mensibus.' At vel fallitur, vel fallunt ejus librarii. Non post ducentos viginti duos menses, sed post ducentos viginti tres menses Lunares, Sol Lunaque et nodi orbitæ Lunaris in eundem posi-

orbes redire. Has naturæ leges Græcis[1] jamdudum deprehensas, apud Romanos Sulpicii Galli[2] scientia nobilitatas, eo edicto publicari, ut in hac imperii literarumque luce quisque, metu solutus, vera de natura sentiat, nec monstra expavescat.' Tali quidem edicto inclaruit sideralis scientia:[3] at in vulgi animis semper insedit superstitio; et pavores Principis scrutantibus oblata sermonum jocorumque materia.

18. Amoliendis rebus novis meliores fuere ludi,[4] quos Claudius voverat Britannico bello, nunc editi. Lætitiam auxit Principis largitio; datique[5] viritim plebi, quæ ex publico frumentum accipiebat, treceni nummi;[6] nonnullis plures: quibusdam etiam mille ducenti quinquaginta.[7] Partem Cæsar, partem generi[8] distribuere, ne per plures dies a jure dicundo abstineret: hac in re nunquam intentior, quam dum uxor, dum liberti omnia luxu, libidine, scelere miscebant. Sub anni finem diem Saturnalibus a Caio additum, postea omissum, restituit.[9]

19. Nihil memorabile in provinciis gestum. Cuspio Fado, Judææ procuratori, successor datus est Tiberius

tum recurrunt. Sic in iisdem partium scrupulis congruente utriusque sideris motu, defectus in suos orbes redeunt. Quod antiquitus Chaldæis fuerat compertum.

1 *Græcis*] Hac laude Thales et Hipparchus insignes fuere apud Græcos. Vide Plinium, II. 13.

2 *Sulpicii Galli*] A. U. 586. A. C. 167. C. Sulpicius Gallus, tribunus militum, pridie quam Perseus rex superatus a Paulo Æmilio est, in concionem ab imperatore productus, prædixit nocte proxima ab hora secunda usque ad quartam horam noctis Lunam defecturam esse. Sic cautum ne illa eclipsis pro portento ab exercitu Romano acciperetur. Plin. loc. cit. Liv. XLIV. 37.

3 *Sideralis scientia*] Huc forte spectat Seneca, Natural. quæst. VII. 25. 'Nondum sunt anni mille quingenti, ex quo Græcia 'Stellis numeros et nomina fecit.' Multæque hodie sunt gentes, quæ tantum facie noverint cœlum, quæ nondum sciant cur Luna deficiat, quare obumbretur. Hoc apud nos quoque nuper ratio ad certum perduxit.'

4 *Ludi*] Dio, LX. p. 682.

5 *Datique*] Dio, ibid.

6 *Treceni nummi*] Angl. 2*l.* 10*s.* Hoc congiarium memorat Ms. Vindobonensis. In eo expensas fuisse Angl. 6,300,000*l.* aut amplius, manifestum est.

7 *Mille ducenti quinquaginta*] Dio, ibid. Angl. 20*l.* 8*s.* 4*d.*

8 *Generi*] Dio, *ibid.* Generos Claudii, Cn. Pompeium Magnum et L. Junium Silanum vidimus supra in Suppl. Annal. IX. 25.

9 *Restituit*] Dio, ibid. De die, quem Caius Saturnalibus addidit, dixi-

Alexander,[1] patre Judæo, Alexandriæ Alabarcha,[2] genitus; Romanarum rerum tanto studiosior, quod a patriis sacris defecerat. Haud minore Judaicæ gentis gloria, quam utilitate, defectionem illam pensaverant Izates,[3] Adiabenorum rex, et ejus mater Helena, Judæorum religionem professi. Genti enim gravi fame[4] conflictatæ subvenerunt; Izates pecunia, Helena frumento ex Ægypto comportato, et inter egenos didito.

20. Tum Izates, Romanorum et Parthorum imperiis interjectus, inclarescebat. Sed paulo altius res repetenda. Is Monobazo, patri suo defuncto successerat, non ut natu major,[5] sed ut melior. Nec interfectis fratribus, ut mos est barbaris, regni tranquillitati, suæ securitati consuluit; sed fratres suos cum ipsorum liberis partim Romam ad Claudium, partim ad Artabanum, Parthorum regem, misit.[6] Dominationis æmulos hac arte fecit pacis obsides.

21. Mox accrevit fama, cum Izates Artabanum[7] e regno profugum tanta humanitate excepit, ut alieno in regno Princeps magis, quam exul haberetur. At cum aliena regibus semper sint iniqua, maxima dexteritate sategit, ut Parthi Artabanum reciperent, ‘ præteritarum injuriarum oblivionem, seque pacis sponsorem’ promittens. Annuere; et Cinnamus,[8] imperandi capax magis, quam avidus, solio cessit, obsequio, quam imperio illustrior.

mus supra in Suppl. Annal VII. 24. Post ejus cædem fuerat omissus.

1 *Tiberius Alexander*] Joseph. Antiq. Jud. xx. 5. Iste est Tiberius Alexander, qui memoratur Annal. xv. 28. et postea sæpe in Historiarum libris.

2 *Alexandriæ Alabarcha*] Alexander, Tiberii Alexandri pater, Alexandriæ omnium genere et opibus primus fuerat. Joseph. loc. cit. Portas templi Hierosolymitani auro argentoque vestiverat. Joseph. Bell. Jud. v. 5. n. 3. Alabarchia autem erat præcipua Judæorum Alexandrinorum dignitas.

3 *Izates*] Rem fuse narrat Joseph. Antiq. Jud. xx. 2. n. 4. et seq. De Izate actum Annal. XII. 13. Ibi quoque diximus de Adiabene, quæ pars erat et initium Assyriæ.

4 *Gravi fame*] Joseph. Antiq. Jud. loc. cit. n. 6. Hæc confirmant, quæ jam notavimus supra, de fame ab Agabo prædicta.

5 *Natu major*] Junior enim erat Monobazo, Monobazi filio. Joseph. ibid. n. 3.

6 *Misit*] Joseph. ibid. n. 4.

7 *Artabanum*] Joseph. Antiq. Jud. xx. 3. Artabanum II.

8 *Cinnamus*] Joseph. ibid. n. 2. Cinnamus, Artabani II. alumnus, ei successerat; mox regnum restituit.

22. Artabanus, in Izatem haud ingratus, maximis honoribus eum extulit; voluitque 'ut tiara recta[1] uteretur, lectoque aureo[2] dormiret;' quæ propria sunt Parthicæ majestatis decora: ejus quoque regno adjecit peramplam ac fertilissimam Nisibis regionem,[3] ditioni regis Armeniæ ademtam.[4] Ita cum dedecore, penes Romanos opes ac libido; penes barbaros, imperii vis et gloria.

23. Verum ut Principis Urbisque studia sint perspec tiora, haud pigebit referre visum hoc anno Antiochiæ ad Mæandrum[5] hermaphroditum;[6] et Romam perductum. Portentum illud ibi curiose exceptum est. At ne quid dirum ingrueret, Claudius ut legum, ita cærimoniarum immodicus, in Capitolio Jovi averrunco aram posuit. Urbis vero major libido, quam superstitio; quodque olim in ostentis[7] fuerat, tum habuit in deliciis,[8] novo flagitiorum genere superba.

24. Iisdem circiter temporibus, nec illaudabili invento, ni mores fuissent ad luxuriam proniores, scarus,[9] piscis nepotum principibus[10] laudatissimus, e mari Carpathio[11] in

1 *Tiara recta*] Joseph. ibid. Τιάραν ὀρθήν. Hujus tiaræ figuram videre est in nummis regum Parthorum. De ea disserentem vide Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Rois*, p. 135.

2 *Lectoque aureo*] Joseph. ibid.

3 *Nisibis regionem*] Quam Macedones appellavere Mygdoniam. Ibi urbs Antiochia, vel Nisibis, hodie *Nesibin*. Vide Plinium, VI. 13.

4 *Ademtam*] Joseph. ibid.

5 *Antiochiæ ad Mæandrum*] Hæc est Antiochia Cariæ, quam Mæander et Orsinus circumfluebant. Plin. V. 29. Periit: Cl. D'Anville, *Géographie ancienne*, vol. II. p. 76. existimat in ejus locum successisse *Iegni-Shehr*, id est, Urbem novam.

6 *Hermaphroditum*] Rem narrat Phlegon, de Rebus mirabilibus, cap. 6.

7 *Olim in ostentis*] Id enim Romæ antiquitus expiatum, ut videre est apud Livium, XXVII. 11. Immo vero id horrebant Romani, ut patet ex Livio, XXXIX. 22. 'Sub idem tempus et ex Umbria nuntiatum est semimarem duodecim ferme annos natum inventum: id prodigium abominantes arceri Romano agro necarique quamprimum jusserunt.'

8 *In deliciis*] Plin. VII. 3. Inde, inter vetera monumenta, ære, marmore, gemmis, picturis tot imagines hermaphroditorum expressæ, quarum adhuc multæ extant.

9 *Scarus*] Plinius, IX. 17. Scarus saxatilis est piscis, qui, cum ejus caro sit valde mollis et friabilis, principatum apud Romanos obtinuit. Vide Galenum, de Aliment. facult. III. 30.

10 *Nepotum principibus*] Gulam hanc helluonum spernit Horatius, Epod. II. 48. 'Non me Lucrina juverint conchylia, Magisve rhombus, aut scari, Si quos Eois intonata fluctibus Hyems ad hoc vertat mare.'

11 *Mari Carpathio*] Mare illud Asia-

Italiam advectus. Quinquennio fere cura adhibita,[1] optatus Elipertius, præfectus classis, inter Ostiensem et Campaniæ oram[2] sparsos ita disseminavit, ut frequentes hoc in littore invenirentur: sicque satis piscibus,[3] datus mari novus incola, aucta novis saporibus gula.

25. At ne victa videretur natura, paulo post quidam Perusinus,[4] eques Romanus, quæstorius scriba,[5] mentagram,[6] luem majoribus patribusque incognitam, ex Asia importavit. Malum, tanquam fœminas plebemque negligeret,[7] in proceribus ad omne luxus ingenium præcipuis veloci transitu osculi ita grassabatur, ut occuparet in multis totos vultus, oculis tantum immunibus, descenderet in colla pectusque et manus, fœdo cutis furfure:[8] fœdiore adhuc eorum, qui causticam Ægyptiorum medicinam[9] pati tolera-

ticum quoque dictum est Plinio, v. 27. quod ab Asia provincia, urbeque Telmesso, nunc *Macri*, inciperet, et ad urbem Carpathum, nunc *Scarfanto*, inter insulas Rhodum et Cretam deveniret.

1 *Cura adhibita*] Certe magnam adhibere debuit; cum paulo ante id tempus scripserit Columella, VIII. 17. ‘Littorum, sic et fretorum differentias nosse oportet, ne nos alienigeni pisces decipiant: non enim omni mari potest omnis esse, ut scarus, qui totius Asiæ Græciæque littoribus Sicilia tenus frequentissimus exit, nunquam in Ligusticum, nec per Gallias enavit ad Hibericum mare. Itaque ne si capti quidem perferantur in nostra vivaria, diuturni queant possideri.’

2 *Oram*] Romæ vicinam et opportunam.

3 *Satis piscibus*] Hæc, ut et superiora, Plinius, IX. 17. Illud autem exemplum pisces serendi nec injucundum, nec inutile.

4 *Perusinus*] Perusia, nunc *Perugia*.

5 *Quæstorius scriba*] Scriba quæstoris.

6 *Mentagram*] Qua de re eloquenter pro more suo, Plinius, XXVI. 1. ‘Sensit et facies hominum novos, omnique ævo incognitos, non Italiæ modo, verum etiam universæ prope Europæ, morbos. Tunc quoque non tota Italia, nec per Illyricum Galliasve, aut Hispanias, magnopere vagatos, aut alibi quam Romæ, circaque: sine dolore quidem illos, ac sine pernicie vitæ, sed tanta fœditate, ut quæcumque mors præferenda esset. Gravissimum ex his lichenas appellavere Græco nomine: Latine quidem, quoniam a mento fere oriebatur, joculari primum lascivia (ut est procax natura multorum in alienis miseriis,) mox et usurpato vocabulo, mentagram—Non fuerat hæc lues apud majores patresque nostros. Et primum Tiberii Claudii Cæsaris principatu medio irrepsit in Italiam, quodam Perusino, equite Romano, quæstorio scriba, cum in Asia apparuisset, inde contagionem ejus importante.’ Mentagra illa ad cuticulares morbos pertinet, et lepræ speciem elephantiasi congenerem referre videtur.

7 *Negligeret*] Plin. loc. cit. ‘Nec sensere id malum fœminæ, aut servitia, plebesque humilis, aut media: sed proceres veloci transitu osculi maxime.’

8 *Furfure*] Plin. ibid.

9 *Ægyptiorum medicinam*] Plinius, ibid. ‘Causticis namque curatur: ni

verant, cicatrice, quam morbo. Et certe id toto ævo observatione dignum, quod quantum opibus et deliciis, tantum vitiis et morbis crevimus.

26. Valerius Asiaticus II. M. Junius Silanus consulatum[1] iniere, dignitate pares, gratia et opibus dispares. Silanus stato tempore[2] magistratum posuit. Asiaticus vero, licet in totum annum designatus, se abdicavit.[3] Id quidem præstiterant et alii: at hi modicis fortunis, et Circensium ludorum sumtibus, qui immoderate excreverant,[4] impares. Ille motam Principis gratia, altero consulatu, immensis divitiis invidiam verebatur: male consultus, qui, ubi summa gratia, magnæ opes, arrepens invidia, suspectam et intutam esse modestiam, decoros vero et tutos honores maximos, modo non immodicos, haud intelligeret.

27 Messallina, ob luxus monumenta, quæ invidebat, Asiatico infensa,[5] quid adversus eum valeret, M. Vinicii ruina[6] prætentavit. Bis consul, patre consulari ortus, Cæsarum affinitate[7] illustris, Vinicius ipsi tanto erat suspectior, quod ab ea læsus, interfecta uxore ejus Julia. Metum furoremque addiderat pudicitia incassum tentata.[8] Obscurum tamen scelus quæsivit; virumque invisum simul et

usque in ossa corpus exustum esset, rebellante tædio. Adveneruntque ex Ægypto genitrice talium vitiorum medici, hanc solam operam afferentes, magna sua præda. Siquidem certum est Manilium Cornutum, e prætoriis legatum Aquitanicæ provinciæ, HS. CC. elocasse 'in eo morbo curandum sese.' Sestertium ducenties, H-S. CC. sunt Angl. 166,666*l.* 13*s.* 4*d.* Quod cum sit immane, potius crediderim legendum H-S. CC. id est, sestertia ducenta, Angl. 1666*l.* 13*s.* 4*d.* Adhibiti autem Ægyptii medici, quod hi morbi in Ægypto familiares. Unde Lucret. VI. 1112. 'Est elephas morbus, qui propter flumina Nili Gignitur Ægypto in media, neque præterea usquam.' Scribebat Lucretius antequam elephantiasis et mentagra Romæ fuissent exortæ.

1 *Consulatum*] Valerius Asiaticus II. et M. Junius Silanus consules fuere A. U. 799. J. C. 46.

2 *Stato tempore*] Vulgo post sex menses.

3 *Se abdicavit*] Dio, LX. p. 683.

4 *Immoderate excreverant*] Id ex Caii Caligulæ insania, de qua dictum supra, remanebat. Tunc autem vicies et quater in ludis Circensibus certabatur, ut habet Dio, loc. cit. De his viginti quatuor missibus equorum diximus sæpe ex Kalendariis veteribus.

5 *Asiatico infensa*] Inhiabat enim hortis, quos Valerius Asiaticus insigni magnificentia extollebat; Annal. XI. 1.

6 *Vinicii ruina*] Dio, LX. p. 683.

7 *Cæsarum affinitate*] Uxorem duxerat Juliam, Germanici filiam. Vide Stem. Cæs. n. 97. et 99.

8 *Tentata*] Dio, loc. cit.

dilectum, melioribusque temporibus dignum, veneno sustulit. Funere publico et laudatione celebres fuere exequiæ; quod multis datum ea ætate,[1] quæ humanitatis expers ejus speciem ambitiosius ostentabat.

28. Tum Asinius Gallus, claris natalibus,[2] facie ignobili,[3] deformiore ingenio, inserere sese fortunæ voluit. Princeps, uti rebatur, ab omnibus salutandus, si imperandi voluntatem ostenderet, cœpit ob generis claritudinem palam dominationem affectare. Nec opes, nec arma aderant: complures tantum Cæsaris libertos atque servos corruperat. Insanum regulum non morte, qua inclaruisset facinus, sed exilio, quo derideretur, multavit Claudius;[4] hoc uno judicio, quam latis tot legibus, majorem laudem assecutus.

29. Haud minore fama, scelus libertorum qui adversus patronos libertate abuterentur, et ferociam dominorum, si per nefas sævirent, corripuit. Motus enim audacia cujusdam liberti,[5] quod patronum apud tribunos plebis detulisset, et in eum petisset accepissetque apparitorem,[6] non modo illum ceterosque causæ innexos punivit; sed et ingratos libertos, de quibus patroni quererentur, revocavit in servitutem;[7] 'advocatisque eorum' negavit[8] 'se adversus libertos ipsorum jus dicturum.' Dominos pariter exosus,

1 *Ea ætate*] Dio, ibid.

2 *Claris natalibus*] Nepos enim erat Asinii Pollionis, filius Asinii Galli, et Vipsaniæ Agrippinæ, quæ primum Tiberio nupserat, et ex quo Drusum Cæsarem susceperat. Inde Asinius Gallus frater erat uterinus Drusi Cæsaris, ut habet Dio, LX. p. 683.

3 *Facie ignobili*] Statura minimus erat et deformis. Dio, loc. cit.

4 *Multavit Claudius*] Dio, ibid. Insani autem consilii, et pœnæ, forte socius fuit Statilius Corvinus. Sic enim Suetonius in Claud. XIII. 'Conspiravere autem ad res novas Gallus Asinius, et Statilius Corvinus Pollionis ac Messalæ oratorum nepotes, assumtis compluribus libertis ipsius atque servis.' At de hac societate nihil habet Dio; et forte, duæ diversæ fuere conspirationes. Ut ut est, de pœna Statilii Corvini silent scriptores.

5 *Liberti*] Dio, LX. p. 683. et 684.

6 *Apparitorem*] Dio, ibid. ὑπηρέτην. Tribunis plebis non erant lictores, sed apparitores, qui iis apparebant, et præsto aderant.

7 *Revocavit in servitutem*] Sueton. in Claud. XXV. Sic quoque Marcianus, Digest. Libr. XXXVII. Tit. 4. de Lege patronatus. Leg. 5. 'Divus Claudius libertum, qui probatus fuerit patrono delatores summisisse, qui de statu ejus facerent ei quæstionem, servum patroni esse jussit.' At lex illa non videtur diu viguisse, ut patet ex Annal. XIII. 26.

8 *Negavit*] Sueton. ibid. Id a Claudio fuisse edicto sancitum ait Dio, LX. p. 684.

qui ægra affectaque mancipia in insulam Æsculapii[1] tædio medendi exponerent, sanxit[2] 'omnes, qui exponerentur, liberos fore, nec redituros in ditionem domini, si convaluissent: quod si quis necare quem mallet quam exponere, eum cædis crimine teneri.'

30. Verum ab æquo ad temeraria cito degressus, et ægre ferens absentia litigatorum, qui ne causa caderent verebantur, judicia vel retardari vel impediri, pronuntiavit 'se absentibus æque ac præsentibus causam dicturum.'[3] Deinde nullo delectu culpane quis, an aliqua necessitate cessasset,[4] sententiam tulit. Cum tamen vulgus utilitate publica minus quam voluptate moveatur, hæc judiciorum temeritas haud ita fuit ingrata. At eviluit uxorius Princeps, quod Sabinum, Caio imperitante, Galliæ præfectum, tum morti in gladiatorio certamine destinatum, Messallina ob adulteriorum societatem servasset.[5] Fœmina, atrox libidinum, quas præter Claudium cuncti noscerent, majorem adhuc invidiam concitavit, cum Mnesterem,[6] his temporibus histrionica laude summum, stupris ita illigasset, ut nec eum in scenam prodire sineret, nec ipse vellet, juraretque Claudius illum secum non esse, et per se non stare quominus vellet. Quid mirer magis Messallinæ licentiam, audaciamne Mnesteris, an populi Romani questus, an contumelias Principis, haud dixerim.

31. In tanta principatus indiligentia, evenere tamen quæ magnos Principes haud dedecuissent. Regnata hactenus Thracia in provinciam redacta.[7] Percelebris quoque fuit legatio e Taprobane[8] missa. Alterum orbem terrarum esse

1 *In insulam Æsculapii*] Illa insula Romæ templo Æsculapii fuit insignis: nunc sancto Bartholomeo sacra, dicitur *Isola di S. Bartolomeo.*

2 *Sanxit*] Sueton. in Claud. xxv. Huc quoque spectat, quod habet Modestinus, Digest. Libr. xl. Tit. 8. 'Qui sine manumissione ad libertatem perveniunt.' Leg. 2. 'Servo, quem pro derelicto dominus ob gravem infirmitatem habuit, ex edicto Divi Claudii competit libertas.'

3 *Dicturum*] Dio, lx. p. 684.

4 *Cessasset*] Sueton. in Claud. xv.

5 *Servasset*] Dio, loc. cit.

6 *Mnesterem*] Dio, ibid.

7 *Redacta*] Hieronymus in Chronic.

8 *Taprobane*] Nunc *Ceylon*, insula totius Orientis pulcherrima, quondam Lusitanorum, deinde Batavorum, hodie

diu existimatum,[1] *Antichthonum*[2] appellatione: insulam esse, Alexandri Magni victoriis innotuit. Plura et certiora docuere legati, Romam advecti. Quod qua fortuna contigerit, Plinium,[3] historiæ naturalis florentissimum scriptorem secutus, expediam.

32. Annii Plocami, qui maris Rubri vectigal[4] a fisco redemerat, libertus circa Arabiam navigans, raptusque Aquilonibus[5] præter Carmaniam,[6] 15. die Hippuros portum[7] invectus est: hospitali regis clementia sex mensium tempore imbutus alloquio,[8] percunctanti postea narravit Romanos et Cæsarem.[9] Mirum in modum in auditis justitiam ille suspexit, quod pares pondere denarii essent in captiva pecunia, cum diversæ imagines indicarent a pluribus[10] factos; et hoc maxime solicitatus ad amicitiam, legatos[11] quatuor misit, principe eorum Rachia.

33. Nostrum cœlum,[12] suas umbras[13] mirati, ipsi in Urbe peregrinitatis avida admirationi fuere. Ex iis cognitum

Anglorum commercio celeberrima.

1 *Diu existimatum*] Atque ita quidem ex Hipparcho prodidit Pomponius Mela, qui ante hanc legationem Claudio missam scripsit. 'Taprobane, aut grandis admodum insula, aut prima pars orbis alterius Hipparcho dicitur.' Mela, III. 7.

2 *Antichthonum*] Seu Antipodum.

3 *Plinium*] Plin. VI. 22.

4 *Vectigal*] Vectigalia vulgo ad quinquennium locabantur. De fisco Principis sæpe dictum.

5 *Aquilonibus*] Non raptus Aquilone; sic enim ventus fuisset navigationi contrarius. Sed raptus est Aquilonibus, seu tempestatibus, ut recte explicat Harduinus. Cauro, *the north-west wind*, procelloso vento actus videtur.

6 *Carmaniam*] Cujus nomen adhuc retinet *Kerman*.

7 *Hippuros portum*] Portus ille sane fuit in Occidentali ora insulæ Taprobanes, forte ubi nunc portus, qui dicitur *Columbo*.

8 *Alloquio*] Indigenarum sermonem edoctus.

9 *Cæsarem*] Claudium.

10 *A pluribus*] Ab Imperatoribus Augusto, Tiberio, Caio Caligula, et Claudio factos.

11 *Legatos*] Inde quoque legati postea missi sunt ad Julianum Imperatorem, ut videre est apud Ammianum Marcellinum, XXII. 4.

12 *Nostrum cœlum*] Mirabantur Septentrionalis plagæ sidera, quæ non ita noverant, in Australia sua sidera magis intenti. Plin. loc. cit. 'Septentriones Vergiliasque apud nos, veluti novo cœlo, mirabantur.' Addit Plinius 'Canopum lucere noctibus, sidus ingens et clarum.' Errat autem, aut fefellere legati, 'ne Lunam quidem apud ipsos, nisi ab octava ad 16. supra terram aspici fatentes.' Plin. ibid.

13 *Suas umbras*] Ob mutatum locum, mutatæ eorum umbræ, non in Austros, sed in Septentriones cadebant. Unde Plinius, ibid. 'Maxime mirum iis erat,

'sua in insula quingenta esse oppida: Palæsimundum[1] omnium ibi clarissimum, ac regiam CC. mill. plebis:[2] servum nemini: non in diem aut interdiu somnum: agros diligenter coli: vitis usum non esse,[3] pomis abundare:[4] esse in piscatu voluptatem, testudinum maxime, quarum superficie familias habitantium contegerent:[5] ædificia modice ab humo extare: annonam nunquam augeri:[6] non fora[7] litesve esse: coli Herculem:[8] festa venatione absumi; gratissimam eam tigribus elephantisque[9] constare. Regem eligi a populo senecta clementiaque, liberos non habentem; et si postea gignat, abdicari, ne fiat hæreditarium regnum: rectores ei a populo 30. dari: nec nisi plurium sententia

umbras suas in nostrum cœlum cadere, non in suum.'

1 *Palæsimundum*] Vulgo creditur urbem illam fuisse, quæ nunc dicitur *Jafanapantam*, celeberrimum Batavorum emporium. *Palli* autem lingua Indica significat *oppidum*, aut *habitationem*. Palæsimundum est ergo oppidum Simundi; et inde tota insula Ptolemæo, VII. 4. dicitur habitatio Simundi, πάλαι ΣΙΜΟΥΝΔΟΥ.

2 *CC. mill. plebis*] Agriculturæ studio, parco victu, humilibus ædificiis, populi frequentia, plurimum veteris hodiernique Sinensium ritus habebant Taprobanitæ. In eorum quoque scriptura versus non in transversum extensi, ut apud nos, sed, ut apud Sinenses, a vertice ad inferiora linea recta deducti. Vide Diodorum Siculum, II. 57.

3 *Non esse*] Haud vere ergo Iambulus, apud Diodorum Siculum, II. 59. ibi vites vinumque memorat. Minime tamen tunc ignota vitis vel in ipsis Orientis finibus. Vitem enim in Sinas invexit *Tchang-Kien*, qui anno 122. ante Christum extera regna ad Sinarum Occidentem posita adiit, cum imperator esset *Kin-ti*.

4 *Pomis abundare*] Maxime Assyriis citreisque malis, et aliis id genus arboribus, quæ per totum annum fructibus floribusque sunt gravidæ.

5 *Contegerent*] Tanta, inquit Plinius, ibid., reperiuntur magnitudine.

6 *Nunquam augeri*] Nempe ob oryzæ copiam, quæ in hac insula est quam maxima. Forte et providebant sterilitates. Qua laude jam inclaruerant Imperatores Sinenses, ac maxime Imperator *Suen-ti*, qui anno 54. A. C. nova horrea condidit; et, cum fertilissimus fuisset annus, magnam oryzæ vim majore etiam, quam tum vendebatur, pretio comparavit, ut sterilibus annis viliori pretio venderet; sic geminata populi sui utilitate.

7 *Non fora*] Ob insita gentis animis justitiæ studia, non fora, non lites, ut Romæ, frequentabantur. Verum, cum ubi sunt homines, ibi quoque sint vitia, iis quoque fuere et judices et pœnæ, ut mox dicetur.

8 *Herculem*] Herculem, Liberumque patrem, seu Bacchum, mox nominandum, indigenas Deos crediderim, sed ita appellatos interpretatione Romana. Forte tamen ob Alexandri Magni victorias gentiumque commercia Græcis Ægyptiisque superstitionibus fuere imbuti.

9 *Elephantisque*] Teste Plinio, loc. cit. 'Onesicritus, classis Alexandri Magni præfectus, elephantos ibi majores bellicosioresque, quam in India, gigni scripsit.' Maximam famam in Oriente adhuc obtinent.

quenquam capitis damnari; sic quoque appellationem esse ad populum; 70. judices dari; si liberent reum, amplius triginta, iis nullam esse dignationem, gravissimo probro. Regi cultum Liberi patris, ceteris Arabum:[1] regem, si quid delinquat, morte multari, nullo interimente, aversantibus cunctis, et commercia etiam sermonis negantibus.'[2]

34. Hæc ob novitatem audientibus grata. Libentius vero, licet haud sine invidia auditum, 'ibi vitam hominum centum annis modicam:[3] insulam auri margaritarumque grandiorum fertiliorem,[4] quam Indiam.' Paululum invidiam imminuit vitiorum societas, et Romanæ luxuriæ commendatio. Fatebantur enim legati 'sibi aurum et argentum in pretio:[5] marmor testudinis simile,[6] gemmas margaritasque in honore multo præstantiores haberi:[7] ipsorum opes majores esse, sed apud Romanos opulentiæ majorem usum.'[8]

35. Talia in insula, extra orbem a natura relegata,[9] multi eo magis mirabantur, quod de Seribus prorsus diversa prius audita,[10] certioribus nuntiis tum firmata. Memorabat enim Rachia 'ultra montes Emodos[11] Seras,[12] lanicio

1 *Ceteris Arabum*] Cœlum et Solem cunctaque cœlestia a Taprobanitis fuisse culta tradit Diodorus Siculus, II. 59.

2 *Negantibus*] Hæc et superiora Plinius, VI. 22.

3 *Centum annis modicam*] Hæc et sequentia Plinius, ibid. Immo Diodorus Siculus, II. 57. tradit eos ad centum quinquaginta annos vitam producere.

4 *Fertiliorem*] Plinius, ibid.

5 *In pretio*] Idque commune semper fuit Orientis vitium.

6 *Testudinis simile*] Iis marmor erat testudinacea varietate.

7 *Haberi*] Nec mirum; cum Taprobanitæ opibus valerent, et Indis essent vicini: præterea et ipsi gemmis et margaritis abundabant. Vide Ptolemæum, VII. 4.

8 *Majorem usum*] Vere quidem, et ex luxuria et ostentatione Romana.

9 *Relegata*] Plin. VI. 22.

10 *Prius audita*] Ante hanc legationem Claudio missam, jam de Seribus scripserat Pomponius Mela, III. 7. 'Seres intersunt, genus plenum justitiæ, ex commercio, quod rebus in solitudine relictis absens peragit, notissimum.'

11 *Montes Emodos*] Plin. ibid. Emodi montes inter Scythas et Indos interjecti, supra Gangis fontes.

12 *Seras*] Seres illi non sunt ipsi Sinenses, ut multis creditum, sed pars Scytharum, Orienti maxime obversa, et magno muro Sinensium, qui jam tum extabat, vicina. De Seribus Plinius, VI. 17. 'Primi sunt hominum, qui noscantur, Seres, lanicio sylvarum nobiles, perfusam aqua depectentes frondium canitiem: unde geminus fœminis nostris labor redordiendi fila, rursumque texendi. Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico matrona transluceat.' De Seribus eorumque serico plura habet Ammianus Marcellinus, XXIII. 11. 'Seres armorum semper

sylvarum[1] nobiles, ab ipsis aspici;[2] advenis sibi occursare; notos etiam commercio: patrem suum eo commeasse: illos excedere hominum magnitudinem,[3] rutilis comis,

et præliorum expertes, utque hominibus sedatis et placidis est otium voluptabile, nulli finitimorum molesti: cœli apud eos jucunda salubrisque temperies, aëris facies munda, leniumque ventorum commodissimus flatus, et abunde sylvæ sublucidæ; a quibus arborum fœtus aquarum asperginibus crebris, velut quædam vellera mollientes, ex lanugine et liquore mixtam subtilitatem tenerrimam pectunt; nentesque subtegmina, conficiunt sericum, ad usus antehac nobilium, nunc etiam infimorum sine ulla discretione proficiens. Ipsi præter alios frugalissimi, pacatioris vitæ cultores, vitantes reliquorum mortalium cœtus. Cumque ad coëmenda fila et quædam alia fluvium transierint advenæ, nulla sermonum vice propositarum rerum pretia solis oculis æstimantur. Et ita sunt abstinentes, ut apud se tradentes gignentia, nihil ipsi comparent advectitium.' Seras tamen, quos hic memorat Rachia, non ita dissitos fuisse a Taprabonitis, sed ipsam Australem insulæ Taprobanes partem habitasse ingeniose conjicit Cl. D'Anville, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, vol. XXXII. p. 602. Difficultatem tantum facessit, quod ultra montes Emodos locentur.

1 *Lanicio sylvarum*] Ex modo laudatis Plinii Ammianique Marcellini testimoniis, videretur Seras non ex bombycibus, sed ex sylvis arborumque frondibus et fructibus sericum texuisse. Quod sentire quoque videtur Virgilius, Georgic. II. 121. 'Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?' Rem apud Romanos divulgatam, probabilem fecit P. Visdelou, docuitque in regione *Eygur* esse arbusculam, e cujus fructu educitur filum candidissimum et tenuissimum, cui nomen *Thiélié*. Vide Cl. D'Anville, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, vol. XXXII. p. 600. Forte quoque usurpata fuere a Seribus, uti hodieque a Sinensibus usurpantur, longissima fila serica, quæ magna copia per arbores et campos a quibusdam erucarum speciebus in provincia *Chan-tong* funduntur. Vide P. Du Halde, *Description de l'Empire de la Chine*, vol. II. p. 207. Tunc forent distinguenda serica ex arboribus, et bombycina e bombycibus. Nec tum erat unica bombycum species, sed multiplex, ut videre est apud Plinium, XI. 22. et 23. nondum memorat Sinensem, Indicamve bombycis speciem, quæ apud nos nunc vulgatissima. Serica et Bombycina distinguit Ulpian. in Digest. Libr. XXXIV. Tit. 2. de auro et argento legatis. Leg. 23. 'Vestimentorum sunt lanea omnia, lineaque, vel serica, vel bombycina.'

2 *Ab ipsis aspici*] E longinquo quidem aspiciebantur, siquidem ingentes et maris et terrarum tractus intercedebant. At semper commerciorum causa longinquæ regiones petitæ. Jam multo ante, non modo Maracandam, *Samarkand*, sed et Persidem ob commercia Sinenses adierant, ut videre est in eorum Historia. Immo ob illas longinquas peregrinationes reperta ab ipsis videtur pyxis magnetica, quam suis curribus aptabant, ut ipsius ope inter viarum incerta cursum dirigerent. Talem pyxidis magneticæ usum memorat eorum Historia sub Imperatore *Tching-Ouang*, ad annum 1106. A. C.

3 *Hominum magnitudinem*] Hæc et seq. Plin. VI. 22. Jam monuimus supra Seras esse Scythas. Si quis vero nunc eorum magnitudinem, rutilas comas, cœruleos oculos conferat cum iis quæ dicta sunt in libro de Moribus Germanorum, cap. 4. 'Habitus quoque corporum,

cœruleis oculis, oris sono truci, nullo commercio linguæ: feris quidem persimiles, cœtum reliquorum mortalium fugere: mites tamen, justos, commercia ita peragere, ut fluminis[1] ulteriore ripa merces positas juxta venalia tollant, si placeat permutatio.' Tales virtutes in talibus hominibus aliquis forte mirabitur, miretur magis tot periculis, impensis maximis, et lenta quidem, sed certa et irreparabili imperii ruina, matronalis libidinis velamenta[2] simul et irritamenta inde arcessi.[3]

quanquam in tanto hominum numero, idem omnibus: truces et cœrulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora:' novum erit argumentum Germanos esse Scythica origine. Truces quoque Serum soni asperitatem Scythicæ linguæ arguunt.

1 *Fluminis*] Plinius, vi. 17. 'Primum eorum (Serum) noscitur flumen Psitaras.' Flumen illud idem esse debet, quod nunc dicitur *Yerghien*. Ulteriore autem ripa ponebantur merces, quod commercia expectabant Seres, teste Plinio, ibid.

2 *Libidinis velamenta*] Inde, cum varia Romanæ luxuriæ portenta recensuisset Seneca, addit: 'Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit: quibus sumtis, mulier parum liquido, nudam se non esse, jurabit. Hæc ingenti summa, ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, ut matronæ nostræ, ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quam in publico ostendant.' Senec. de Beneficiis, vii. 9. Hæc serica auro rependebantur; ideo miratur Seneca Romanos non posse 'vestitos esse sine commercio Serum.' Sub principatu Tiberii, 'interdictum ne vestis serica viros fœdaret.' Tacit. Annal. ii. 33. Postea ipsi milites sericati incessere, cum de Judæis triumpharent Vespasianus et Titus.

3 *Arcessi*] Inter peregrinas merces ad vectigal pertinentes recensentur a Marciano, in Digest. Libr. xxxix. Tit. 4. de Publicanis et vectigalibus. Leg. 16. 'vestis serica, vel subserica, vel attincta, carbasea, nema sericum.' Nema autem sericum sunt serica fila, quæ redordiebantur rursumque texebant fœminæ Romanæ, ut ex Plinio notavimus supra. Nunc superest, ut Inscriptionem arcus Secusiani, *Suza, in Piedmont*, egregium Cottii monumentum, repræsentem. Id enim promisi supra.

IMP. CAESARI. AVG. DIVI. F. PONTIFICI. MAXIMO. TRIBVNITIA
POTESTATE. XV. IMP. XIII. M. IVLIVS. REGIS. DONNI. F. COTTIVS.
PRAEFECTVS. CIVITATVM. QVAE. SVBSCRIPTAE. SVNT
SEGOVIORVM. SEGVSINORVM. BELACORVM. CATVRIGVM
MEDVLLORVM. TEBAVIORVM. ADANATIVM. SAVINCATIVM
EGDINIORVM. VEAMINIORVM. VENISAMORVM. IRIORVM
ESVBIANORVM. OVADIAVIVM. ET. CIVITATES. QVÆ
SVB. EO. PRAEFECTO. FVERVNT.

De hac Inscriptione vide Cl. Maffei, Histor. Diplomat. p. 1. et Cl. Bimardum, in Muratori Thesaur. Insc. Antiq. vol. i. Col. 74.

SUPPLEMENTUM

LIBRI UNDECIMI

ANNALIUM C. C. TACITI.

AUCTORE GABRIELE BROTIER.

BREVIARIUM LIBRI.

1. Portentosa anni initia. Claudius Censor. 2. Polybii, liberti, arrogantia et pœna. 3. Aulo Plautio, Britannorum victori, decreta ovatio. Vespasiani virtus. Titi pietas. 4. Revocatur majestatis crimen. 5. Messallina, Vitellii societate audax, in civium fortunas grassatur. Everso Pompeio Magno, Poppæam et Valerium Asiaticum circumvenit. *Cetera habet Tacitus Annalium Libro XI.* 1. *et seq.*

Gesta hæc,

A. U.	J. C.		
DCCC.	47.	Coss.	Ti. Claudio Cæsare IV. L. Vitellio III.

PORTENTOSIS initiis inclaruit sæcularis hic annus, quo Claudius Cæsar IV. sed suffectus tantum,[1] novo circa

1 *Suffectus tantum*] 'In locum demortui (consulis sane designati) suffectus,' Sueton. in Claud. XIV.

Principem exemplo, L. Vitellius III. consulatum iniere.[1] Ipsis Kalendis Januariis, nocte, qua defecit luna,[2] Theram inter[3] et Therasiam in Ægæo mari enata insula.[4] Fabulas addidere, qui Phœnicem[5] in Urbem allatum, videndum in Comitio[6] proposuerunt. Mendacium, licet omnibus compertum, a plebe tamen spectatum est avide, atque etiam actis testatum. Princeps, alias in curas intentus, censorium nomen, post Paullum Plancumque[7] censores neglectum, cum consulari assumsit, ut reipublicæ, labentibus sæculis simulque gliscentibus vitiis fatiscenti, subveniret. Senatores aliquot, luxu ad inopiam contemtumque delapsi, ordine moti sunt.[8] At equites, numero et opibus[9] tuti, Principis severitatem effugere. Cetera censuræ multitudine legum corrupta.

2 Pudebat quoque Principis, inepte seduli, qui rempublicam legibus fatigabat, dum ipsius domus majoribus vitiis

1 *Consulatum iniere*] Ti. Claudius Cæsar IV. L. Vitellius III. consules fuere A. U. 800. J. C. 47.

2 *Defecit luna*] Aurel. Victor de Cæsar. in Claud. Dio, Libr. LX. p. 685. Quod vero hac nocte prodiit insula, inde Seneca Natural. Quæst. II. 26. id prodigium ad superiorem annum exeuntem, 'Valerio Asiatico consule,' retraxit.

3 *Theram inter*] Thera, hodie *the Isle of Santorin, in the Archipelago.* Therasia, exigua insula, vicina est Occidentem versus. De utraque insula vide Plinium, II. 87. et Franciscum Richard S. J. *Relation de l'Isle de Sant-Erini,* p. 17. et seq.

4 *Enata insula*] Seneca, Natural. Quæst. VI. 21. 'Theren, et Therasiam, et hanc nostræ ætatis insulam, spectantibus nobis in Ægeo mari enatam quis dubitat?' Cassiodorus in Chronic. 'Inter Theram et Therasiam exorta est insula habens stadia 30.' Sequentibus sæculis, eodem in loco, manente semper eadem ignium vi, novæ erupere insulæ, scilicet anno 726. æstivo tempore: anno 1427. die 25. Novembris: anno 1573. quæ Græcis adhuc dicitur μικρὴ Καμμένη nova demum, ineunte hoc sæculo, anno 1707. die 23. Maii, per plures menses eructata. Vide Richard, loco citato, et *Mémoires pour l'Histoire des Sciences et des beaux Arts,* mense Julio anni 1708. p. 1261. et mense Septembri, anni 1715. p. 1543.

5 *Qui Phœnicem*] Hæc habet Plinius, X. 2. Victor quoque in Cæsaribus et in Epitome. De Phœnice dictum satis in not. ad Annal. VI. 28.

6 *In Comitio*] Comitium pars fori Romani. Vide Vit. Agric. cap. 2.

7 *Paullum Plancumque*] De eorum censura dictum in not. ad Annal. XI. 25. ubi de censu lustroque Romanorum.

8 *Moti sunt*] Dio, LX. p. 684.

9 *Numero et opibus*] Cum plurimi, servitute liberati, ad dignitatem equestrem transilirent: quod ita promiscuum esse cœpit, 'ut apud Claudium Cæsarem, in censura ejus, unus ex equitibus Flavius Proculus quadringentos ex ea causa reos postularet.'

urgebatur; prævalida in dies libertorum arrogantia. Patientiam, metu magis quam reverentia diu exercitam, vicit rei indignitas. Forte cum in theatro pantomimus illud vatis dictum, 'Res non ferenda opibus potens mastigia,'[1] protulisset, omnium ora statim in Polybium conversa, qui majore audacia ejusdem poëtæ versum vociferatus est, 'Reges quoque extitisse de caprariis.'[2] Adversus talem hominis impudentiam immotus fuit Princeps. Sed vota civium absolvit Messallina: non tamen recti studio; sed semper infida scelerum societate accensa, Polybium, suis adulteriis illigatum, corripuit et interfecit:[3] laudandum quidem ob literarum studia[4] et ingenii facilitatem, ni ingenuas artes probrosa fortuna dehonestasset.

3. Verum, ne continuis Messallinæ fœditatibus avocetur legentium animus, lætiora de Britannis narrandum. Aulus Plautius, quem supra memoravi,[5] rem Romanam lentis, sed certis, promoverat incrementis. Barbari frustra impetus fecere, peregrinæ dominationis odio et locorum peritia ad fiduciam elati: semper restitit ducis providentia, et Vespasiani virtus interrita. Periculis quoque lacessita innotuit Titi pietas, ac fortitudo. Patre circumfusis hostibus erepto, non modo servati civis decus obtinuit,[6] sed fugatos barbaros magna clade affecit. Adversis casibus fracti, nihil jam audebant; et Plautius pacis artibus domi-

1 *Potens mastigia*] Hæc, versumque Græcum, habet Dio, Lib. LX. p. 684. Ἀφόρητός ἐστιν εὐτυχῶν μαστιγίας.

2 *De caprariis*] Dio, ibid. p. 685. Βασιλεῖς ἐγένοντο χ' οἱ πρὶν ὄντες αἰπόλοι.

3 *Et interfecit*] Dio, ibid. p. 686.

4 *Literarum studia*] Quæ Seneca commendat in libro, quem de consolatione ad Polybium, morte fraterna mœrentem, scripsit. Homerum et Virgilium commentariis illustraverat. Unde Seneca, libr. cit. cap. 26. 'Homerus et Virgilius, tam bene de humano genere meriti, quam tu de omnibus et de illis meruisti, quos pluribus notos esse voluisti, quam scripserant, multum tecum morentur.' Fabellas quoque scripsit, ut patet ex cap. 27. 'Non audeo te usque eo producere, ut fabellas quoque et Æsopeos logos, intentatum Romanis ingeniis opus, solita tibi venustate connectas.' Suetonius in Claud. XXVIII. ait: Claudio fuisse 'Polybium a studiis, qui sæpe inter duos consules ambulabat.' Eum nempe 'in altiorem ordinem et amor Cæsaris extulit, et studia deduxerunt,' Senec. cap. 25.

5 *Supra memoravi*] In Suppl. Annal. x. 5.

6 *Decus obtinuit*] Dio, Libr. LX. p. 685.

nationem ultra intendit. Cum bella ita starent, missus est proprætor Ostorius Scapula,[1] qui feliciter cœpta continuaret. Plautio decreta ovatio;[2] Urbemque ingresso obviam progressus est Princeps, et in Capitolium eunti, indeque revertenti latus texit: forte ultra Imperatoriam majestatem, at non supra Plautii merita civilis.

4. Hæc inter recruduit, vetus Urbi malum, majestatis crimen, tuendi Principis specie, sed prædandi causa repetitum. Accusati plurimi. Ignobiles tutata est humilitas, dictitante Principe, 'De pulice, ut de fera,[3] non esse vindicandum.' In hoc stetit clementia. Sævitum in nobiles potentesque, quod soli ad prædam sufficerent. Atque ita pereuntibus deerat etiam commune sub prioribus Principatibus solatium, cum, vel morituri, de Claudii crudelitate queri non possent, uxoriam ejus imbecillitatem miserarentur.

5. Una enim tot tantarumque cædium causa erat Messallina. Fœmina, libidinum assuetudine, et Vitellii, scelerum satellitis, societate audax, in civium fortunas vitasque impune grassabatur. Loco criminum erant muliebria odia. Sic in Pompeii Magni,[4] quem nobilitas et cum Cæsaris domo affinitas in invidiam adduxerant, perniciem ruit. Mox Poppæam et Valerium Asiaticum, illam, ob præcellentem formæ pulchritudinem, hunc, propter ingentes opes ipsosque Poppææ amores odiosum, circumvenit. Nam Valerium Asiaticum,[5] bis consulem, fuisse quondam adulterum ejus credidit: pariterque hortis inhians, quos ille a Lucullo cœptos insigni magnificentia extollebat, Suilium accusandis utrisque immittit.

1 *Ostorius Scapula*] Vir bello egregius, ut dicetur Vit. Agric. XIV. De quo multa Annal. XII. 31. et seq.

2 *Decreta ovatio*] Hæc, et quæ sequuntur, Suetonius in Claud. XXIV. Triumphantem, quod non est ex hujus ætatis usu, Plautium inducit Eutropius in Claud. 'Tam civilis circa quosdam amicos extitit (Claudius), ut etiam Plautium nobilem virum, qui in expeditione Britannica multa ac egregia fecerat, triumphantem ipse prosequeretur, et conscendenti Capitolium lævus incederet.'

3 *Ut de fera*] Dio, Libr. LX. p. 685. Εἰπὼν ὅτι, Οὐ τὸν αὐτὸν χρὴ τρόπον ψύλλαν τε καὶ θηρίον ἀμύνεσθαι.

4 *Pompeii Magni*] Crassi et Scriboniæ filii, Antoniæ, Claudii filiæ, mariti. Vide Stem. Cæs. n. 106. Dionem, Libr. LX. p. 668. Zonaram, p. 563. Senecam in Apocolocyntosi.

5 *Nam Valerium Asiaticum*] Hæc et reliqua habet Tacitus Annal. XI. 1.

SUPPLEMENTUM

LIBRI DECIMI SEXTI

ANNALIUM C. C. TACITI.

AUCTORE GABRIELE BROTIER.

BREVIARIUM LIBRI.

Initia hujus libri habet Tacitus. 35. Thraseæ, Sorani et Serviliæ suprema. Paconii et Helvidii exilia. 37. Tiridatis in Urbem adventus. Datum ei regnum Armeniæ, magno Principis dedecore. 47. Neglecta Judæa, bellum adversus Æthiopes Albanosque parat Nero. Interim Achaiam petit, cantaturus. 49. Helii, liberti, in Urbe arrogantia et sævitia. 50. Græciæ urbes scenicis artibus Principis fœdatæ. 52. Nova libidinum portenta. Nero uxorem ducit Sporum. 54. Exhaustæ Imperii opes populorum ruina reparantur. 55. Eadem in Urbe atrocitas. 56. Perfodiendi Isthmi Corinthiaci tentamina. Missi ad id opus a Vespasiano Judæi captivi. 58. Judaici belli initia. 62. Nero turbarum nuntiis in Urbem revocatur, data prius Achaiæ libertate. 64. Triumphans Urbem ingreditur. Fœda scenici triumphi species. 65. Conjuratio retecta, et expiata. 66. Atrocia adversus Principem C. Julii Vindicis consilia: suas in partes Sulpicium Galbam trahit. 72. Nuntiata Galliarum defectione, vana belli meditamenta.

77. Conflata undique in Neronem odia. Patriæ tamen studio, Julii Vindicis cœpta opprimit Verginius Rufus. 80. Hac clade consternatus Galba. 81. At consilia Principis, vere falsove a spadone prodita, ineluctabilem creant ruinam. Senatus, imminere sibi periculum ratus, Neronem prævertere occupat. 82. Nero, vitæ mortisque incertus, fugit. 85. A Senatu hostis, more majorum puniendus, judicatur. 87. Pavens, mortem sibi consciscit: ultima ac pessima Cæsarum stirps. 89. Prodigia. Præceps, sed mutabilis, populi lætitia. Nymphidius, Galbæ favet, Imperii spes in se trahens: mox interficitur. 91. In Neronianæ crudelitatis instrumenta sævitum. 92. Galba, audito Neronis fine, audacior, Romam proficiscitur. Intempestiva severitate, Principatus initia corrumpit.

Hæc gesta annis tribus,

A. U.	J. C.		
DCCCXIX.	66.	Coss.	C. Suetonio Paullino, C. Lucio Telesino.
DCCCXX.	67.	Coss.	L. Fonteio Capitone, C. Julio Rufo.
DCCCXXI.	68.	Coss.	C. Silio Italico, M. Galerio Trachalo.

35.[1] THRASEA, progressus in porticum, illic a quæstore reperitur, lætitiæ propior, quia Helvidium generum suum Italia tantum arceri cognoverat. Helvidium et Demetrium in cubiculum inducit: porrectisque utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, humum super spargens, 'Libemus,' inquit, 'JOVI LIBERATORI. Specta, juvenis, et omen quidem Dii prohibeant; ceterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat constantibus exemplis.' Post lentitudine exitus graves cruciatus afferente, obversis in Demetrium oculis, ejusque aspectu et

[1] 35. Priora capita habet Tacitus Annal. XVI.

verbis animatus, amicis oscula offerens,[1] diu eluctatum spiritum reddidit: vita egregius, mortis contemtor, et adversum præsentia mala adeo firmus, ut dicere esset solitus, 'Malle se hodie interfici, quam cras relegari.'[2]

36. Fato, ut virtute, pares interiere Soranus et Servilia. Exilii pœnam animi excelsitate nobilitavit Paconius.[3] Monitus enim causam suam agi in senatu: 'Bene vertat,' inquit; 'at quinta est hora,[4] frigida lavemus.' Post cum se damnatum audisset, 'Morte, an exilio?' interrogat. Nuntiato exilio, 'Quid de bonis!' ait: 'Servata,' responsum. 'Ariciam[5] ergo petamus, pransuri,' addit ingens animi, et usura vitæ perinde, ac ceteri oppetita morte, illustris. Laudata quoque Demetrii libertas, cui cum Princeps mortem intentaret: 'Quam mihi tu,'[6] inquit, 'hanc tibi natura minitatur.' Audacia, an seminudi philosophi ignobilitas, certe non justitia, non recti amor ei salutem attulit. Helvidius autem, interdicta sibi Italia, Apolloniam concessit:[7] soceri postea ultor et æmulus.[8]

37. Tanta Principis senatusque dedecora velavit Imperio gravis, sed populo læta Tiridatis scena.[9] Nondum visa

1 *Oscula offerens*] Scholiastes Juvenalis in Sat. v. 36.

2 *Cras relegari*] Arrianus, Epictet. I. 1. Θρασέας εἰώθει λέγειν, σήμερον ἀναιρηθῆναι θέλω μᾶλλον, ἢ αὔριον φυγαδευθῆναι. Inter multa alia percelebre ejus effatum, quod commendat Plinius, VIII. Ep. 22. 'Hoc domi, hoc foris, hoc in omni vitæ genere teneamus, ut nobis implacabiles simus; exorabiles istis etiam, qui dare veniam, nisi sibi, nesciunt: mandemusque memoriæ, quod vir mitissimus, et ob hoc quoque maximus, Thrasea, crebro dicere solebat; Qui vitia odit, homines odit.'

3 *Nobilitavit Paconius*] Paconius Agrippinus, de quo dictum Annal. XVI. 28. 29. et 33. Alacrem ejus mentem et adversus imminentia pericula immotam celebrat Arrianus, loc. cit.

4 *Quinta est hora*] Arrianus, loc. cit. 'Αλλὰ ἦλθεν ἡ πέμπτη· ταύτῃ δ' εἰώθει γυμνασάμενος ψυχρολουτρεῖν. Male vertit eruditus Wolfius, 'at quintus dies adest.' Sic Plinius senior 'post solem plerumque frigida lavabatur,' *Plin.* III. Ep. 5.

5 *Ariciam*] Nunc *la Riccia*, de qua Hist. IV. 2.

6 *Quam mihi tu*] Arrian. Epictet. I. 25. 'Απειλεῖς μοι θάνατον, σοὶ δ' ἡ φύσις. Inter multa alia et magnifica ejusdem Demetrii effata, præcipuum hoc, laudatum a Seneca de Providentia, III. 'Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam evenit adversi. Non licuit enim illi se experiri.'

7 *Apolloniam concessit*] Scholiastes Juvenalis, Sat. v. 36. Licet plures fuerint Apolloniæ, hæc videtur fuisse Apollonia in Epiro, nunc *Polina*.

8 *Ultor et æmulus*] Vide Hist. IV. 5.

9 *Tiridatis scena*] De adventu Tiridatis in Urbem Annal. XVI. 23. Pluri-

tanta hospitum majestas. Longo enim superstitiosoque,[1] sed triumphali pompa[2] superbo, itinere defuncti, aderant Tiridates ejusque uxor, Vologesique et Pacori ac Monobazi[3] filii. Primo in congressu Tiridates, constantiam factis melius quam verbis probari ratus, Neronem quidem, posito genu, salutavit, ferrum vero tradere renuit;[4] 'id servile, et Arsacidarum fastigio indignum' dictitans. Nihil hactenus indecorum. At statim omnia in ludicrum versa.

38. Nero barbari libertatem mirari magis, quam æmulari, gnarus, hospites Neapoli Puteolos[5] duxerat, gladiatoriisque ludis monstrata Imperii magnificentia. Hos edidit Patrobius, libertus,[6] tantoque sumtu, ut toto die soli Æthiopes, virile ac muliebre secus,[7] amphitheatrum sint ingressi. Tiridates, ut ludos honestaret, simulque dexteritatem ostentaret, e sede sua ejaculatus, duos tauros, ut *fertur*,[8] uno ictu transverberavit.

39. Major fuit pompa, at semper theatralis, cum Romam ventum est, diesque affuit, propter nubilum aliquamdiu dilata, qua Tiridates, Armeniæ regnum petiturus, populo

bus Dio, Libr. LXIII. p. 716. et seq.

1 *Superstitiosoque*] Plin. XXX. 2. Tiridates 'navigare noluerat, quoniam exspuere in maria, aliisque mortalium necessitatibus violare naturam eam fas non putant.'

2 *Triumphali pompa*] Ob ingentem comitatum; 'et ideo provinciis gravis,' Plin. loc cit. Præter famulos apparatumque regium, juxta Dionem, loc cit. Tiridaten comitabantur tria millia equitum Parthorum, ac Romanorum plurimi. In singulis urbibus, per quas iter fuit, festiva pompa regie excipiebantur.

3 *Monobazi*] Vologeses Parthorum, Pacorus Medorum, Monobazus Adiabenorum rex. Vide Annal. XV. 1.

4 *Tradere renuit*] Immo ne avelleretur, 'illud vaginæ clavis affixit,' ἀλλ' ἥλοις αὐτὸν τῷ κολεῷ προσέπηξε, Dio, Libr. LXIII. p. 717. Vide et Annal. XV. 31.

5 *Puteolos*] Nunc *Pozzuolo*. De his Annal. XIV. 27.

6 *Patrobius, libertus*] Patrobius, libertus Neronis, hos ludos edidit; Dio, loc. cit. Cujus autem esset luxuriæ in edendis ludis docet Plinius, XXXV. 13. 'Non multum a pulvere Puteolano distat e Nilo arena tenuissima sui parte, non ad sustinenda maria fluctusque frangendos, sed ad debellanda corpora palæstræ studiis. Inde certe Patrobio, Neronis Principis liberto, advehebatur.' Hinc quoque luctantium invidia, cum 'in publica fame, Alexandrina navis nuntiaretur pulverem luctatoribus aulicis advexisse.' Sueton. in Ner. XLV.

7 *Muliebre secus*] Virilis ac muliebris sexus.

8 *Ut fertur*] Dio, loc. cit. Εἴ γέ τῳ πιστόν: 'si tamen credibile est.'

Romano ostenderetur.[1] Pridie Urbs tota, sertis nitida, luminibus collucere:[2] vis ingens hominum viarum strata complere: alii plurimi domorum tecta occupare: populus alba veste, et laureatus, medium obtinere forum: cetera tenere milites, comtis signis armisque præfulgentibus conspicui. Prima luce[3] Nero, triumphantis habitu, forum iniit, comitantibus senatoribus et prætorianis cohortibus. Postquam apud rostra tribunal conscendit, curulique in sella inter signa militaria atque vexilla[4] resedit, Tiridates, regumque filii, ac longum famulitium, per militum ordines ad tribunal progressi, Principem venerati sunt.

40. Clamor populi,[5] ob rei novitatem veterisque fortunæ imaginem gestientis, statim secutus, metum Tiridati incussit. Periculi anceps, obriguit: nec, indicto silentio, rediit prior constantia. Forte etiam Tiridates, adulationem, quæ pericula averteret, regnum assereret, haud veritus, 'se Arsacidarum sanguine ortum' professus est, 'Vologesi et Pacori regum fratrem, servum Neronis, quem ut Deum æque, ac Mithram,[6] venerabatur: sibi nulla, nisi per eum, regni jura: eum sibi fatum, sibi fortunam esse.'

41. Quanto demissius hæc fuerant dicta, tanto ferocius respondit Nero.[7] 'Huc quidem merito venisti, ut præsens præsente me fruerere. Jura, nec a patre relicta, nec a fratribus, licet dedissent, servata, a me accepta habeto. Te regem Armeniæ do. Tu, vosque omnes, me regna dare et

1 *Ostenderetur*] Sueton. in Ner. XIII. 'Armeniæ regem magnis pollicitationibus solicitatum, cum destinato per edictum die ostensurus populo propter nubilum distulisset, produxit, quo opportunissime potuit.'

2 *Luminibus collucere*] Hæc et seq. Dio, loc. cit.

3 *Prima luce*] Dio, loc. cit. Ἅμα τῇ ἡμέρᾳ.

4 *Atque vexilla*] Sueton. loc. cit.

5 *Clamor populi*] Dio, Libr. LXIII. p. 717. et 718.

6 *Ac Mithram*] Dio, loc. cit. Σὸς δὲ δοῦλός εἰμι καὶ ἦλθόν τε πρὸς σὲ τὸν ἐμὸν θεὸν, προσκυνήσων σε, ὡς καὶ τὸν Μίθραν. Solem, Mithræ nomine, venerabantur Persæ, aliique plurimi Orientis populi. Vide eruditissimum Hyde, Historia religionis veterum Persarum, p. 106. et seq. Ejus cultus apud Romanos invaluit, unde tot monumenta, D. SOL. INVICT. MITHR. id est, 'Deo Soli invicto Mithræ,' nuncupata: qua de re vide eruditum Philippum a Turre, Monumenta veteris Antii, p. 157. ubi multa de Mithra ejusque tabulis symbolicis.

7 *Respondit Nero*] Hoc Neronis responsum habet Dio, loc. cit.

adimere intelligite.' Mox Tiridaten,[1] per devexum pulpitum subeuntem, ad genua admisit; allevatumque dextra exosculatus est. Dein regnum precantem, tiara deducta, diademate evinxit: plaudente multitudine, et verba supplicis, prætorio viro interpretata, ingeminante.

42. Inde ad Pompeii theatrum discessum est. Nunquam tanta apparuit auri vilitas.[2] Non modo scena, sed interior theatri ambitus auro opertus: illud inumbrabant vela purpurea, quorum media in parte Nero, currus agitator, acu pictus videbatur, aureis stellis circumdatus. Ante consessum, rursus a Tiridate supplicatum est: deinde juxta Principem latere dextro collocatus,[3] spectavit ludos, in quibus nihil usurpatum, nisi auro fulgidum. Aurea oculorum delinimenta pretiosius convivium excepit.[4] Post rediere ludi, sed dedecore Imperatorio fœdi. Principem enim haud puduit cithara ludicrum in modum canere, currumque, prasina veste,[5] aurigarumque habitu, agitare.

43. Inter hæc opprobria, indecoro populi plausu aucta, Tiridates, Corbulonis virtutem reputans, nec indignationis potens, scenico Principi 'Corbulonem bonum mancipium'[6] gratulatus est. Neronis mentem, insana lætitia vagam, non advertit barbari audacia. Immo publica de infamia certantibus Principis et populi studiis, quasi per hæc deri-

1 *Mox Tiridaten*] Hæc Sueton. in Ner. XIII. et Dio, loc. cit.

2 *Auri vilitas*] Ideo, teste Dione, loc. cit. dies ille aureus appellatus est, ἀφ' οὗ καὶ τὴν ἡμέραν αὐτὴν χρυσῆν ἐπωνόμασαν. Vere Plinius, XXXIII. 3. n. 16. '*Nos fecimus*, quæ posteri fabulosa arbitrentur. *Cæsar*, qui postea dictator fuit, *primus in ædilitate munere patris funebri, omni apparatu arenæ argenteo usus est.—C. Antonius ludos scena argentea fecit.—Nero Pompeii theatrum* operuit auro in *unum diem*, quod *Tiridati* regi Armeniæ ostenderet. *Et quota pars ea fuit aureæ domus ambientis urbem!*' In aurea domo, de qua modo dictum. Plura autem vide in not. ad Annal. XV. 42. Quanti tunc forent in conviviis sumtus æstimari potest ex notis ad Annal. XV. 37.

3 *Collocatus*] Sueton. loc. cit.

4 *Convivium excepit*] Dio, loc. cit.

5 *Prasina veste*] Dio, loc. cit. Agitatorum factiones vestium colore noscebantur. Inde in veteri marmore apud Gruterum, p. 337. memoratur AGITATOR FACTIONIS ALB. id est, *albatæ*. FACTIONIS RUSSATAE. FACTIONIS VENETAE, seu *cœruleæ*. FACTIONIS PRASINAE, id est, *viridis*.

6 *Bonum mancipium*] Dio, loc. cit. Ἀγαθὸν, ὦ δέσποτα, ἀνδράποδον Κορβούλωνα ἔχεις.

dicula confecto bello Armeniaco, Nero *Imperator* consalutatur; laureaque in Capitolium lata, Janum clusit:[1] hac victoriæ imagine, quam ludicro certamine, fœdior.

44. Regni autem certus, Urbis Principisque inclinatione suam ad utilitatem usus est Tiridates. Jam pridem Roma, fortunæ suæ non capax, ad portentosa se converterat: iis abundabat Tiridatis aula, utpote qui, Orientis more, reconditioribus mathematicæ doctrinæ artibus gloriabatur. Scientiæ fidem faciebat numerosa magorum cohors, regios inter comites præcipua. Quirites de se, de superis inferisque sciendi cupidine statim accensi. Sed apud Neronem præpotuere arcana, semper malis Principibus ob futuri formidinem, prodigis propter opum spem grata. Jam didicisse ardet. Discipulo superbus Tiridates, magisterium orditur.[2] Tum visus Imperii Romani arbiter Chaldaicis vanitatibus famulari, initiari cœnis magicis, veneficis artibus, quæ in magicis præpollent, imbui: magna quidem Urbis infamia; majore tamen documento inanem et intestabilem esse artem, quam neque docere posset, qui regnum acciperet, neque valeret ediscere, qui orbi imperaret.

45. At licet elusæ spes, haud imminuta liberalitas, largiore semper Principum munificentia, cum falluntur magis. Igitur, quamvis octingenta nummum millia[3] diur-

1 *Janum clusit*] Sueton. in Ner. XIII. Testis quoque nummus ære magno, quem laudavi supra Annal. XVI. 28.

2 *Magisterium orditur*] De hoc magisterio insignem locum habet Plinius, XXX. 2. At cum longior sit, quam ut exscribatur, præcipua seligam. Magia 'et aqua, et sphæris, et aëre, et stellis, et lucernis ac pelvibus, securibusque, et multis aliis modis divina promittit: quæ omnia ætate nostra Princeps Nero vana falsaque comperit: quippe non citharæ tragicique cantus libido illi major fuit, fortuna rerum humanarum summa gestiente in profundis animi vitiis. Primumque imperare Diis concupivit, nec quicquam generosius valuit. Nemo unquam ulli artium validius favit. Ad hæc, non opes ei defuere, non vires, non discentis ingenium, aliaque non patiente mundo. Immensum *et indubitatum* exemplum est *falsæ artis*, quam dereliquit Nero—Magus ad eum Tiridates venerat—Magos secum adduxerat. Magicis etiam cœnis eum initiaverat. Non tamen, cum regnum ei daret, hanc ab eo accipere artem *valuit*. Proinde ita persuasum sit, *intestabilem*, irritam, inanem esse, habentem tamen quasdam veritatis umbras: sed in his veneficas artes pollere, non magicas.'

3 *Octingenta nummum millia*] Sue-

na Tiridati fuissent erogata, abeunti super sestertium millies collatum est. Permissum adhuc ut Artaxata, ante, ut supra memoratum,[1] deleta instauraret. Dati quoque artifices, quibus plurimos, mercede conductos, adjunxit. Sic graviore impendio datus Armeniæ rex, quam olim confecta bella maxima.

46. Iis auctus muneribus, nec patriæ superstitionis solicitus, Tiridates Brundisio[2] solvit, Dyrrhacium[3] petiturus. Inde Asiæ urbes invisit, Imperii opes vanasque Principis curas passim miratus. Nondum Armeniam erat ingressus, cum Corbulo, obviam progressus, datos quidem artifices[4] regem sequi permisit; sed coacti pecunia jussi Romam reverti. Quod Romanæ dignitatis tuendæ studium ducis famam intendit, Principis minuit. Beneficiorum tamen haud immemor Tiridates Artaxata, quibus nomen fecit *Neroneia*,[5] restituit.

47. Interea apud Judæos, gentem sibi discordem, dirum exarserat bellum, Gessii Flori[6] procuratoris avaritia, Cestii Galli Syriæ legati tarditate, cum magna Romanorum clade, capta una aquila, cœptum, felicibus Vespasiani auspiciis reparatum, ac tandem invisæ gentis excidio abso-

ton. in Ner. xxx. Nero 'divitiarum et pecuniæ fructum non alium putabat, quam profusionem: sordidos ac deparcos esse, quibus ratio impensarum constaret: prælautos vereque magnificos, qui abuterentur ac perderent—Quare nec largiendi, nec absumendi, modum tenuit. In Tiridatem, quod vix credibile videatur, octingenta nummum millia diurna erogavit, abeuntique super sestertium millies contulit.' Octingenta nummum millia sunt Angl. 6666*l.* 13*s.* 4*d.* Cum per novem menses, teste Dione, Libr. LXIII. p. 716. id fuerit erogatum, sunt Anglice circiter 1,800,000*l.* Adde millies sestertium abeunti collatum, quod efficit Angl. 833,333*l.* 6*s.* 8*d.* Accepit ergo Tiridates a Nerone Anglice circiter 2,600,000*l.* Immo Dio, Libr. LXIII. p. 718. ait, 'assentationis præmia, data munera pretio, ut fertur, ad bis millies sestertium,' διὰ τοῦτο δῶρά τε παντοδαπὰ πεντακισχιλίων μυριάδων ἄξια, ὥς φασιν, ἔλαβε. Proinde, si Dioni fides, dedit Nero Anglice circiter 3,500,000*l.* Mirare Principis prodigalitatem, qui, cum tantam pecuniarum vim in Tiridaten impendisset, Vologesen adhuc enixe orabat, ut Romam veniret, Dio, LXIII. p. 719.

1 *Supra memoratum*] Annal. XIII. 41.

2 *Brundisio*] Nunc *Brindisi*, in regno Neapolitano.

3 *Dyrrhacium*] Nunc *Durazzo*, in Albania.

4 *Datos quidem artifices*] Dio, Lib. LXIII. p. 718.

5 *Neroneia*] Dio, ibid.

6 *Gessii Flori*] Tacit. Hist. V. 10. Sueton. in Vespasian. IV.

lutum, uti fusius alias sumus dicturi.[1] At id curæ tum spernebat Nero, famæ quidem appetens, sed quæ per immodica pararetur. Neglecto itaque præsenti discrimine, ingentia agitabat consilia, quibus Æthiopes Albanosque[2] Imperio Romano adderet.

48. Dum mittuntur exploratores, ceteraque magno apparatu disponuntur, forte venere e Græcis civitatibus, musicos agones edere solitis, legati, qui omnes citharœdorum coronas ad ipsum perferrent.[3] Mirum ut placuit novum assentationis genus. Legati statim admissi, familiaribus inserti epulis: adulationis periti, Principem ut 'super cœnam cantet' rogant. Vix audiere, in laudes effusi, insitam vanitatem ita inflavere, ut 'solos scire audire Græcos, solos se, solos studiis suis dignos' jactitet: 'se eo profecturum, ut Romam totumque terrarum orbem coronet.'[4] Nihil veteris solicitudinis superest. In theatricam expeditionem præceps, Achaiam petit:[5] ad scenam, ut ad bellum[6] profectus. Tigellino enim duce, comes ibat Augustanorum et scortorum turba, citharis, plectris, personis, libidinum ornamentis, aut incitamentis, gravis. Ut primum Cassiopen[7] trajectum, statim ad aram Jovis Cassii[8] cantus cœpere. Sic Græcia tot ante annos

1 *Sumus dicturi*] Infra cap. 57. et in Suppl. Hist. v. 27. et seq.

2 *Albanosque*] Tacit. Hist. I. 6. Dio, Libr. LXIII. p. 719. Plin. VI. 13. et 29. Sueton. in Ner. XIX. 'Parabat et ad Caspias portas expeditionem, conscripta ex Italicis senum pedum tironibus nova legione, quam Magni Alexandri phalangem appellabat.'

3 *Perferrent*] Dio, loc. cit. Sueton. in Ner. XXII.

4 *Coronet*] Ex veteri usu. Unde Plinius, VII. 26. 'More sacris certaminibus vincentium. Neque enim ipsi coronantur, sed patrias suas coronant.'

5 *Achaiam petit*] Hujus navigationis testis nummus argenteus, ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡ.ΑΥ. id est, 'Nero Cæsar Augustus Germanicus Imperator,' capite radiato. ꜀Ε. ΙΓ. 'anno decimo tertio Imperii:' in aversa parte, navis inflatis velis, ΣΕΒΑΣΤΟΦΟΡΟΣ, id est, 'vectrix Augusti.' Alio, sed perperam, hunc nummum trahit Harduinus, Selecta Opera, p. 636.

6 *Ut ad bellum*] Dio, loc. cit. Nec mirum, cum quinque millia Augustanorum haberet, Dio, Lib. LXI. p. 699. Atque etiam 'nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata et phalerata cum Mazacum turba, atque cursorum,' Dio, in Ner. XXX.

7 *Cassiopen*] Sueton. in Ner. XXI. Cassiope, hodie *S. Maria di Cassopo*, urbs insulæ Corcyræ, *Corfu*.

8 *Ad aram Jovis Cassii*] Illa ara et

Flaminii, Mummii, Agrippæ et Augusti victoriis ac legibus fracta, vitiorum dulcedine tandem vicit: ipseque Princeps de se triumphum attulit.

49. L. Fonteio Capitone, C. Julio Rufo consulibus, res Romana, absente Principe, permissa Helio, liberto,[1] sub priore Principatu scelerum ministro, nunc eo nequiori, quod ad veterem usum major accedebat auctoritas. Sueta ignobilibus hominibus vitia, superbia, audacia, avaritia, sævitia confestim erumpere. Injuriis, minis, exiliis, mortibus adversus omne genus hominum ipsumque senatorium ordinem grassatur.[2] Facilitate criminum gliscit temeritas; idque malorum summum civitas experta, ut cum præsentem horruisset Principem, absentem desideraret.

50. At, gloriæ amens, hoc unum satagebat, ut diversissimorum temporum,[3] sed in hunc annum coactas omnes Græcorum palmas unus acciperet. Itaque per singulas urbes, ludorum fama nobiles, promisso crine, resecta barba,[4] ire, canere, aurigare, certare, tragœdias agere, et pro scenarum ratione, nunc furere, nunc parturire, nunc excœcari, modo religari:[5] id tantum cavere ne ferro violarentur[6] Imperatoriæ manus, quasi aureis compedibus minus sordescerent: totos vero dies in hæc ludicra ita soli-

imago Jovis Cassii, aut Casii, ut appellant Græci, sæpe occurrit in nummis Corcyræorum, inscriptis ZEYC KACIOC. Memorat quoque Plinius, IV. 12. 'oppidum Cassiopen et templum Jovis Cassii.'

1 *Helio, liberto*] De quo Annal. XIII. 1. Dio, Libr. LXIII. p. 720. Socium libidinis ac prædarum habebat Polycletum, libertum, jam memoratum Annal. XIV. 39. et dicendum infra Hist. I. 37.

2 *Grassatur*] Dio, loc. cit.

3 *Diversissimorum temporum*] Sueton. in Ner. XXIII. 'Certamina deinceps obiit omnia. Nam et quæ diversissimorum temporum sunt, cogi in unum annum, quibusdam etiam iteratis, jussit. Olympiæ quoque præter consuetudinem musicum agona commisit.'

4 *Resecta barba*] Dio, Libr. LXIII. p. 719.

5 *Modo religari*] Sueton. in Ner. XXI. 'Inter cetera cantavit Canacen parturientem, Orestem matricidam, Œdipodem excœcatum, Herculem insanum. In qua fabula fama est tirunculum militem positum ad custodiam aditus, cum eum ornari ac vinciri catenis, sicut argumentum postulabat, videret, accurrisse ferendæ opis gratia.' Quidam interrogatus, 'quid faceret Imperator,' respondit facete, 'Parit.' Canacen enim agebat. Dio, Lib. LXIII. p. 720.

6 *Ferro violarentur*] Dio, ibid.

cite impendere, ut abesse, tædere, otiose spectare, discedere nefas foret pœna expiandum.[1]

51. Ob id reus Vespasianus,[2] quodque, canente Principe, discederet sæpius, aut præsens obdormisceret, non contubernio tantum, sed publica etiam salutatione fuit prohibitus. Jamque extrema metuens, in devium oppidulum secesserat, intuta adhuc latebra, ni mox, fatis eum ad summa vocantibus, rebus in Judæa afflictis fugatoque Cestii Galli [3] exercitui suppetias ferre jussus esset. Mira sane fortunæ natura, quæ, per res adversas Romanæque majestatis ludibria, Imperio ultorem, Principemque, priscæ dignitatis et severitatis vindicem, destinabat.

52. Interim Nero, oraculorum vanitate, acriore Principum libidine accensus, ludorum infamiæ scelerum portenta addere; novaque excogitare, ne ipsum plebemque, flagitiorum assuetudine morosam, varietate mobilem, satias caperet. Igitur, jam obsolescente Pythagoræ connubio, alias superaddit nuptias;[4] et Sporum, a Tigellino cum dote et flammeo deductum, uxorem accipit, plaudentibus Græcis, liberosque precantibus. Data Sporo, in alteram Sabinam mutato, Calvia Crispinilla,[5] cui nihil præter natales inerat nobile, quæ muliebrem ejus ornatum curaret. Principi,

1 *Pœna expiandum*] Sueton. in Ner. xxiii.

2 *Reus Vespasianus*] Suetonius in Vespas. iv.

3 *Cestii Galli*] De quo supra cap. 47.

4 *Superaddit nuptias*] Ita tamen, ut simul et Pythagoram maritum, et Sporum uxorem haberet, *ἅμα τῷ Νέρωνι Πυθαγόρας μὲν ὡς ἀνὴρ, Σπόρος δὲ ὡς γυνή*. Dio, Libr. lxiii. p. 721. Cum puerum Sporum uxorem duxit, tunc vulgatus 'cujusdam non inscitus jocus: Bene agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius, pater (Neronis), talem habuisset uxorem.' Contra vero Nero amore ita insanus erat, ut honores maximos, immensam pecuniæ vim proponeret, si quis Sporum facere posset mulierem, et reperti, qui id pollicerentur. Dio Chrysostomus, Orat. xxi. p. 270. et seq. Fuere quoque, qui postea in Urbe, ad omne flagitium prona, portentosam hanc Neronis libidinem imitarentur. Unde Martialis, Epigr. xii. 42. 'Barbatus rigido nupsit Callistratus Afro Hac qua lege viro nubere virgo solet. Præluxere faces, velarunt flamina vultus, Nec tua defuerant verba, Thalasse, tibi: Dos etiam dicta est. Nondum tibi, Roma, videtur Hoc satis; expectas numquid et ut pariat.'

5 *Calvia Crispinilla*] Dio, Libr. lxiii. p. 720. De illa quoque Hist. i. 73.

tot libidinum formis hominum vitia supergresso, placuit tandem belluina æmulari;[1] et, quod dictu incredibile, superare valuit: immo id etiam assequi, ut Historiam, quæ quicquid in vitiis insolens ad odium commendare gestit, nova stuprorum monstra, quorum ipsum nomen scelus foret, silere coëgerit.

53. Non tamen victa tantis flagitiis conscientia, sed immanem animum pudore pariter ac terrore laniabat. Hinc licet foret destinatum præcipuas Græciæ urbes ea turpitudinum illuvie fœdare, Lacedæmone tamen et Athenis[2] abstinuit; Lycurgum veritus, si urbem, tanta legum sanctitate, virtutum claritate celebratam, intraret. Magis adhuc terruere Furiarum sacra,[3] Athenis peragi solita: formidata quoque Eleusinia, quorum initiatione impii et scelerati voce præconis submovebantur.[4] Forte quis in hoc vitiorum profundo hanc superstitionis vim mirabitur. At a natura, cujus interest scelera infamare, sapienter consultum est, ut improbi raro a superstitione sint intacti.

54. Reliquæ autem urbes, hac fama non defensæ, ad opprobria patuere: ne invitæ quidem, quod et solita Principum admiratione, et præmiis, ad obsequium laudesque traherentur. Olympiorum ergo[5] et Pythiorum judicibus in eam servitutem corruptis, omnes certatim in venerationem ruere, victoriarum omnium titulos in unum et immeritum caput congerere, undique coronas aureas afferre, et, quem infra homines viderent, Deum appellare. Sed improsperæ adulationis, serius adhuc expiandæ, brevi eas pœnituit, postquam exhaustas Principis opes suis civiumque fortu-

1 *Belluina æmulari*] Dio, Lib LXIII. p. 721. Sueton. in Ner. XXIX.

2 *Et Athenis*] Dio, loc. cit.

3 *Furiarum sacra*] Ob cædis matrem 'sæpe confessus exagitari se materna specie, verberibus Furiarum, ac tædis ardentibus.'

4 *Submovebantur*] Sueton. in Ner. XXXIV.

5 *Olympiorum ergo*] Philostrat. Vita Apollon. IV. 24. Dio, Libr. LXIII. p. 720. Alienæ autem gloriæ ita invidus, ut 'ne cujus alterius hieronicarum memoria, aut vestigium, extaret usquam, subverti et unco trahi, abjicique in latrinas omnium statuas et imagines' imperaverit, Sueton. in Ner. XXIV. Alia invidiæ et crudelitatis argumenta, maxime cum in Isthmiis Epirotam interfecit, vide apud Lucianum, p. 1145.

nis[1] reparari sensere, easque per nobilissimorum quorumque cædes peti. Nec luctus, nisi majore adhuc formidine, repressus, exilio damnatorum liberis[2] intentato.

55. Haud melior Urbis conditio, quamvis Patres ad singulas victorias (nos enim in hæc verborum mendacia cogunt tempora) erecti, continuas supplicationes haberent, iis etiam tam immodice fastos onerarent, ut ne annus quidem[3] sufficeret. Immo ut in se impensarum partem traherent, absenti Principi annuum centies HS.[4] decreverant. Helius tamen materiam criminandi adhuc arripuit, quosdam non satis favere, alios invidere causatus. Inde equester ordo damnatus voti, quo obstricti Augustani se Principi statuam mille pondo[5] posituros spoponderant. Quod vero atrocius, Pythici cognomen, a majoribus acceptum, Sulpicio Camerino in perniciem cessit, quasi, hoc retento, in Pythicas Neronis victorias foret impius: tali crimine irretiti pater filiusque cecidere.[6]

56. Gravior adhuc malorum moles incubuit, cum furor incessit Isthmum Corinthiacum[7] navigabili alveo perfodere. Quod quidem non publica utilitate[8] susceptum, sed quia naturam vincere, et a Demetrio rege, dictatore Cæsare,

1 *Civiumque fortunis*] Dio, loc. cit.

2 *Damnatorum liberis*] Dio, ibid.

3 *Ne annus quidem*] Dio, Libr. LXIII. p. 723. Inde postea a Patribus delecti, qui 'Fastos adulatione temporum fœdatos exonerarent,' Tacit. infra Hist. IV. 40.

4 *Centies HS.*] Centies sestertium, seu centies centena millia sestertium, Angl. 83,333*l.* 6*s.* 8*d.*

5 *Mille pondo*] Dio, LXIII. p. 723. Si aurea fuit hæc statua, sine manipretio constitit Anglice circiter 40,000*l.* Si vero argentea, Anglice circiter 2750*l.* quod infra hujus ætatis luxum et Neronis vanitatem.

6 *Cecidere*] Dio, ibid. De Sulpicio Camerino Annal. XIII. 52.

7 *Isthmum Corinthiacum*] Adventum Neronis Corinthum, consiliumque perfodiendi Isthmi, *the isthmus of Corinth,* testantur nummi plurimi, tum Latini, tum Græci, inscripti: ADV. AVG. vel ADVENTVS AVG. COR. et ΠΟΣΕΙΔΩΝ ΙΣΘΜΙΟΣ, aut ΖΕΥΣ ΙΣΘΜΙΟΣ. Nempe Corinthii Neronem Neptunum Jovemque Isthmium appellabant, sicut in nummis Magnesiorum Lydiæ, quos publicavit Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Peuples et de Villes*, vol. III. p. 235. dicitur NE. KAI. ZEYC ΕΛΕΥΘΕΡΙΟC, id est, 'Nero Cæsar Jupiter liberator.' Isthmus, teste Plinio, IV. 4. patet quinque millia passuum.

8 *Publica utilitate*] Publica quidem hoc in opere fuisset utilitas, ob longum et ancipitem navium ambitum, quas magnitudo plaustris transvehi prohibebat, ut ait Plinius, loc. cit. At eam non spectabat Nero, portentosi tantum operis curiosus.

Caioque Principe incassum tentata[1] exequi, splendidum haberetur. Tanta laude jam animo præoccupata, Nero, dux operis, ligone aureo fossam aggreditur,[2] 'ut sibi populoque Romano bene res verteret' precatus. Undequaque pecunia, materiæ, operæ conquisitæ: fodiendis ac comportandis terris destinati exercitus. Captivi et rei ad dura et saxosa[3] damnati.

57. Cum ita ferverent operæ, in auxilium simul et in victoriæ monumentum venere lectissimorum captivorum sex millia,[4] quos, expugnata Tarichea,[5] mittebat Vespasianus. Rei enim militaris scientia et longo usu in Britannia probatus, vix Judaicum bellum capessivit, cum statim correcta castrorum disciplina, Romanis armis auctoritatem restituit. Verum nec sibi, nec patriæ fieri satis ratus, ni gentem, mentis mobilitate et oraculorum ambagibus[6] turbidam, ita contereret, ut nunquam resurgeret audacia, graviorem belli molem intulit. Itaque additis ad copias duabus legionibus,[7] octo alis, cohortibus decem, et majore filio,[8] spectatæ

1 *Tentata*] Immo et 'infausto, ut omnium patuit exitu, incepto,' Plin. loc. cit. Nempe victus Demetrius, in custodia periit. Julius Cæsar, Caius Caligula, Nero, violenta morte occubuere.

2 *Fossam aggreditur*] Sueton. in Ner. xix. 'In Achaia Isthmum perfodere aggressus, prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus est: tubaque signo dato, primus rastello humum effodit, et corbulæ congestam humeris extulit.' Multa quoque hac de re habent Dio, lxiii. p. 722. Philostrat. Vit. Apollon. iv. 24. Pausanias, Libr. ii. in Corinthiac. p. 112. Inter Luciani opera extat quoque dialogus, inscriptus *Nero*, p. 1142. et seq.

3 *Et saxosa*] Integra mansere; prius derelicto opere, quam huc perventum, Pausanias, *loc. cit.*

4 *Sex millia*] Joseph. Bell. Judaic. iii. 10. n. 10.

5 *Tarichea*] Sueton. in Tito, iv. De hac urbe modo dicetur infra.

6 *Oraculorum ambagibus*] Cum Judæi, quæ a Prophetis, maxime a Daniele, ii. 44. vii. 27. Michea, iv. 1. et seq. de futuro Christi regno fuerant prænuntiata, ad ambitiosas regni sui spes traherent.

7 *Duabus legionibus*] Sueton. loc. cit. Vespasiani copias diligentius recenset Josephus, Bell. Jud. iii. 4. n. 2. et iii. 9. n. 1. Nempe aderant quatuor legiones, v. x. xii. et xv. viginti tres cohortes, et una equitum turma: quinque aliæ turmæ Syrorum equitum. Ex iis cohortibus, decem singulæ habebant mille pedites: reliquæ, pedites sexcentos, equites centum et viginti. Præterea reges Antiochus, Agrippa et Sohemus bina millia peditum sagittariorum et mille equites suppeditabant. Arabs quoque Malchus misit mille equites, et quinque millia peditum, quorum pars major erant sagittarii. Itaque Vespasiani exercitus constabat sexaginta circiter hominum millibus, præter ingentem calonum multitudinem.

8 *Majore filio*] Tito, Sueton. loc. cit.

virtutis juvene, inter legatos assumto, Galilææ, locorum natura et arte munitissimæ, primum incubuit. Omissaque clementia Romana, seu quod Judæos ea indignos judicaret, seu quod ipsi, ea spreta, in exitium ruerent, seu potius, ut pluribus visum, quod iratum numen gentis excidio execranda scelera ultum iret,[1] omnia ferro flammaque vastata. Certe ab Urbe condita nullo in bello tantum hostilis sanguinis fusum est.

58. Nam ut primum percrebuit rumor Vespasianum adventare, Judæi, præsidium Romanum Ascaloni impositum,[2] aggredi ausi, gemina clade, quæ decem et octo millia hominum absumsit, ab Antonio affecti sunt. Mox Vespasianus, ut contumaciam infringeret, captam Gadaram[3] ejusque vicos igne delevit, puberibus omnibus trucidatis. Deinde Jotapatam,[4] castellum munitissimum, cinxit obsidione; quæ quoniam locorum difficultate et obsessorum pertinacia in longum traheretur, ne ceteris hostibus crescerent animi, Trajanum,[5] decimæ legionis præfectum, et Cerialem, quintæ tribunum, in diversa misit, ut terrorem late facerent. Ille, cæsis hominum quindecim millibus, Japha oppido[6] potitus est: hic Samaritanorum undecim millia in monte, cui nomen Garizim,[7] præcipuæ apud eos

1 *Ultum iret*] Ac maxime ob infandam Jesu Christi necem, de qua Daniel, IX. 26. 'Occidetur Christus: et non erit ejus, (Hebraice, non erit ei, ואין לו) populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.' Quibus verbis elucidandis, et eventibus cum vaticinio comparandis, immorari neque est hujusce instituti operis; neque operæ pretium, cum id eruditissimi viri evidentissimum fecerint.

2 *Ascaloni impositum*] Joseph. Bell. Jud. III. 2. Ascalon, urbs maritima tribus Simeon, hodie *Scalona*. Ascalonis fidem testatur Neronis nummus hoc anno cusus, AΣKAΛΩ. AOP. id est, 'anno centesimo septuagesimo primo.' Vide Harduinum, Selecta Opera, p. 636.

3 *Captam Gadaram*] Joseph. Bell. Jud. III. 7. Gadara, *Kédar*, urbs tribus Manasse trans Jordanem, in Galaitide. Tunc cusus a Gadarensibus Neronis nummus, de quo Harduinus, Selecta Opera, p. 637. ΓAΔAPEΩN. E. ΛAP. id est, 'anno centesimo trigesimo primo.'

4 *Jotapatam*] Joseph. loc. cit. n. 4. et seq. Jotapata, urbs tribus Zabulon, in Decapoli, Galilææ munitissima.

5 *Trajanum*] Patrem Trajani Imperatoris.

6 *Japha oppido*] Japha, *Saphet*, in Jotapatæ vicinia, ἐπί τινα τῶν τῆς Ἰωταπάτης ἀστυγειτόνων πόλιν, Ἰαφὰ καλεῖται. Joseph. Bell. Jud. III. 7. n. 31.

7 *Garizim*] Garizim, in tribu Ephraim, mons Samariæ editissimus, in quo

religionis, congregata, ad unum occidit. Interim Jotapatam admotæ machinæ acrius quatiebant, Romanorumque animis periculorum diuturnitate ac recenti ducis vulnere[1] exasperatis, tandem Kalendis Juliis,[2] præeunte Tito, expugnata est: in ea quadraginta hominum millia periisse constitit: magnus quoque fuit captivorum numerus, quos inter Josephus,[3] ingenio et scientia militari non indecorus, adulatione verius, quam augurio, Imperium Vespasiano Titoque ominatus, favorem captavit.

59. Tum legiones, his laboribus fessæ, in hyberna concessere,[4] quinta et duodecima Scythopolim,[5] decima et quintadecima Cæsaream.[6] Sævitum tamen in proximam Joppen,[7] piraticis latrociniis infamem. Mox ante hyemem bellum renovatum est. Orabat enim Agrippa,[8] ut Tiberias[9] et

templum Hierosolymitano æmulum. Templum illud exhibet egregius nummus, quem juris publici fecit Cl. Pellerin, *Mélange de Médailles*, vol. I. p. 316. I. I. M. M. C. C. PHILIPPIS, id est, 'Imperatoribus Cæsaribus Philippis,' Capita Philipporum patris ac filii. In aversa parte Venus stat ante Herculem; et in summa nummi parte, mons Garizim et templum, hinc Luna, inde Sol. Inscriptio, NEAPOL. NEOCORO. COL. id est, 'Neapolis Neocoros Colonia.' Neapolis, hodie Naples.

1 *Ducis vulnere*] Vespasiani. Joseph. Bell. Jud. III. 7. n. 22.

2 *Kalendis Juliis*] Πανέμου νουμηνία, primo Panemi mensis die, Joseph. Bell. Jud. III. 7. n. 36.

3 *Josephus*] Qui historiam suam fuse ipse prosequitur, Bell. Jud. III. 8. Scriptor singularis, in quo plurima argueris, multa tamen laudaveris.

4 *Concessere*] Joseph. Bell. Jud. III. 9. n. 1.

5 *Scythopolim*] Urbem tribus Manasse, cis Jordanem. Dicta est primum Bethsan, deinde Nysa, ac demum *Scythopolis*. Ruderibus manet adhuc nomen *Scythopoli*. Hoc anno cusus nummus, quem protulit Cl. Liebe, Thesaur. Frideric. p. 335. Caput Neronis corona hederacea cinctum, in area hinc E. inde ΕΙΡ, id est, 'anno centesimo decimo quinto' æræ Scythopolitanæ, seu Cæsaris; ex adversa parte in corona spicea ΝΥϹΑΙΕ-ΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ϹΚΥΘΟΠΟΛΙΤΩΝ. De nummis Scythopolis, ejusque æra, vide Cl. Belley, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, vol. XXVI. p. 415.

6 *Cæsaream*] Urbem Palæstinæ maritimam et celeberrimam. Tum cusus præstantissimus nummus Cl. Pellerin, *Mélange de Médailles*, vol. II. p. 34. ΝΕΡΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ, 'Nero Augustus Cæsar,' capite laureato. In aversa parte, Dea Astarte caput Osiridis dextra gestat, ΚΑΙΣΑΡΙΑ Η. ΠΡΟΣ. ΣΕ-ΒΑΣΤΩ. ΛΙΜΕΝΙ, id est, 'Cæsarea ad Augustum portum.' In area Ε. ΙΔ. 'anno decimo quarto' Neronis. Vide et Cl. Belley, loc. cit. p. 440.

7 *Joppen*] Urbem maritimam tribus Dan, hodie *Jafa*. In hujus urbis nummo, quem primus protulit Cl. Pellerin, *Recueil de Médailles de Peuples et de Villes*, vol. II. p. 254. dicitur, ΙΟΠΗ.

8 *Agrippa*] Rex Agrippa II. cui partem Galilææ Nero dederat.

9 *Tiberias*] Urbs tribus Zabulon ad lacum Genesareth. Ante vocabatur *Cenereth*, ab Herode in honorem Tiberii dicta est Tiberias.

Tarichea,[1] urbes regni sui validissimæ, a seditiosis occupatæ, ad fidem retraherentur. Regi amico, opem petenti, præsto fuit Vespasianus. Tiberias, imminenti discrimine territa, deditionem[2] properavit. Taricheam seditiosorum duces ad fiduciam erexerant. Sed adversus Titi vim invalida, amissis sex millibus hominum, capta est.[3] Qui in lacum[4] profugere, pariter deleti. Deinde a seditiosis repetita pœna, Vespasianus edixit 'mille ac ducentos viros, ætate et auctoritate præcipuos, interfici; ceteros fore captivos.' Ex iis sex millia, ut diximus, Neroni missa: triginta millia sub corona venumdata: ceteri Agrippæ cessere.

60. Hæc Tarichеæ ruina, et strages Gamalæ edita,[5] in qua omnes contrucidati, vel e summis mœnibus sponte præcipites enecti, terrorem undequaque circumtulere. Nondum tamen seditiosi ad pacis consilia conversi, sed, furentum more, adversis ferociores undequaque concursare, Hierosolyma implere; templum, maxima in veneratione quondam habitum, in arcem vertere, cædibus et summi pontificis[6] cruore fœdare; denique cum nihil sacri haberent, religionem, ut nefanda quæque audere liceret, obtendere.[7] Multi 'discordia propere utendum: Hierosolyma posse opprimi; et unius urbis expugnatione bellum peragi' censebant. Contra Vespasianus: 'Festinatione nihil opus esse: discordes animos ultimo rerum discrimine ad concordiam non exstimulandos: Hierosolyma advenarum colluvie, commeatuum penuria, mutuis cædibus ipsa

1 *Tarichea*] Urbs tribus Issachar ad meridiem lacus Genesareth.

2 *Deditionem*] Joseph. Bell. Jud. III. 9. n. 8.

3 *Capta est*] VI. Idus, seu die 8. Septembris; Γορπιαίου μηνὸς ὀγδόῃ, 'Gorpiæi mensis die octava' Joseph. Bell. Jud. III. 10. n. 10.

4 *In lacum*] In lacum Genesareth, Tarichеæ proximum.

5 *Gamalæ edita*] Gamala, urbs tribus Manasse trans Jordanem, monti imposita et validissima, de qua Sueton. in Tit. IV. Excisa est Gamala die 23. Octobris; Τρίτῃ καὶ εἰκάδι μηνὸς Ὑπερβερεταίου: 'tertia et vicesima die mensis Hyperberetæi,' Joseph. Bell. Jud. IV. 1. n. 10.

6 *Summi pontificis*] Nomine Anani; quem summopere laudat Josephus, Bell. Jud. IV. 3. n. 7. IV. 5. n. 2. Tot vero cædes ibi patratæ, ut inventa sint cæsorum octo millia et quingenti viri. Joseph. Bell. Jud. IV. 5. n. 1.

7 *Obtendere*] Seque appellabant *Zelotas*. Joseph. Bell. Jud. IV. 3. n. 9.

ultro ruere: hostes nunquam certius meliusque confici, quam cum ferro ipsi suo cadunt.' Potior habita est ejus sententia. Itaque per provinciam imposita tantum præsidia, quæ seditiosos frænarent, urbem vallarent.[1]

61. Hæc quidem consulto provisa et fortiter gesta apud Neronem Vespasiano impune erant, ob generis nominisque obscuritatem. Suspectæ enim Principi, flagitiorum conscientia pavido, virtus, opes, nobilitas. Nec aliis criminibus quæsita mors Corbuloni, Scriboniisque fratribus,[2] Rufo et Proculo. His exitium attulit Pactius Africanus,[3] 'opibus, concordia, gestis honoribus, apud exercitus Germanicos auctoritate, Principi formidandos' dictitans. Ob id, dignitatis specie, in Achaiam acciti: ut venere, Principis congressu prohibiti, neglecti, obscuris circumventi sunt criminum rumoribus. Cum nulla esset defensionis spes, morte opprobrio antehabita, vitam, fuso per venas sanguine, finiere.[4] Corbulonem, gloria circumdatum, Nero ipse corripuit, se Imperii incertum ratus, dum viveret: pari fraude usus, sed præsentiam reveritus, Cenchreas[5] adventanti supremam necessitatem nuntiari jubet. Corbulo, 'se dignum'[6] fassus, gladium sua in viscera direxit, ab ignavo Principe deceptum se esse, et inermem venisse indignans.

62. Tantis cædibus conflata odia, nedum facta securitas. Jamque labante Urbis fide, Helius, consilii anceps, Neroni nuntiat, 'quam primum veniat: præsentia ejus Urbicas res egere.'[7] Iis ab insana gloriæ cupidine non retractus, rescribit (nec enim omiserim verba, incredibilis stultitiæ testes) 'Quamvis nunc consilium tuum sit et votum, celeri-

1 *Vallarent*] Hæc Joseph. Bell. Jud. IV. 6.

2 *Corbuloni, Scriboniisque fratribus*] Dio, LXIII. p. 722. Scribonii fratres laudati Annal. XIII. 48.

3 *Pactius Africanus*] De quo infra Hist. IV. 41.

4 *Finiere*] Dio, loc. cit.

5 *Cenchreas*] Cenchreæ, sitæ ad angustias Isthmi Corinthiaci, Orientem versus: hodie *Kenkri*.

6 *Se dignum*] Dio, loc. cit. Ἑαυτὸν ἐῤῥωμένως παίων, ἔλεγεν, Ἄξιος. Τότε γὰρ δή ποτε πρῶτον ἐπίστευσεν, ὅτι κακῶς ἐπεποιήκει, καὶ φεισάμενος τοῦ κιθαρῳδοῦ, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλθὼν ἄνοπλος.

7 *Urbicas res egere*] Sueton. in Ner. XXIII.

ter reverti me: tamen suadere et optare potius debes, ut Nerone dignus revertar.'[1] Helius, gliscente per moras periculo, ipse Achaiam propere petit, ut verbis fidem faciat, 'turbas, conjurationes' admonet.[2] Terrorem incutit monstratum discrimen; sed magis movet præsens Isthmiorum ludicrum: mentem quoque solicitat ingrati animi pudor, si mansura non reliquerit munificentiæ monumenta. His anxius, stadium advolat; mox in foro, haud per præconem, sed sua ipse voce, pro tribunali,[3] 'universam Achaiam liberam' pronuntiat; judicibusque[4] civitate Romana et grandi pecunia[5] donatis, indecoros inter plausus, haud quales olim T. Flaminio[6] auditos, navem conscendit, Italiam repetiturus.

63. Tum consules erant C. Silius Italicus et M. Galerius Trachalus; alter poëtica facultate,[7] alter forensi eloquentia[8] notus: uterque favore Principis, Silius delationibus,[9] invi-

1 *Revertar*] Sueton. ibid.

2 *Conjurationes admonet*] Dio, LXIII. p. 723.

3 *Pro tribunali*] Plutarchus, in Flaminio, p. 376. Aliter Suetonius in Ner. XXIV. 'Quæ beneficia e medio stadio Isthmiorum die sua ipse voce pronuntiavit.'

4 *Judicibusque*] Ludorum.

5 *Grandi pecunia*] Sueton. loc. cit. Quanta fuerit prodigalitas, inde licet conjicere: cum aurigaret 'Olympiis decemjugem, excussus curru, ac rursus repositus, cum perdurare non posset, destitit ante decursum: nec eo secius coronatus est.' Sueton. loc. cit. Quamobrem Hellanodicis, seu judicibus, 'decies sestertium,' Angl. 8,333*l.* 6*s.* 8*d.* dedit. Dio, LXIII. p. 721.

6 *T. Flaminio*] Qui devicto Philippo, Macedonum rege, Græciam in libertatem vindicavit. Hæc libertas, per solenne Isthmiorum ludicrum præconis voce pronuntiata, tantis applaudentium clamoribus excepta est, ut corvi, supra stadium volantes, in terram deciderent, auctore Plutarcho, in Flamin. p. 374. et seq.

7 *Poëtica facultate*] Extant ejus opera, Imperante Domitiano, publicam in lucem emissa. Ante consulatum eloquentiæ foroque operam dedit: unde Martialis, Epigr. VII. 61. 'Perpetui nunquam moritura volumina Sili, Qui legis, et Latia carmina digna toga, Pierios tantum vati placuisse recessus Credis, et Aoniæ Bacchica serta comæ. Sacra cothurnati non attigit ante Maronis, Implevit magni quam Ciceronis opus. Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum: Hunc loquitur grato plurimus ore cliens. Postquam bis senis ingentem fascibus annum Rexerat, asserto qui sacer orbe fuit: Emeritos Musis, et Phœbo tradidit annos; Proque suo celebrat nunc Helicona foro.'

8 *Eloquentia*] Trachali laudes vide apud Quintilianum, Instit. Orat. X. 1. Ejus quoque latum et sonans dicendi genus laudat Tacitus, Hist. I. 90.

9 *Delationibus*] Quam 'maculam veteris industriæ laudabili otio' abluit. 'Fuitque inter principes civitatis sine potentia, sine invidia,' Plin. III. Ep. 7. Tota hæc epistola de morte et laudibus Silii, lectu digna.

sus. Nam in Urbe non spes, non vota amplius occulta. Plurimi adversa tempestate turbidoque mari imminere Principi periculum palam lætabantur,[1] exitium quoque precari ausi. In luctum vertere gaudia, cum Princeps, procella quidem jactatus, amissis naufragio pretiosissimis rebus, Neapolim[2] incolumis pervenit. Urbem, olim gloriæ incunabula,[3] triumphorum nunc testem, revisere gestiit. Hanc albis equis,[4] disjecta muri parte, ut mos hieronicarum est,[5] ingressus, Antium Albanumque pari pompa introiit.

64. Cum Romam perventum est, adornata major triumphi moles; et, ut novum victoriarum genus, nova quoque excogitata decora. Nec Jovi,[6] Imperii præsidi, sed Apollini, citharœdorum numini, supplicatum. Currus tamen Augusti,[7] veteris magnificentiæ triumphatique orbis monumentum, ad hæc ludicra revectus. Ut primum cetera immenso sumtu fuere apparata, murorum Urbis violata majestate, tot abhinc sæculis formidolosis hostibus intacta, per dirutam partem subiit triumphalis pompa; præeuntibus, qui coronas,[8] victoriarum dona, præferrent: mox vecti longo ordine tituli, quibus inscripti quo loco, quo cantionum, quove fabularum argumento partæ victoriæ: deinde inter citharœdorum turmas ibat Augusti currus, in quo Princeps stans veste purpurea, distincta stellis aureis chlamyde, capite coronam olympiacam, dextra Pythiam gerebat, retro stante in eodem curru Diodoro citharœdo.[9] Pone sequebatur, ovantium ritu, plausorum agmen, ' Augusta-

1 *Lætabantur*] Dio, LXIII. p. 723.

2 *Neapolim*] Naples.

3 *Incunabula*] 'Quod in ea (urbe) primum artem protulerat.' Sueton. in Ner. XXV.

4 *Albis equis*] Quod Jovi Deorum regi patrique sacrum. Plutarch. in Camill. p. 132.

5 *Hieronicarum est*] Sueton. loc. cit. De hoc more Vitruvius, IX. in præfat. 'Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent Græcorum majores ita magnos honores constituerunt, uti—cum revertuntur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis, in mœnia et in patrias invehantur.'

6 *Nec Jovi*] Errat enim Dio, LXIII. p. 723. cum ait Neronem primo in Capitolium ascendisse, ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνέβη. Aliter enim Suetonius in Ner. XXV.

7 *Augusti*] Sueton. loc. cit.

8 *Qui coronas*] Quas postea in Circo suo Vaticano, obelisco imposuit, numero mille octingentas octo, ὀκτὼ καὶ ὀκτακόσιοι καὶ χίλιοι. Dio, LXIII. p. 723.

9 *Diodoro citharœdo*] Dio, LXIII. p. 723.

nos se, militesque triumphi'[1] clamitantium. Conferta demum civitas ipsique senatores, contentis vocibus, ingeminabant, 'Io victor Olympice! io victor Pythice, Auguste! io Neroni Herculi! io Neroni Apollini! io omnium victor, Auguste! Sacra vox! Fortunati, quis cœlestem vocem audire datum!' Ita incedenti[2] passim cædebantur victimæ, spargebantur odores, aves, lemnisci, bellaria ingerebantur. Per circum maximum,[3] Velabrum Forumque ducta pompa, Princeps ad palatium ascendit, et, Apolline salutato, Circenses indixit:[4] acriorque rediit ludorum furor: nec in Urbe stetit, per provincias quoque pervagatus.

65. Remordebat tamen identidem memoria turbarum, quas Helius nuntiaverat. Quæsita ex superstitione[5] remedia, quibus fidem fecit casus, statim retecta conjuratione,[6] cum summum instaret discrimen. Nox enim unica restabat[7] Neroni. Qui facinus patrare in se receperat, forte theatrum petiit, et pro foribus vidit vinctum hominem, miserabiliter ejulantem, quod ad Neronem esset ducendus. Ille, misericordia incertum, an jactantia, nimiave silentii mole pressus, misero propinquat, et in aurem insusurrat: 'Dura ad crastinam diem; cras mihi gratiam referes.' Hic novitate spei arrectus, verbaque secum reputans, atrocia introspicit, paratque indicium, in quo salutis certa, plurima fortunæ spes. Ut coram Nerone astitit, audita refert.

1 *Militesque triumphi*] Sueton. loc. cit.

2 *Ita incedenti*] Sueton. loc. cit. 'Incedenti passim victimæ cæsæ, sparso per vias identidem croco, ingestæque aves, ac lemnisci, et bellaria.' Moris enim erat in ludorum triumphis coronas, lemniscos, aliaque id genus munuscula, injici, tanta quandoque copia, ut haud procul periculo essent victores. De lemniscis, Plinius, XXI. 3. 'Crassus dives, primus argento auroque folia imitatus, ludis suis coronas dedit. Accesseruntque et lemnisci, quos adjici ipsarum coronarum honos erat, propter Etruscas, quibus adjungi nisi aurei non debebant.' Lemniscos dicimus, *ribbons*.

3 *Circum maximum*] 'Diruto' etiam 'Circi maximi arcu.' Sueton. in Ner. XXV.

4 *Circenses indixit*] Dio, LXIII. p. 724.

5 *Ex superstitione*] Ac maxime ex Astrologia, cultuque icunculæ puellaris. Vide Suetonium in Ner. XXXVI. et LVI.

6 *Conjuratione*] Hæc forte Viniciana conjuratio, Beneventi conflata, de qua Suetonius in Ner. XXXVI.

7 *Unica restabat*] Id ceteraque conjurationis habet Plutarchus, vol. II. de Garrulitate, p. 505.

Reus, confestim in vincla raptus, tormentis subditur. Adversum verbera et ignes primum pervicax, factum negat: sed supplicii diuturnitate victus, ægre prolato, quod leviter prodiderat, se sociosque eandem in ruinam detrudit. Multo sanguine expiata conjuratione, superstitionis, cujus instinctu detecta credebatur, apud Principem crevit honos: addidit haruspicum extispicia,[1] ut major accederet securitas.

66. Incolumitati cum ita fuisset consultum, intentior fuit libidinum cura. Juvit eas abscondere Neapoli, quod ibi plus deliciarum, minus periculi. Vigebant maxime, quando gravior exorta est procella, quam nec superstitio, nec vis Principis, nec continuata tot annos Cæsarum reverentia averteret. Initium habuit in Galliis. Provinciam pro prætore obtinebat C. Julius Vindex,[2] Aquitanus,[3] stirpe regia oriundus, animi consiliique ingens, tanto acrior, quod pluribus a vitiis integer. Illi non avaritia, non ambitio, non invidia, sed laudis cupido, libertatis studium, propudiosi Principis odium, cujus flagitia pertæsus, publicum dedecus propulsandi impetum cepit.

67. Gallorum quidem certus, sed destitutus legionum auxilio, Sulpicium Galbam, Citerioris Hispaniæ[4] rectorem, nobilitate, opibus, rebus in Germania et Africa gestis, apud legiones auctoritate, aversa a Principe voluntate, ad maturanda ausa non inhabilem solicitat; scriptisque literis, orat ut 'humano generi assertorem ducemque se accommodet:[5]

1 *Extispicia*] Sueton. in Ner. LVI. De haruspicibus extispicis jam dictum Annal. XI. 15.

2 *C. Julius Vindex*] Hæc, et quæ de Vindice sequuntur, produnt Dio, LXIII. p. 724. Sueton. in Ner. XL. Plutarch. in Galba, p. 1054. Perperam tamen Plutarchus Ἰούνιος Οὐίνδιξ, pro Ἰούλιος. Quomodo Vindex ficto pallore Neronem in testamenti spem erectum deceperit, favorem hoc astu emercatus, docet Plinius, XX. 14. Cuminum 'pallorem bibentibus gignit. Ita certe ferunt Porcii Latronis, clari inter magistros dicendi, assectatores, similitudinem coloris studiis contracti imitatos: et paulo ante Julium Vindicem assertorem illum a Nerone libertatis, captatione testamenti sic lenocinatum.' Nummum Vindicis, sed spurium, protulit Mediobarbus, p. 97. ex Strada.

3 *Aquitanus*] Mela, II. 2. 'A Pyrenæo ad Garumnam Aquitania.'

4 *Citerioris Hispaniæ*] Tacit. Hist. I. 49. Sueton. in Galba, VIII. Citerior Hispania, quæ et Tarraconensis, de qua Annal. IV. 45.

5 *Se accommodet*] Sueton. in Galba, IX.

ad partes juvandas centum millia Gallorum parata;[1] plures mox affuturos, tantum ne aspernetur Principatus spem, non quæsitam, sed oblatam.' Simul scriptum aliis exercituum provinciarumve rectoribus, ut cœptis faverent, saltem ne obsisterent. At hi, in præsentem fortunam intenti, tanto solicitius literas Neroni misere, quanto avidius, eo sublato, primas exitii partes et præmia sibi postea vindicavere.[2] Galba autem, dissimulans quid tale sibi fuisse scriptum, restitit;[3] sed caute magis, quam moderate.

68. Ut sensit Vindex Galbam velle impelli, ipse in Gallorum conventu defectionem cœptat, questus:[4] 'Nulla manere Imperii jura: omnia sceleri patere: per omne nefas hominibus illudi: provincias latrociniis, domos cædibus vastari. Hæc imperare Neronem, qui per Cæsareæ stirpis excidium ad publicam ruinam se accinxerit; ne matrem quidem reveritus. Atrox facinus! ni morte fuisset digna, quæ talem pestem edidisset. Illum tanto inclementius nunc ferocire, quod unus e Cæsarum domo superstes, nec æmulum, nec ultorem timeat. Sed neminem diu vixisse omnibus infensum. Jam Orientem turbari: Britannos lacertos movisse: legiones affectum exuere: majestatem ipsam, maximum Principum munimentum, Neroni odiosam esse. Se, semet vidisse portentum illud, flagitiis commaculatum, in stuprorum et theatrorum propudia resolutum, citharœdi gloria insanum simul et indignum. Cur ergo Cæsaris, Principis, Augusti titulis, quos Divus Augustus virtutibus, divus Claudius beneficiis sunt consecuti, infamem Ahenobarbum[5] condecorarent! Vocarent illum Thyesten, Œdipum, Alcmæonem, Oresten,[6] quoniam parricidialibus et incestis nominibus gloriaretur. Ecquid in hujus veneratione perseverarent, qui nulla Imperii, sola libidinum

1 *Centum millia Gallorum parata*] Plutarch. in Galba, p. 1054.

2 *Vindicavere*] Plutarch. loc. cit.

3 *Restitit*] Neque statim Vindici credulus, neque Neroni fidus. Plutarch. ibid.

4 *Questus*] Hanc Vindicis orationem habet Dio, LXIII. p. 724. et 725.

5 *Ahenobarbum*] Nero filius erat Domitii Ahenobarbi. Vide Stem. Cæs. n. 34.

6 *Thyesten—Oresten*] Tragœdiarum

vi subnixus, generi humano bellum indiceret! Majores eorum prædæ cupidine olim Romam expugnasse. Id quidem in hac temporum barbarie fuisse egregium. At nunc, ubi vigent humanitatis honorisque studia, penes ipsos esse melioris et immortalis nominis gloriam. Orbi succurrerent: se Romamque in libertatem vindicarent. Eo ventum esse, quo ceteræ gentes, malis victæ, istud decus certatim forent affectaturæ. Incœpti laudem sibi præripi ne sinerent.'

69. Magno fremitu et plausu excepta oratio. Mox suas in civitates quisque alacres discessere, strenuam promtamque operam polliciti. Vindex autem novas ad Galbam literas misit quibus, nuntiata Gallorum voluntate, ejus animos spesque inflaret. Hæsitabat adhuc Galba; terrebantque amicorum ejus plurimi, quod 'quomodo res Vindicis verterent, quæ esset Urbis inclinatio,[1] opperiendum' censerent. At fiduciam addidit T. Vinius,[2] horum præcipuus, et rerum novarum, prædæ spe magis, quam in Galbam studio, cupidus. Dixit 'supervacuam consultationem: furiosorum esse, utrum in Neronis fide perstarent, quærere.' Tum ad Galbam conversus, 'Videret ipse, cum publicus hostis sit Nero, malletne Vindicem fortunæ adjutorem habere, an Vindici bellum indicere; qui eum potius optaret Principem, quam Neronem tyrannum.'[3]

70. His victus videri gestiit Galba, senili ambitione et veteribus auguriis,[4] quorum grata durat memoria, a summa spe non alienus. Illi etiam cura dudum inerat popularibus studiis animos captare: nec per octo annos (tot enim Hispaniam regebat) procuratorum violentiæ se unquam accommodaverat: solitus quoque[5] iis, qui eorum injuriis erant obnoxii, publice condolere: probrosa vero adversus

nomina, quarum personas agebat Nero.

1 *Urbis inclinatio*] Plutarch. ibid.

2 *T. Vinius*] Plutarchus, ibid. Τίτος Ὀβίννιος. Male Interpres Latinus, 'Titus Junius.'

3 *Neronem tyrannum*] Plutarch. ibid. ὅτι σὲ βούλεται Ῥωμαίους ἔχειν ἄρχοντα μᾶλλον ἢ Νέρωνα Τύραννον.

4 *Veteribus auguriis*] De quibus multa habet Suetonius in Galba, IV. et VIII.

5 *Solitus quoque*] Plutarch. ibid.

Principem carmina passim circumferri recitarive impune ferebat. Talibus imminuta Principis auctoritate, suam intenderat. Itaque animos suas in partes inclinari posse ratus, Carthagine nova[1] provinciæ conventum edixit, quo 'manumissioni vacaret.' Hæc obtentui. Interea amici, ut cresceret celebritas, favor sensim glisceret, 'agi de summa Imperii' secretis rumoribus spargere. Dicto die, ut primum Galba tribunal conscendit, immenso clamore *Imperator*[2] salutatur.

71. At ille, ubi silentium fecit, 'Neronem, qui scelera sceleribus contexeret, nec nisi per flagitia et funera dominaretur' insectatus, subito ad nobilissimorum quorumque hoc Principatu trucidatorum imagines,[3] longo ordine dispositas vertit, et geminato animi ac vocis ardore, 'Non meis,' inquit, 'verbis, sed vestris oculis Neronem cognoscite. Contemplamini pallentes tot Cæsarum vultus, Neronis patrem, matrem, uxorem, fratrem, sororem, amitam, propinquos, affines, veneno, ferro, omnibus mortis generibus sublatos ob rabidam regnandi cupidinem. Circumspicite Burrum, Lateranum, Vestinum, C. Cassium, Lucium Veterem, et tot Urbis primores ad servitutis subsidium crudeli fato peremtos. Vestra, vestra videte ingenia,[4] Annæum Senecam, sapientiæ præceptorem et exemplum, Annæum Lucanum, animosum juvenem, reipublicæ spiritu plenum, et clarissimi filii patrem optimum, Annæum Melam, per invidiam extinctos. Has virtutis imagines aspicite, Thraseam Pætum, Baream Soranum morte multatos, quasi cum ipsis virtus esset commoritura: Illustres fœminas, Sextiam, Pollutiam, Serviliam cernite, nullo pudore, reluctante natura, ad supplicia vocatas. Inspicite ipsam infantiam, culpæ rudem, pœnis subditam; Rufinum Crispinum[5] ob

1 *Carthagine nova*] Nunc *Carthagena*, in Hispania Tarraconensi.

2 *Imperator*] Plutarch. in Galba, p. 1055. πάντες αὐτὸν ὁμοφώνως αὐτοκράτορα προσεῖπον.

3 *Imagines*] Sueton. in Galba, x. Orationis summam habet Plutarchus, loc. cit.

4 *Vestra videte ingenia*] Seneca, Lucanus, immortalia Hispaniæ decora, Corduba, *Cordova*, oriundi.

5 *Rufinum Crispinum*] Sueton. in Ner. xxxv. 'Privignum Rufinum Crispinum, Poppæa natum, impuberem

pueritiæ lusus mari demersum. Hunc, hunc despicite tenellum et nobilem puerum' (infantem monstrabat in Baleares insulas[1] a Nerone ejectum, quem inde ipse retraxerat, ut major exoriretur miseratio) 'sortis suæ æque ac criminis nescium, nunquam civem, jam exulem. Hæc Neronis facinora! hæc monumenta! Apud illum nobilitas, opes, ingenium, virtus, sexus, ætas, vita ipsa, crimina sunt. Per hæc adversus genus humanum grassatur. Ruinam omnibus imminentem jam a Gallis propulsare cœpit Vindex. Alii ab aliis, ego a vobis avertam. Cæsaris, Imperatoris nominibus parcite. Me senatus populique Romani legatum[2] esse memini: hoc mei muneris nomine, Imperii majestatem, communem omnium salutem tueri juvat. Novi me a Nerone morti destinatum.[3] Sed vitam laboribus exercitam, periculis finire egregium. Vos tantum pro patria, pro vestra incolumitate certanti favete.' In legati admirationem laudesque secutæ voces innumeræ. Nero odiosis dicteriis cumulatur. Omnia ad libertatis et securitatis munimentum apparantur.

72. Nondum ita fervescebant Hispaniæ, cum Italiam pervagatus est Galliarum defectionis rumor. Neapolim pervenit die ipso, quo Nero matrem occiderat.[4] Tanquam lætum faustumque aliquid fuisset nuntiatum, statim in gymnasium progredi, certantesque athletas effusiore gaudio spectare,[5] quod insperata opulentissimas provincias prædandi[6] causa occurreret. Verum tumultuosiores literæ, super cœnam allatæ, iram incussere, quam, ut iratis assolet, secuta est inertia. Primum quidem infremere, dira, iis

adhuc, quia ferebatur ducatus et imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit.'

1 *In Baleares insulas*] Sueton. in Galba, x. astante nobili puero, quem exulantem ex proxima Baleari insula, ob id ipsum, acciverat.' Hæc insula hodie dicitur *Mallorca*, quam vulgo pronuntiamus *Majorca*.

2 *Legatum*] Sueton. ibid. Plutarch. in Galba, p. 1055.

3 *Morti destinatum*] Sueton. in Galba, IX. et X.

4 *Matrem occiderat*] Sueton. in Ner. XL. Post medium mensis Martii, cum quinquatrus celebrabantur. Vide quæ dicta sunt Annal. XIV. 4.

5 *Spectare*] Per quatuor quinquatruum dies ludi edebantur, ut patet ex Ovidio, laudato ad Annal. XIV. 4.

6 *Prædandi*] Sueton. in loc. cit.

qui descissent, minari: sed per octo continuos dies nihil rescribere,[1] nihil præcipere; rem atroci silentio premere. Querelas tandem elicuere missa Vindicis edicta, quibus tanto magis irritabatur Nero, quod in iis *citharœdi mali* et *Ahenobarbi* nomina ad contumeliam sæpius repetita.[2] Talibus efferatus, excusato languore faucium, propter quem non adesset, ad senatum scribit, ut 'Vindicis impietatem accuset: purget objectam artis inscitiam: gentile nomen[3] approbet.' Patres 'in ultionem sui reique publicæ' hortatus, jubet 'per præconem nuntiari centies sestertium[4] iis, qui Vindicem interfecissent.' Imbelle remedium, ex quo etiam Vindex gloriam quæsivit; 'Neronis caput afferenti suum' pollicitus.[5]

73. Interim alii super alios, acerbioresque nuntii male tutum Principem ex voluptatum latebra excivere. Romam trepidus petiit: at nec periculi magnitudine, nec locorum diversitate mutatum ingenium. Eadem superstitio, par levitas. Erupere ipsa inter viarum diverticula; visoque forte monumento, quo insculptus erat Gallus, ab equite Romano oppressus, crinibusque tractus, exilit gaudio, cœlum adorat,[6] certissimum victoriæ indicium auguratus. Itaque Romam redux, non senatum cogere, non populum appellare,[7] sed, quibusdam e primoribus viris domum evocatis, post desultoriam consultationem, reliquum diei per organa hydraulica[8] novi et ignoti generis, circumducere: monstra-

1 *Nihil rescribere*] Sueton. ibid.

2 *Sæpius repetita*] Sueton. in Ner. XLI.

3 *Gentile nomen*] Auctor nominis Lucius Domitius: originem, fabulamve, nominis vide apud Suetonium in Ner. I. Domitiorum plerique rutila barba fuere.

4 *Centies sestertium*] Angl. 83,333*l.* 6*s.* 8*d.* Dio, LXIII. p. 725.

5 *Suum pollicitus*] Dio, loc. cit.

6 *Cœlum adorat*] Sueton. in Ner. XLI. Sic quoque infra Hist. IV. 46. 'Cœlum ac Deos obtestari.'

7 *Populum appellare*] Sueton. ibid.

8 *Organa hydraulica*] Sueton. ibid. Dio, LXIII. p. 726. Cl. Tristan, *Commentaires Historiques*, vol. I. p. 218. nummos duos publicavit, qui hæc organa hydraulica exhibent. Alter, IMP. NERO CÆSAR AVG. P. MAX. Capite laureato, ante caput monogramma E P. In aversa parte, LAVRENTIN. AVG. Instrumentum hydraulicum, quod homo stans tangit sinistra, dextra tenet situlam: ad sinistrum latus organi folia lauri. Alter nummus ferme similis, in aversa tamen parte non est inscriptio, nec situla, nec

tor ipse operis, fabricæ partes artemque disserens; 'Omnia,' ut affirmabat 'in theatrum, si per Vindicem liceat, prolaturus.'

74. Nam, vel invitus, in Galliarum defectionis cogitationes revolvebatur; eam opprimendi non incuriosus, dum artes suæ scenicæ pariter valescerent. Inter utrasque distractus, copias, quas ad claustra Caspiarum adversus Albanos[1] præmiserat, reverti jubet: novas in Urbe legit, tribubus Urbanis ad sacramentum citatis.[2] Cum nullus idoneus responderet, certum dominis servorum numerum indixit, nec nisi probatissimos[3] recepit. Quasi vero fatale esset non posse Gallias debellari, nisi a consule, ipse, consulibus ante tempus magistratu abdicatis, solus magistratum iniit.[4] Hæc militiæ, cetera luxui data. Maxima cura fuit portandis scenicis organis vehicula deligere, concubinas, quas secum educeret, ad virilem modum tondere, et securibus peltisque Amazonicis instruere.[5] Plus in his, quam in militibus fiduciæ. Ausus etiam jactitare 'simul ac primum[6] provinciam attigisset, inermem se in conspectum exercituum proditurum, nec quicquam aliud quam fleturum: revocatisque ad pœnitentiam defectoribus, sequenti die lætum inter lætos cantaturum epinicia, quæ nunc jam sibi componi oporteret.'

75. Tam facilis victoriæ opinione haud comminuta pecuniarum aviditas. Immo in belli impensas omnes ordines

lauri folia, sed duo homines stant, qui organum tangunt. Videtur prius organum fuisse dictum 'Laurentinum Augusti.' Ab artifice, locone, an materia laudisque spe, nomen duceret incertum. Monogramma vero inditum mihi videtur post Neronis mortem, ut nummus, ad ostentationem cusus et vulgatus, loco *PEcuniæ*, vel monetæ, haberi posset.

1 *Adversus Albanos*] Ut dictum supra cap. 47.

2 *Ad sacramentum citatis*] Sueton. in Ner. XLIV.

3 *Probatissimos*] Sueton. ibid. 'Ne dispensatoribus quidem, aut amanuensibus exceptis.'

4 *Solus magistratum iniit*] Sueton. in Ner. XLIII. Laudat tamen Cl. Muratori Thesaur. Inscript. vol. I. p. 306. veterem inscriptionem, Romæ extantem, positam NERONE V ET TRACHA.—Id est, 'Nerone quintum et Trachalo consulibus;' unde solus Silius magistratu abdicatus videretur.

5 *Instruere*] Sueton. in Ner. XLIV.

6 *Simul ac primum*] Hæc et seq. iisdem totidemque verbis Sueton. in Ner. XLIII.

partem census conferre;[1] privatarum ædium atque insularum[2] inquilini pensionem annuam fisco repræsentare jussi. Addita fastidia, quod potentiorum injuriæ ultimum, neç unquam impune. Mandatum enim exactoribus nihil nummi recipere, nisi asperum,[3] nihil argenti, nisi pusulatum,[4] nihil auri, nisi ad obrussam.[5] Gravis inde exorta invidia, plerisque collationem recusantibus, et 'a delatoribus revocanda potius præmia' clamitantibus: accrevit ex annonæ caritate; ac tandem subsecuta indignatio, cum in publica fame Alexandrina navis nuntiaretur frumenti loco pulverem e Nilo luctatoribus aulicis advexisse.[6] Plebs, nunquam arrogantior, quam cum jejuna, in convicia erumpere: alii verbis, scriptis alii Principem lacessere: multi, nocte jurgia cum servis simulantes, crebro *Vindicem* poscere.[7]

76. Sed fœditatum usu in Nerone obcalluerat verecundia; et pro gloria habebatur conviciorum patientia. Pudore, extremo Principum præsidio, destitutum, et ad injurias patentem, attonuit tamen tunc nuntiata Galbæ et Galliarum defectio. Ea audita, corruit exanimis, diuque sine voce, ac prope intermortuus jacuit.[8] Ut resipuit, veste descissa, converberato capite, 'actum de se' queritur; spretisque

1 *Partem census conferre*] Sueton. in Ner. XLIV.

2 *Insularum*] Sueton. ibid. De insulis, seu populi domibus, dictum XV. 41.

3 *Nisi asperum*] Sueton. loc. cit. Id est, recens cusum. Compertum enim, ut observat eruditus Fontana, Templum Vaticanum, VI. 7. pecunias attritu ita imminui, ut centum pondo fiant aliquot annorum usu sex libris leviores. Itaque Nero, ne ea quantitas, quam nos vulgo diceremus *six per cent*, sibi deperiret, nihil nummi, nisi asperum, recepit.

4 *Pusulatum*] Sueton. ibid. Argentum est purissimum. Quo enim purius, eo plures pusulæ.

5 *Ad obrussam*] Plin. XXXIII. 3. 'Auri experimentum ignis est, ut simili colore rubeat, ignescatque: id ipsum obrussam vocant.' Videtur autem, ut in Imperio Turcico, quod multa Imperii Romani retinet, purior est moneta tum argentea, tum aurea, quæ Constantinopoli, quam quæ Cairi in Ægypto conflatur, sic quoque puriorem Romæ, quam in provinciis, conflatam fuisse monetam.

6 *Advexisse*] Sueton. in Ner. XLV. De hoc usu pulveris Niliaci dictum supra cap. 38. not inf.

7 *Vindicem poscere*] Sueton. loc. cit. Sicque alludentes, Julium Vindicem, libertatis apud Gallos assertorem, invocabant.

8 *Intermortuus jacuit*] Hæc et seq. Sueton. in Ner. XLII.

solatiis nutriculæ,[1] 'similia aliis Principibus accidisse' memorantis, 'se præter ceteros inaudita et incognita pati' lamentatur, 'qui suum Imperium vivus amittat.'[2] Sed, ut vanis ingeniis cuncta quoque sunt vana, terror dolorque cessere; revaluere luxus et desidia: acriora etiam, quod prosperi quiddam[3] e provinciis nuntiatum, quodque senatus Galbam 'hostem'[4] judicaverat. Victoria statim cantibus et ludis ante occupata est; parsque insanæ lætitiæ fuit templi Sabinæ Poppææ[5] dedicatio. Galbæ bona,[6] sub hasta venumdata, in has vanitates abiere. Gallorum vero opes,[7] quod nondum erant domiti, ad prædam reservatæ.

77. Hæc Neronis, alia fortunæ destinatio. Nil jam in Urbe reliquum, nisi Principis nomen. Vis Imperii in Hispaniam transierat. Super veterem exercitum[8] penes Galbam aderant novæ legiones, forma quædam senatus, et equestris ordinis excubiæ. Auctoritatem intendebant Hispanæ Neronis possessiones, auctionibus subditæ.[9] Majus adhuc potentiæ instrumentum accessit Otho,[10] provinciæ

1 *Nutriculæ*] Sueton. ibid. Eademne, quæ a Suetonio in Ner. XXXV. *nutrix* dicitur? mater Cæcinæ Tusci, de quo plura Hist. III. 38.

2 *Vivus amittat*] Sueton. ibid.

3 *Prosperi quiddam*] Sueton. ibid. 'Quinimmo, cum prosperi quiddam ex provinciis nuntiatum esset, super abundantissimam cœnam jocularia in defectionis duces carmina, lasciveque modulata, quæ vulgo innotuerunt, etiam gesticulatus est: ac spectaculis theatri clam illatus, cuidam scenico placenti nuntium misit, abuti eum occupationibus suis.'

4 *Galbam hostem*] Plutarch. in Galba, p. 1055.

5 *Sabinæ Poppææ*] Uxoris Neronis, quam ictu calcis afflictam, deinde Deum honoribus auctam videmus XVI. 6. et 21. Auctore Dione, LXIII. p. 726. Nero in hac dedicatione templo inscripsit: SABINÆ DEÆ VENERI MATRONÆ FECERVNT.

6 *Galbæ bona*] Plutarch. in Galba, p. 1055.

7 *Opes*] Plutarch. ibid.

8 *Veterem exercitum*] Sueton. in Galba, X. 'Deinde,' post orationem memoratam supra cap. 71. 'justitio indicto, e plebe quidem provinciæ legiones et auxilia conscripsit, super exercitum veterem legionis unius, duarumque alarum, et cohortium trium. Ac e primoribus prudentia atque ætate præstantibus, velut instar senatus, ad quos de majore re, quoties opus esset, referretur, instituit. Delegit et equestris ordinis juvenes, qui manente annulorum aureorum usu, Evocati appellarentur, excubiasque circa cubiculum suum vice militum agerent. Etiam per provincias edicta dimisit, auctor singulis universisque conspirandi simul, et ut qua posset quisque opera, communem causam juvarent.'

9 *Auctionibus subditæ*] Has enim vendidit Galba, et paratissimos emtores reperit, Plutarch. in Galba, p. 1055.

10 *Otho*] Postea Imperator.

Lusitaniæ[1] præfectus, in partes Galbæ tanto pronior, quanto ob veteris injuriæ[2] memoriam Neroni infensior: argentum aurumque privatum[3] militi in stipendium ultro obtulit. Legatorum plerique, exemplum secuti, favori occurrere, aut proditarum Vindicis literarum, ut supra retuli,[4] memoriam obliterare nitebantur. Pauci diversis de causis suspensi et incerti. Clodius Macer, rapinis et cædibus in Africa assuetus, imperium neque occupare, neque amittere[5] volebat. In Syria Vespasianus Judaici belli cura lentus videri satagebat, ne fortunam festinatione corrumperet. Legiones inferioris Germaniæ Fonteium Capitonem[6] ad defectionem solicitabant, sed avaritia retinebatur. In superiore Germania, invicta, patriæ, non Neronis studio, Verginii Rufi constantia; nec a legionibus, vi sua et fama ducis ferocibus, unquam impelli potuit, ut summam rerum acciperet: 'Imperium a senatu,[7] non a legionibus dari' dictitans. Ideoque Vindici iratus, qui id audaciæ præsumeret, exercitum in Gallias duxit, ne a Gallo homine tantum Imperii dedecus oriretur.

78. Tum Galliæ erant sibi discordes. Pars nobilissima simulque validissima, Sequani,[8] Ædui, et Arverni,[9] Vindicem sequebantur. Alii, quorum præcipui Lingones, Remi, et qui Rhenum accolunt[10] populi, partim provinciali æmulatione, partim veteris sacramenti usu, in Neronis fide perstabant. Viennenses[11] vero Vindicis partibus se immis-

1 *Lusitaniæ*] Ut dictum Annal. XIII. 46.

2 *Injuriæ*] Raptæ scilicet a Nerone Poppææ.

3 *Aurumque privatum*] Quicquid erat argenteæ aureæque supellectilis, quæ maxima fuit apud Othonem, Plutarch. in Galba, p. 1061.

4 *Supra retuli*] Id jam retuli supra cap. 67.

5 *Neque amittere*] Plutarch. in Galba, p. 1055.

6 *Fonteium Capitonem*] Tacit. Hist. I. 7.

7 *A senatu*] Plutarch. in Galba, p. 1055.

8 *Sequani*] Nunc *part of Alsace, the Canton of Basle, Franche-Comté, Bugey, and Bresse.* De Æduis dictum Annal. XI. 25.

9 *Et Arverni*] Tacit. Hist. I. 51. IV. 17. Arverni, nunc *the dioceses of Clermont and St. Flour.*

10 *Rhenum accolunt*] Ac maxime Belgæ, Tacit. loc. cit. Lingones, nunc *the dioceses of Langres and Dijon.* Remi, *the dioceses of Rheims and Laon.*

11 *Viennenses*] Tacit. Hist. I. 65.

cuere, ut municipalia adversus Lugdunenses[1] odia licentius persequerentur. Ea erat Galliarum inclinatio, cum Verginius, Germanicarum legionum viribus, et Belgarum auxiliis,[2] Batavorumque alis potens, Gallias intravit. Vesontionem[3] recta petiit; ingressuque prohibitus, obsidionem paravit. Ad urbis præsidium statim astitit Vindex. In conspectu stabant acies: duces, amotis stipatoribus, in colloquium consensere, in quo, ut fuit suspicio, adversus Neronem fœdus initum.[4] Cum discessissent, Gallicus exercitus urbi propinquavit.[5] Legiones, ratæ Gallos ad pugnam incedere, primo impetu arma expediunt, præliumque ineunt. Tunc visum atrox spectaculum. Nulla ducum imperia:[6] regit militum furor: utrimque miscentur funera: cædibus crescit ira: certa internecio, ni Galli, inopinato prælio turbidi, amissis viginti hominum millibus,[7] victi tandem cessissent. Vindex, furens quod tanta libertatis spes casu vanesceret, violentas manus sibi attulit.[8] Reperti tamen, qui, turpiter ingestis cadaveri vulneribus, interfectorum gloriam quæsierint.

79. Legiones vero, confecto unica pugna bello superbæ, Verginium *Imperatorem*[9] salutant, orantque ut 'ipse Princeps fatiscenti reipublicæ subveniat.' Simul imagines Neronis devellunt: 'Verginii Cæsaris, Augusti,' nomina ingeminant; eaque unus militum, loco imaginum, signo inscribit. Verginius, Vindicis morte tristis, et quo res reciderent dubius, extritis literis, hæc seditionis monumenta præceps abolere, firmus sententiæ, 'senatus esse

Vienna, nunc *Vienne*, in *Dauphiné*.

1 *Lugdunenses*] 'Pertinaci pro Nerone fide,' Tacit. Hist. I. 51.

2 *Belgarum auxiliis*] De Belgarum auxiliis et Batavorum alis, infra Hist. IV. 7.

3 *Vesontionem*] Dio, LXIII. p. 725. Vesontio, hodie *Besançon*.

4 *Fœdus initum*] Dio, LXIII. p. 725. Κατὰ τοῦ Νέρωνος, ὡς εἰκάζετο, συνέθεντο πρὸς ἀλλήλους. Tacit. Hist. I. 8. 'Nec statim pro Galba Verginius: an imperare voluisset dubium.'

5 *Urbi propinquavit*] Dio. loc. cit.

6 *Ducum imperia*] Dio, ibid. Plutarch. in Galba, p. 1055.

7 *Millibus*] Plutarch. ibid. Tacit. Hist. IV. 18. 'Batavo equite protritos Æduos Arvernosque.'

8 *Sibi attulit*] Dio, loc. cit. Plutarch. ibid.

9 *Imperatorem*] Dio, loc. cit. Plutarch. ibid.

Imperium dare.' Perculsi milites stupent, Neronisque fidem repetere cogitant. Idem ferme sensus locis omnibus, quibus didita Gallorum cladis et Verginii constantiæ fama.

80. At ubi nuntius Hispaniam pervenit, Galbam, recenti unius alæ[1] seditione, et servilibus insidiis, inquietem, terror occupavit. Mortem primum, deinde secessum meditatur; scriptisque ad Verginium literis,[2] quibus eum ad Imperii societatem invitat, Cluniam[3] se cum amicis recipit, veteris otii desiderio languidus, nec quæ temporis forent curans, aut intelligens. Sed ejus inertiam juvit fortuna: hominum ludibriis læta, simul Cæsarum domum vertebat, et quem destinabat Imperio, terroribus exagitabat. Neronem vero ut perditum iret, luxu et deliciis, quæ unica supererant dominationis adminicula, usa est.

81. Forte unus e turpi spadonum grege, inter Principis libidines intimus, se injuriam indigne accepisse credidit.[4] Per pudenda, uti solet id hominum genus, ultionem parat. Secretioribusque consiliis, quis destinatum Neroni senatum universum necare, Urbem iterum incendere,[5] feras in populum immittere, aufugere Alexandriam, vere falsove proditis, inevitabile exitium attulit. Nulla ante Principis reverentia; nullus amor, ni forte apud plebem ludis insanam, sed mobilem, et potentiorum infortuniis semper lætam: corrupta aut inconstans exercituum fides: ne certa quidem

1 *Unius alæ*] Duas alas habebat Galba, ut dictum supra cap. 77. in not.

2 *Literis*] Plutarch. loc. cit. Suetonius in Galba, XI.

3 *Cluniam*] Male Plutarchus, loc. cit. Κολουνίαν, corrige Κλουνίαν; et interpres Latinus *Coloniam*. Plin. III. 3. n. 4. 'Clunia Celtiberiæ finis,' urbs clara Hispaniæ Tarraconensis, et conventus juridicus. Videntur adhuc magna rudera, et pars amphitheatri: at in loco stat tantum ecclesia dicta, *Nuestra Señora de Castro*, inter oppida *Coruna del Conde* et *Peñalba*. Cum imperavit Galba, cusus est Romæ nummus ære magno, SER. SULPI. GALBA. IMP. CÆSAR. AUG. P. M. TR. P. Capite laureato. In aversa parte, mulier stans offert Imperatori sedenti trophæum, HISPANIA CLUNIA SUL. id est, 'Clunia Sulpicia;' ita sane dicta in honorem Sulpicii Galbæ. Infra S. C. 'senatusconsulto.' Vide eruditum Florez, *Medallas de España*, p. 372.

4 *Credidit*] Dio Chrysostomus, orat. XXI. p. 271.

5 *Iterum incendere*] De his atrocibus Neronis consiliis Dio, LXIII. p. 726. Zonaras, vol. I. p. 570. et Suet. in Ner. XLIII. 'Senatum universum veneno per convivia necare, Urbem incendere, feris in populum immissis, quo difficilius defenderetur.'

prætoriarum cohortium studia. Ipse Petronius Turpilianus,[1] ad opprimendum Galbam missus, defecerat. Nudus ergo et inermis patebat Nero, cum senatus, opprobriis, patientia, periculo atrox, paratam sibi ruinam in ejus auctorem convertere, totaque legum vi sævire properavit.

82. Nero ineluctabili, proviso tamen fato circumventus, sumtum a Locusta[2] venenum in auream pyxidem condidit, et in hortos Servilianos[3] secessit, comitante imbelli libidinum caterva. Tum varia animo agitare. Placet fuga dudum meditata; præmissisque libertorum fidissimis Ostiam[4] ad classem præparandam, tribunos centurionesque prætorianos de fugæ societate tentat. Sed partim tergiversantibus, partim aperte detrectantibus, uno etiam proclamante, 'Usque adeone mori miserum est!' alio flexit consilia; dubius 'Parthosne, an Galbam, supplex peteret, an atratus prodiret in publicum, proque rostris, quanta maxima posset miseratione, veniam præteritorum precaretur; ac, ni flexisset animos, Ægypti præfecturam dari sibi oraret.' Certe inventus postea in ejus scrinio hac de infamia sermo formatus. Recitatione deterritum putant, ne, priusquam ad forum perveniret, discerperetur.

83. Itaque consilii incertus, cogitationem in posterum diem distulit. Sed, cum somnos non paterentur curæ, ad mediam[5] fere noctem excitatus, ut comperit stationem militum recessisse, prosilit e lecto, et mittit circum amicos. Nihil quoquam renuntiante, ipse cum paucis hospitia singulorum adit. At, clausis omnium foribus, respondente nullo, seu somnus, seu pavor, eos occupaverat, cubiculum prætrepidus repetit. Custodes jam diffugerant, direptis etiam stragulis, amota et pyxide veneni. Vastitate, suspicionibus turbidus, Spicillum mirmillonem,[6] vel quemlibet

1 *Turpilianus*] Zonaras, loc. cit. Tacit. Hist. I. 6.

2 *Sumtum a Locusta*] Sueton. in Ner. XLVII.

3 *Servilianos*] De his dictum Annal. XV. 55.

4 *Ostiam*] Manet nomen *Ostia*. Hæc et seq. Suetonius in Ner. XLVII. cujus verba invertere fuit religio.

5 *Ad mediam*] Sueton. loc. cit.

6 *Spicillum mirmillonem*] Sueton. ibid. Mirmillones dicebantur, qui in

alium percussorem, cujus manu pereat, requirit. Ne ad id quidem ministerii adesse quenquam miratus, in summæ miseriæ vocem 'sibi neque amicum esse, neque inimicum,' erumpit, procurritque quasi præcipitaturus se in Tiberim.[1]

84. At vitam exosum, mortis pavidum, sistit inveterata mollities; et aliquid secretioris latebræ ad colligendum animum suadet. Phaon, libertus,[2] suum obtulit suburbanum inter Salariam et Nomentanam viam[3] circa quartum milliarium. Tantulum manet Principi suffugium! Ac quasi fatale esset sordide etiam perire, nudo, ut erat, pede, tunicatus tantum, superinduta obsoleti coloris pænula, adoperto capite, et ante faciem obtento sudario, equum inscendit; quatuor e tanta modo turba comitantibus, quos inter Sporus,[4] ultimum, ut diximus, propudium. Turpis fuga, subito tremore terræ[5] et fulgure adverso damnata, ad novas patet injurias. Proxima itineri castra circumsonant clamoribus militum, Neroni adversa, Galbæ prospera, ominantium. Ex obviis etiam viatoribus, alter, 'Hi Neronem persequuntur,' monstrat: alter rogitat, 'Ecquid in Urbe novi de Nerone?' Ipsa reverentia in formidinis causam vertit: nam missicius[6] quidam prætorianus Principem,

ludis adversus retiarios pugnabant, eosque insequebantur: unde *mirmillones* appellati quoque *secutores*. Vetus Scholiastes Juvenalis in Satir. VIII. 200. 'Nec mirmillonis in armis,' ait: 'Mirmillo armaturæ Gallicæ nomen, ex pisce inditum, cujus imago in galea fingitur.' Apud Gruterum, p. 334., extat Inscriptio VLPI. FELICIS MIRMILLONIS. VETERANI. Vide quoque eruditum Gori, Museum Etruscum, vol. II. p. 396.

1 *In Tiberim*] Sueton. loc. cit.

2 *Phaon, libertus*] Sueton. in Ner. XLVIII.

3 *Nomentanam viam*] Sueton. ibid. Salaria via a porta Urbis Collina, nunc *Porta Salara*, initium ducebat: via Nomentana a porta Nomentana, nunc *Porta Pia*. Phaontis autem suburbanum nunc dicitur *Serpentara*.

4 *Sporus*] Alios duos memorat Dio, LXIII. p. 726. Phaontem et Epaphroditum. Quartum addit Aurelius Victor in Epitome, *Neophytum*.

5 *Tremore terræ*] Sueton. in loc. cit.

6 *Missicius*] Prætorianus, *missus honesta missione*, ut vulgo occurrit in inscriptionibus. Sic memoratur apud Gruterum, p. 1109. n. 5.

L. LARGIVS. NONI. F.
SVC. FAVSTVS.
TRIB. LEG. XI. AVG.
ET. MISSICIVS, LEG.
VI. AVG.

In Mss. veteribus glossis Græcis, Μισσικίους, παλαιὸς στρατιώτης ἀπολυθείς. Id est, *Missicius, vetus miles dimissus.*

detecta ob subitam equi consternationem facie, agnoscit, et salutationis officio ad desperationem adigit.

85. Nec spes tantum fugæ vanescebat, sed primum ejus consilium cum prætorianis, ut supra memoravi,[1] communicatum, jam in exitium cesserat. Quippe, mutato sacramento, Galbam illico fecerant Principem, ducibus Nymphidio et Tigellino.[2] Atque etiam, ne vetus Cæsarum fides recurreret, Nymphidius, per quodque nefas fortunæ se inserendi cupidus, sub nomine Galbæ prætoriarum et Urbanarum cohortium militibus singula tricena nummum millia[3] promiserat, legionariis quina millia.[4] Enorme donativum,[5] in Galbæ æque ac Neronis ruinam paratum, ut primam in spem veniret Nymphidius; formidoloso quoque exemplo, in cædes Urbisque excidium abituro, venale esse Imperium, et juxta militum libidinem dari. Ubi per Urbem percrebuit favor militaris, traxit animos ad odium pridem incitatos. Ne in senatu quidem quicquam moderati, aut verecundi. Publicis studiis, sentientium numero, auctoritatis insolentia, ad atrociora quæque impellitur. Nec de tollendo Principe, sed qua tolli queat turpiore contumelia, certatur. Hos inter clamores, Nero 'hostis'[6] judicatur, 'more majorum puniendus.' Galba vero in Imperium ascitus,[7] non quod melior, sed quia Neroni iratior. Tum missi equites,[8] qui fugitivum Neronem ad supplicia vivum attraherent.

86. At is per diverticula,[9] fruticeta inter ac vepres,

1 *Supra memoravi*] Supra cap. 82.

2 *Nymphidio et Tigellino*] Præfectis prætoriarum cohortium. Plutarch. in Galba, p. 1053.

3 *Tricena nummum millia*] Plutarch. ibid. δραχμὰς ἑπτακισχιλίας πεντακοσίας. Angl. 250*l.*

4 *Quina millia*] Plutarch. ibid. πεντήκοντα καὶ διακοσίας ἐπὶ χιλίαις. Angl. 41*l.* 13*s.* 4*d.*

5 *Enorme donativum*] Quod solvere non poterat Galba, quin expenderet circiter Anglice 12,000,000*l.* non numeratis ducum præmiis. Exaggerat Plutarchus, ibid. Ὅσον ἀμήχανον ἦν συναγαγεῖν, μὴ πλείονα μυριάκις κακὰ παράσχοντα πᾶσιν ἀνθρώποις, ὧν Νέρων πάρεσχε: 'Quantam summam nemo cogere poterat, quin sexcenties plus quam Nero mortales omnes flagellaret.' Multo plura donationibus prodegerat Nero, ut dicitur Hist. I. 20.

6 *Nero hostis*] Sueton. in Ner. XLIX.

7 *Ascitus*] Plutarch. in Galba, p. 1056. Dio, LXIII. p. 727.

8 *Equites*] Dio, ibid.

9 *Diverticula*] Sueton. in Ner. XLVIII. ut 'ad diverticulum' viæ, quæ ad

occulto effossæ cavernæ introitu, in Phaontis suburbanum ægre irrepserat. Nihil ibi pristinæ dignitatis manet: sola inhærent vitia, quæ, ut vitam, sic mortem, infamavere. Corpus, deliciarum usu fractum, levamenta, quæ offert loci nuditas, aut refugit,[1] aut miserabiliter tolerat. Animo nihil fixum, nihil firmum; impetus tantum, et scenica levitas. Comitibus, ut 'quam primum se impendenti contumeliæ eripiat' instantibus, annuit: sed scrobem[2] fieri imperat: frusta marmoris, aquam, ligna, ceteraque funerum parat, flens ad singula; atque identidem dictitans, 'Qualis artifex pereo.'[3]

87. Has inter moras perlatos a Phaontis cursore codicillos avidus præripit;[4] lectoque se hostem a senatu judicatum, et quæri, ut more majorum puniatur, interrogat 'quale id genus sit pœnæ.' Comperto nudi hominis cervicem inseri furcæ, corpus virgis ad necem cædi, conterritus duos pugiones, quos secum tulerat, arripit; utriusque acie prætentata, rursus condit, causatus 'nondum adesse fatalem horam.' Subinde modo Sporum hortari, 'ut lamentari ac plangere inciperet:' modo orare, ut 'se aliquis ad mortem capessendam exemplo juvaret:' interdum segnitiem suam increpare.[5] Inanibus verbis robur indidit

Phaontis suburbanum ducebat, 'ventum est, dimissis equis, inter fruticeta ac vepres, per arundineti semitam ægre, nec nisi strata sub pedibus veste, ad aversum villæ parietem evasit. Ibi hortante eodem Phaonte, ut interim in specum egestæ arenæ concederet, negavit se vivum sub terram iturum: ac parumper commoratus, dum clandestinus ad villam introitus pararetur, aquam ex subjecta lacuna potaturus manu hausit: et, Hæc est, inquit, Neronis decocta. Deinde divulsa sentibus pænula trajectos surculos rasit: atque ita quadrupes per angustias effossæ cavernæ receptus in proximam cellam decubuit super lectum modicella culcita, vetere pallio strato instructum.' Quæ quidem neque in Annales referre licuit ob exiguitatem, neque hic silere ob historicam veritatem et singulare fortunæ exemplum ac documentum. Decocta aqua, Neronis inventum fuit, et subtilissimum voluptatis adjumentum.

1 *Aut refugit*] Sueton. loc. cit. 'Fameque interim interpellante, panem quidem sordidum oblatum aspernatus est, aquæ autem tepidæ aliquantulum bibit.'

2 *Scrobem*] Sueton. in Ner. XLIX. eam 'dimensus ad corporis sui modulum.'

3 *Pereo*] Sueton. loc. cit.

4 *Præripit*] Hæc et seq. Suetonius, loc. cit.

5 *Increpare*] Sueton. loc. cit. 'Interdum segnitiem suam his verbis increpabat:' Vivo deformiter ac turpiter:

adventantium equitum sonitus. Tunc, ignominiam exhorrescens, Homerico versu[1] trepidanter recitato, ferrum, juvante Epaphrodito,[2] jugulo adigit; prius comites precatus, 'ne potestas cuiquam capitis sui fieret, sed ut quoquomodo totus cremaretur.' Centurioni, qui mox astitit, et, pænula ad vulnus apposita, in auxilium se venisse simulabat, semianimis respondit, 'Sero. Hæc est fides.' In hac voce[3] defecit, extantibus torveque rigentibus oculis,[4] primo et trigesimo[5] ætatis anno, imperii decimo quarto, optimis initiis, fine pessimo, execrabili memoria.

88. Cadaver cremari permisit Icelus,[6] Galbæ libertus, primo tumultu conjectus in vincula, tunc exsolutus: singulari fato in præsens Neroni supremæ sortis arbiter, postea Galbæ fortunam corrupturus, et per tam diversa facinora suum in exitium præceps. Modicum fuit funus,[7] et intra privati modum. Reliquiæ a nutricibus[8] et Acte concubina in gentili Domitiorum monumento[9] conditæ.

οὐ πρέπει Νέρωνι, οὐ πρέπει· νήφειν δεῖ ἐν τοῖς τοιούτοις· ἄγε, ἔγειρε σεαυτόν. Id est, 'Non decet Neroni, non decet: nunc juvat alta sentire: macte animo, excita teipsum.'

1 *Homerico versu*] Homer. Iliad. x. 535. *Ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει*: 'Equorum mihi velocium sonitus aures circumdat:' Aut, ut versio sit Homero Virgilioque digna, 'Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.'

2 *Epaphrodito*] Qui Neroni erat a libellis. Sueton. loc. cit.

3 *In hac voce*] Sueton. loc. cit. Alia, sed forte paulo ante dicta, nec Neronis vanitate indigna, refert Constantinus Manasses, p. 80. *Αὑτὸν διεχειρίσατο τοῦτ' ἐπειπὼν ἐν τέλει, Οἷον, ὦ Ζεῦ, κιθαρῳδὸν ὁ βίος ζημιοῦται*: 'Se ipse interemit, hæc suprema fatus: Qualem, O Jupiter, citharœdum mortalitas amittit!'

4 *Rigentibus oculis*] Sueton. in Ner. loc. cit. 'rigentibusque oculis usque ad horrorem formidinemque visentium.'

5 *Primo et trigesimo*] Sueton. in Ner. LVII. 'Obiit secundo et trigesimo ætatis anno, die quo quondam Octaviam interemerat.' Consentiunt quoque in XXXII. anno Eutropius et Aurel. Victor in Epitome. At cum Nero, teste Suetonio in Ner. VI. natus sit '18. Kalendas Januarias,' die 15. Decembris, anno 790.: mortuus sit anno 821. v. Idus Junias, seu die 9. Junii, ut liquet ex Dione, LXVI. p. 753., certissimum est Neronem mortuum esse anno ætatis suæ primo et trigesimo.

6 *Icelus*] Sueton. in Ner. L. Perperam dictus a Plutarcho in Galba, p. 1056., *Οὐίκελλος*, *Vicellus*.

7 *Funus*] Sueton. loc. cit. 'Funeratus est impensa ducentorum millium, (Angl. 1666*l.* 13*s.* 4*d.*) stragulis albis, auro intextis, quibus usus Kalendis Januarii fuerat.'

8 *Nutricibus*] Ecloge et Alexandra, Sueton. ibid. De Acte dictum est Annal. XIII. 12.

9 *Monumento*] Monumentum illud

Sic exscisa Cæsarum domus, suo et libertatis damno per centum et quindecim annos dominata: magna virtutum claritate, si C. Julii sublimem, magnificam Augusti, profundam Tiberii mentem virtutibus annumèraveris: immensa vero scelerum fama, publico quoque odio ob Tiberii truculentiam, Caii furorem, stoliditatem Claudii, et Neronis improbitatem. Fuso sanguine Romano,[1] auctoritatem orsa, per nobilissimorum quorumque cædes invaluit, donec, furore in suos verso, ad ultimum se ipsa confecit, nunquam melior, quam cum cœpit, nunquam pejor, quam cum desiit.

89. Ejus ruinam portendere visa prodigia plurima;[2] retroacti amnes, prata in contrarias sedes transgressa, prolapsa cupressus Urbi æquæva, lauri a Livia satæ, illico aridæ, aliaque id genus: leve libertatis incitamentum, ob servitutis assuetudinem, posteriorum Cæsarum vitiis validius, quam priorum artibus, coalitam. Pileata[3] tamen discucurrit plebs, in lætitiæ signa præceps semper et inconstans. Mox

prospicitur e campo Martio impositum colli hortorum, nunc *Trinità de' Monti.* Primis Ecclesiæ sæculis singulares de Nerone opiniones apud Christianos invaluere. Verba enim D. Pauli, Ep. II. ad Thessalonic. II. 7. ' Nam mysterium jam operatur iniquitatis,' de eo interpretati, existimabant Neronem Antichristum esse, eumque resurrecturum; immo non esse mortuum. Vide Sulpitium Severum, Hist. Sacr. Libr. II. et D. Augustinum, de Civitate Dei, XX. 19. Orta sane hæc Neronis odia, quod tot Christianorum millia falso incendii crimine extinxisset, hocque supremo anno ineunte D D. Petrum ac Paulum, Christianæ religionis coryphæos, interfecisset. Unde in Laterculo Polemei Silvii: ' 8. Kal. Martias, depositio S. Petri et Pauli.'

1 *Sanguine Romano*] Pharsalicis Actiacisque in campis, atrocioribusque proscriptionibus.

2 *Prodigia plurima*] Hæc aliaque prodigia memorant Sueton. in Galba, I. Dio, LXIII. p. 727. Unum referam ob singularem tempestatis vim. Plin. II. 83. ' Non minus mirum ostentum et nostra cognovit ætas, anno Neronis Principis supremo, sicut in rebus ejus exposuimus, pratis oleisque, intercedente via publica, in contrarias sedes transgressis, in agro Marrucino, prædiis Vectii Marcelli, equitis Romani, res Neronis procurantis.' Expressius adhuc idem Plinius, XVII. 26. ' Super omnia quæ unquam audita sunt, erit prodigium in nostro ævo Neronis Principis ruina factum in agro Marrucino, Vectii Marcelli, e primis equestris ordinis, oliveto universo viam publicam transgresso, arvisque inde e contrario in locum oliveti profectis.' Marrucinus ager, hodie *Chieti, in Hither Abruzzo.* De cupressu, Urbi æquæva, de amnibus retro fluentibus, vide Plin. XVI. 44. et II. 103.

3 *Pileata*] Sueton. in Ner. LVII. Pileus libertatis insigne: unde Aurel. Victor. in Epitome, ' Ceterum adeo

omnium studia in novi Principatus spem ac fortunam conspiravere. Præcipua Nymphidii Sabini, prætorianorum præfecti, cura in se cuncta trahere,[1] ut ante Galbæ adventum firmata auctoritate, aut secundus in Imperio ageret, aut si senex, tres et septuaginta annos natus, itineris defatigatione occumberet, ipse capesseret Imperium: reputans 'prætorias cohortes dudum favorabiles, nunc donativi[2] promisso obligatas: penes se esse totam liberalitatis gratiam, apud Galbam necessitatem.' Proinde, ne tantas spes præcideret Tigellini societas,[3] ei gladio interdicit: simul consulares, ceterosque, qui exercitus provinciasve olim rexerant, conviviis aliisque id genus lautitiis occupat. Iisdem artibus per castra gliscit ambitio: plurimi jactitant 'mittendos ad Galbam legatos,[4] qui Nymphidium perpetuum, et sine collega, prætorianorum præfectum' efflagitent.

90. Par in senatu[5] adulatio. Patres ejus foribus assidere: beneficentiam laudare: omnibus senatusconsultis auctorem habere. Inde, uti fert hominum natura, orta Nymphidio arrogantia, senatui invidia, dein metus. Cito erupere hæc discordiarum semina. Patres, cum senatusconsultum[6] ad Galbam per tabellarios suos misissent, dedere simul diplomata, sigillo suo obsignata, quis oppida cursum celerarent.[7] Succensuit Nymphidius, questus

cunctæ provinciæ omnisque Roma interitu ejus, (Neronis,) exultavit, ut plebs induta pileis manumissionum, tanquam sævo exemta domino, triumpharet.' Plebis vero inconstantiam notat Suetonius, loc. cit. 'Et tamen non defuerunt qui per longum tempus vernis æstivisque floribus tumulum ejus ornarent: ac modo imagines prætextatas in rostris proferrent, modo edicta, quasi viventis, et brevi magno inimicorum malo reversuri.'

1 *Trahere*] Plutarch. in Galba, p. 1056.

2 *Donativi*] De quo dictum supra cap. 85.

3 *Tigellini societas*] Qui Nymphidii collega erat in præfectura prætoriarum cohortium.

4 *Legatos*] Plutarch. loc. cit.

5 *In senatu*] Plutarch. ibid.

6 *Senatusconsultum*] Plutarchus, ibid. Hoc senatusconsulto non tantum nova dignitas nuntiabatur, sed jura quoque, ut in lege Regia, proculdubio præscribebantur.

7 *Cursum celerarent*] Hanc unam cursum celerandi rationem repererat Augustus. Inde apud Romanos cursus publicus a nostro usu et commodo multum

'Patres nec suo signo nec prætorianis usos:' pœnas etiam, ut fama fuit, repetiturus, ni supplices, excusataque imprudentia, veniam exorassent.[1]

91. Tum, nihil non audendum ratus, odiis vulgi per prioris Principatus ignominiam gratificatur. Raptatæ Neronis imagines.[2] Spicillus, gladiator, cum iis tractus, in foro trucidatur. Acta per corpus Aponii, delationibus infamis, plaustra, lapidibus gravida. In hac vulgi licentia, sontium et insontium multitudo adeo promiscue perit, ut Mauricus,[3] futuri providus, 'Urbi promtum Neronis desiderium' prænuntiaverit. Interim a Nymphidio, se Caii Cæsaris filium ementito,[4] consulebatur, ut grata semper populo Romano Germanici memoria reviivisceret. Hæc quidem in fortunæ spem parata, in exitii causas vertere.

92. Galba enim, perlatis mira celeritate[5] nuntiis se a senatu Imperatorem fuisse consalutatum, auditoque Neronis fine, Romam erat profectus:[6] atrox ob diu ancipitem Imperii spem, necdum satis firmam; quod, cum iter faceret, nuntiarentur timerenturque turbæ, in repentinis casibus solitæ. Ob id, neglecta toga, paludatus,[7] et dependente a cervicibus pugione ante pectus,[8] quasi per hostile solum iter ingressus est. Pronus in severitatem, Hispaniarum Galliarumque civitates, quibus cunctatior fuerat fides, gravioribus

aberat.

1 *Exorassent*] Plutarch. ibid.

2 *Neronis imagines*] Hæc et seq. Plutarch. ibid. Inde autem non modo statuæ, sed vera etiam Neronis capita hodie rarissima sunt; ut videre est apud Cl. Winckelmann, *Histoire de l'Art chez les Anciens*, vol. II. p. 291.

3 *Mauricus*] Plutarcho, ibid. dictus Μαυρίσκος. At Mauricus, appellabatur; memoratus Hist. IV. 40. et in vita Agricolæ cap. 45.

4 *Ementito*] Plutarch. ibid. Tacit. Annal. XV. 72.

5 *Mira celeritate*] Mira quidem, cum Icelus libertus, de quo dictum supra cap. 88., nuntius advenerit septimo die post Neronis mortem, ut testatur Plutarchus in Galba, p. 1055. Proinde septem diebus confecit saltem decies sexcenta millia passuum; quod singulis diebus efficit ducenta viginti octo millia passuum; biduo post venere tabellarii, qui senatusconsultum afferebant, Plutarch. ibid., neque ipsi tardi.

6 *Erat profectus*] *Depositaque legati,* susceperat *Cæsaris appellationem.* Sueton. in Galba, XI.

7 *Paludatus*] Paludamentum vestis erat militaris, ut dictum est Annal. XII. 56.

8 *Ante pectus*] Sueton. loc. cit.

tributis, finium quoque damno[1] attrivit: auctoresque cunctationis, Obultronius Sabinus[2] et Cornelius Marcellus in Hispania, Betuus Chilo in Gallia, occisi. Simul Principis jussu, Trebonius Garucianus, procurator, Clodium Macrum[3] in Africa turbantem interficit. Fonteius Capito, ambiguis studiis suspectus, in Germania periit, a Cornelio Aquino et Fabio Valente oppressus.

93. Formidolosiorem Nymphidium præpropera cupido perditum iit. Cum secundas in Imperio obtinere vanis artibus tentasset, Vinio, Lacone, Icelo,[4] præpollentibus, et Othone per Vinii favorem ad fortunam sensim irrepente, Imperium invadere occupat, Mithridatis Pontici[5] opibus subnixus. Illi in prætoriano milite spes; et ne imparatus ad id dignitatis accederet, orationem a Cingonio Varrone,[6] venali ingenio, in tantum fastigium scriptam, edidicerat. Nox propinqua talibus ausis destinabatur. Restitit Antonii Honorati, tribuni, fides.[7] Præmonitis enim prætorianis, 'tot vices dedecere: præcipitem fuisse a Nerone, licet scelerum reo, defectionem: a Galba, novo et laudato Principe, probrosam fore: turpe insuper, si Liviæ affinem[8] Nymphidiæ filio[9] postponerent.' Cum Nymphidius castra

1 *Damno*] Tacit. Hist. I. 53. 'Quasdam etiam murorum destructione,' Sueton. in Galba, XII. 'Finium damno,' id est, ademtis agris; sic *finium* usurpatum videbis Hist. I. 24. Et civitates publicos agros habebant, ut omnibus compertum.

2 *Obultronius Sabinus*] Hæc et seq. Tacitus, Hist. I. 7. et 37. Sueton. in Galba, XI.

3 *Clodium Macrum*] De Clodio Macro vide not. ad Hist. I. 11.

4 *Vinio, Lacone, Icelo*] De his plura infra cap. 96.

5 *Mithridatis Pontici*] Plutarch. in Galba, p. 1058. Mithridates oriundus, ut videtur, Ponti regibus.

6 *Cingonio Varrone*] Plutarch. in Galba, p 1059. Perperam Latinus Plutarchi Interpres eum appellat *Ciconium Varronem*. Jam memoratus est Cingonius Varro, Annal. XIV. 45.

7 *Fides*] Hæc et seq. Plutarchus in Galba, p. 1058.

8 *Liviæ affinem*] Plutarch. ibid. Atque etiam expressius p. 1054. *ἦν δέ τι καὶ Λιβίᾳ τῇ Καίσαρος γυναικὶ κατὰ γένος προσήκων ὁ Γάλβας.* Aliter tamen Suetonius in Galba, II. 'Neroni Galba successit, nullo gradu contingens Cæsarum domum.' At Suetonii verba intelligenda mihi videntur de gradibus consanguinitatis, non vero de affinitate. Hujus affinitatis forte testis est nummus argenteus, qui fuit in Museo Collegii Ludovici Magni: IMP. SER. GALBA CAES. AVG. Capite laureato. In parte postica DIVA AVGVSTA. Livia sub effigie Pietatis expressa.

9 *Nymphidiæ filio*] Nymphidius, fi-

adisset, seu ut sua in fide firmaret animos, seu ut ortos forte motus sedaret, ipso in ingressu confossus occubuit.

94. Galba, hac cæde nuntiata, quasi Imperii pacisque certus, togam sumsit:[1] sed mutato habitu, haud mutata mens. Inerant semper ira, diffidentia, injuriarum memoria, ceteraque pavidi animi, in privato homine inhonesta, funesta Principi, cujus initia vera fictave lætitia gratiaque debent clarescere. Immo plus invidiæ movit cædes Petronii Turpiliani,[2] consularis et triumphalis viri, imperata quod Neronis dux fuisset, et a Tigellino patrata. Atrox quoque visum, præter Mithridaten et Cingonium,[3] consulem designatum, Principis edicto amicos sociosve Nymphidii inauditos et indefensos morte mulctari. Molliisset tamen intempestivam severitatem tutandi Imperii voluntas, aut necessitas, ni fuisset idem adversus omnes atque immeritos rigor. Sed cum legati, a senatu missi, Narbonem Martium[4] adventassent, ut Principi gratularentur, et 'quam primum Romam veniret,' orarent, parca fuit civilitas, nihil comitatis. Pari illiberalitate[5] exceptus Verginius, debellato Imperii hoste, spreto Principatu, summum honoris promeritus. At felix, qui ob nimiam virtutem parum gratus suspicaci Principi, id in his temporum adversis est assecutus, ut malorum reipublicæ spectator tantum, non actor, gloriæ suæ superstes, ad ea usque duraverit tempora, quibus revixit Romana felicitas.[6]

95. Cruento autem Principis itinere fœdior adhuc adventus. Urbsque horruit Classiarios, qui obviam occur-

lius Nymphidiæ, et, ut opinatur Plutarchus in Galba, p. 1056. Martiani gladiatoris.

1 *Togam sumsit*] Sueton. in Galba, xi.

2 *Petronii Turpiliani*] Tacit. Hist. i. 6. Jam memoratus est supra cap. 81. et Annal. xv. 72. Perperam appellatus a Plutarcho in Galba, p. 1059., *Πετρώνιος Τερτουλιανός*.

3 *Mithridaten et Cingonium*] Plutarch. ibid. De iis dictum cap. sup.

4 *Narbonem Martium*] Nunc *Narbonne:* urbem olim Galliarum clarissimam.

5 *Illiberalitate*] Causam affert Tacitus, Hist. i. 8. 'Nec statim pro Galba Verginius;' et Fabius Valens eum cunctationis accusaverat, teste Tacito, ibid. cap. 52.

6 *Romana felicitas*] Imperante Trajano, ut dicetur, cum ad hæc tempora devenerimus.

rerant,[1] sibique militiam a Nerone datam[2] servari orabant, non modo rejici, sed, qui aquilam signaque[3] pertinacius flagitaverant, immisso confestim equite, equorum vi obteri, aut trucidari : superstites, in Urbis oculis decimari, custodiave attineri, licet in fidem acceptos.[4] Amoti etiam prætorianorum plerique,[5] ob Nymphidii molimina suspecti. Germanorum cohors, quæ multis fidei experimentis se prioribus Cæsaribus in corporis custodia approbaverat, tum dissoluta, ac sine ullo commodo in patriam remissa; quasi Dolabellæ, juxta cujus hortos tendebat,[6] pronior.

96. Talibus non facta securitas, conflata tantum odia, quæ in dies crescebant, dum apud senem, in pœnas promtum, tardum ad præmia, nullus esset gratiæ locus,[7] concessaque a prioribus Principibus beneficia eriperentur.[8] Irritati adhuc animi, quod, super Principis vitia, majora ex hominibus, quibus se abutendum permiserat,[9] orirentur pericula. Titus Vinius, quem supra memoravi,[10] ut favore præcipuus, sic cupiditate immensa grassabatur. Cornelio Laconi, ex assessore,[11] præfecto prætorii, arrogantia socordiaque intolerabilis. Icelus, libertus, anulis donatus eques-

1 *Occurrerant*] Ad tertium ferme ab Urbe lapidem, Plutarch. in Galba, p. 1059. Vide et Tacitum, Hist. I. 87.

2 *A Nerone datam*] 'Ex remigibus justos milites eos fecerat' Nero, Sueton. in Galba, XVI., id est, legionem fecerat, Plutarch. loc. cit.

3 *Signaque*] Aquilam et signa legionis.

4 *In fidem acceptos*] Tacit. Hist. I. 6. 37. et 87. Sic trucidata multa millia inermium et innocentissimorum militum. Male Dio, LXIV. p. 729. ad prætorianos, δορυφόρους, retulit, quæ ad classiarios pertinere demonstrant Suetonius et Plutarchus, loc. cit.

5 *Prætorianorum plerique*] Sueton. in Galba, XVI.

6 *Tendebat*] Sueton. in Galba, XII.

7 *Gratiæ locus*] Sueton. in Galba, XIV. et XV.

8 *Eriperentur*] Sueton. ibid. 'Judicibus sextam decuriam adjici precantibus, non modo negavit, sed etiam concessum a Claudio beneficium, ne hyeme initioque anni ad judicandum evocarentur, eripuit——Liberalitates Neronis, non plus decimis concessis, per quinquaginta equites Romanos ea conditione revocandas curavit exigendasque, ut et si quid scenici aut Xystici donatum olim vendidissent, auferretur emtoribus, quando illi, absumto pretio, solvere nequirent.'

9 *Permiserat*] Sueton. in Galba, XIV.

10 *Memoravi*] Supra cap. 69. Sueton. loc. cit. Vinius, *mortalium deterrimus*, Tacit. Hist. I. 6.

11 *Ex assessore*] Sueton. ibid. Assessores magistratibus præsidibusve in jure dicundo assidebant. Liberti assidere poterant. Vide Digest. libr. I. Tit. 22. de officio assessorum. Leg. 2. Laco, mortalium *ignavissimus*, Tacit. Hist. I. 6.

trique nomine,[1] potentissimorum olim libertorum opes æmulabatur. Hos inter, lucri spe, et ob senium Principis in ruinam præceps, concordia: nec cura, nisi unde citior majorque fortuna pararetur.

97. Galba, his obnoxius, non suopte ingenio, sed pro eorum cupidine, regebatur. Per eos ergo licuit ut Helium, Polycletum, Petinum, Patrobium,[2] Neronis libidinum ministros, plecteret.[3] Tigellinum vero, nequiorem et invisum magis, at magna pecuniarum vi favorem T. Vinii emercatum,[4] morti subduxit; populumque Romanum, qui eum ad pœnas assidue repetebat, edicto increpuit, quod 'hominem tabe ferme enectum persequerentur:' flagitabat,[5] ne 'Principatum suum cruentarent, odiosumque facerent.' Tigellinus, quasi Deum munere servatus, pro salute sua litare;[6] magnoque sumtu parata scena, Vinii filiæ, alia jam elargitus,[7] decies sestertium[8] propinare.[9] Pronum credere quam id fuerit populo ingratum, quæ inde adversus Galbam invidia. Accedebant tetrica senectus, tristis avaritia,[10] præpostere tentata[11] Imperii leges moresque emendandi consilia, et vana libertatis restitutæ[12] ostentatio. Præterea gliscebant per exercitus querelæ, quod donativum[13] sibi

1 *Equestrique nomine*] Appellatus nempe *Martianus*, Tacit. Hist. I. 13. Ob nuntiatum Imperium incredibili celeritate, ut dictum supra cap. 92., id honorum adeptus, Plutarch. in Galba, p. 1056.

2 *Patrobium*] Locustam, veneficiis famosam, addit Dio. LXIV. p. 729.

3 *Plecteret*] Plutarch. in Galba, p. 1060.

4 *Emercatum*] Plutarch. ibid. Sueton. in Galba, XV.

5 *Flagitabat*] Plutarch. ibid.

6 *Litare*] Plutarch. ibid.

7 *Alia jam elargitus*] Quæ inter fuit monile, quod ex pellicum suarum primariæ collo detraxit ut Vinii filiæ daret, æstimatum πεντεκαίδεκα μυριάδων, Plutarch. ibid., id est, 'sexcentis millibus nummum,' Angl. 5000*l*.

8 *Decies sestertium*] Plutarch. ibid. πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας ἀργυρίου, Angl. 8333*l*. 6*s*. 8*d*. Male vertit interpres Latinus, 'duodecies sestertium.'

9 *Propinare*] Plutarch. in Galba, p. 1060., προὔπιεν. Quæ compotationes! quam opulentæ!

10 *Avaritia*] Sueton. in Galba, XII. Dio, LXIV. p. 728.

11 *Præpostere tentata*] Senem imbellemque Principem latebat in Imperiis magna et vetera mala sanari non posse, nisi acerrimo ingenio, viridi ætate, lentisque remediis.

12 *Libertatis restitutæ*] Unde in nummis Galbæ frequenter occurrit LIBERTAS P. R. vel LIBERTAS PVBLICA. vel LIBERTAS RESTITVTA.

13 *Donativum*] De quo supra cap. 85.

promissum frustra reposcerent. Efferavit quoque animos, magnifica, sed non talis Imperatoris, nec hujus temporis, vox, 'legi a se militem, non emi.'[1] Sic coalescebant discordiarum causæ, quæ sequentem annum funestavere, amplum historiæ argumentum.[2]

1 *Non emi*] Tacit. Hist. I. 5.

2 *Historiæ argumentum*] Vide Historiarum libros, quibus fuse splendideque hoc argumentum Tacitus est prosecutus.

APPENDIX

AD LIBRUM QUINTUM

HISTORIARUM C. C. TACITI.

AUCTORE GABRIELE BROTIER.

BREVIARIUM.

26. Batavi in fidem recepti; pacataque Germania. 27. Lingones favorem Domitiani occupant. Cæso Fonteio Agrippa, Sarmatæ Mœsiam populantur: mox a Rubrio Gallo fusi. 28. Obsidio Hierosolymitana. Primus urbis murus perrumpitur. 29. In alterius ruina acriter pugnatum. 30. Judæorum pervicacia. 31. Titus tridui opere urbem muro circumvallat. Expugnatur et exscinditur turris Antonia. 34. Fames, pestis, Hierosolymis grassantur. 35. Templum invadere frustra tentant Romani. 36. Portas succendi, templum tamen servari jubet Titus. 37. Judæi, suam in ruinam præcipites, inconsulto in Romanos irrumpunt. 38. Templum incenditur; ibique positis signis, Titus *imperator* consalutatur. 40. Reliquæ Judaici belli fœditates. Ardent Hierosolyma. 42. Titus, urbis ruinas ingressus, Deum victoriæ auctorem profitetur. 43. Inde Cæsaream discedit, Orientem lustraturus. Lucilius Bassus, quæ supererant in Judæa, expugnat. 44. Interim Vespasianus Alex-

andria Romam redierat: templi Capitolini operas exemplo inflammat. 46. Titus, ex Oriente redux, Hierosolyma revisit, ruinasque miseratur: Memphim venit; evinctusque caput diademate, Apidis consecrationi interest: unde Romæ conflata invidiæ materia. 47. Vespasianus Hispaniæ jus Latii tribuit: mox ad Urbana negotia intentus. 48. Vitæ ejus ratio. 49. Erga liberos cura. Titus Romam venit. 50. Vespasiano Titoque decernitur triumphus. Ejus pompa. 52. Clauditur Janus. Templum Pacis a Vespasiano conditum: ibi sacrata templi Hierosolymitani monumenta. Conspirantibus Vespasiani Titique votis, tentatur morum emendatio, Urbe vitiis fessa.

Hæc gesta,

A. U.	J. C.		
DCCCXXIII.	70.	Coss.	Flavio Vespasiano Aug. II. Tito Vespasiano Cæsare.
DCCCXXIV.	71.	Coss.	Flavio Vespasiano Aug. III. M. Cocceio Nerva.

---

26. NON fefellit Civilem ea inclinatio, et prævenire statuit; super tædium malorum, etiam spe vitæ, quæ plerumque magnos animos infringit. Petito colloquio, scinditur Nabaliæ fluminis pons; in cujus abrupta progressi duces: et *Civilis* ita cœpit: ‘Si apud Vitellii legatum defenderer; neque facto meo venia, neque dictis fides debebatur. Cuncta inter nos inimica, hostilia, ab illo cœpta, a me aucta erant. Erga Vespasianum vetus mihi observantia: et, cum privatus esset, amici vocabamur. Hoc Primo Antonio notum, cujus epistolis ad bellum accitus sum, ne Germanicæ legiones et Gallica juventus Alpes transcenderet. Quæ Antonius epistolis, Hordeonius Flaccus præsens monebat, arma in Germania movi: quæ Mucianus in Syria, Aponius

in Mœsia, Flavianus in Pannonia, Tiberius Alexander[1] in Ægypto, eadem fovi consilia. Pari studio Batavos, Canninefates, veteranasque cohortes in verba Vespasiani adegi.[2] Si quid postea hostile irrepsit, jure an injuria susceptum haud dixerim. Malim turbida temporum incusare, quam dubia imputare crimina. Certe vel ipsa inter bella me semper in pacem propendisse, Romanorumque partes juvisse multa fuere argumenta, et recens adhuc memoria.[3] Nec per me stabit quominus inter Romanos et Batavos fida firmaque societas renovetur. Olim sacramenti hortatorem, nunc me juvat esse conciliatorem pacis.' Studiis ita conspirantibus, in fidem recepti sunt Batavi: pacataque Germania.

27. Lingones,[4] Civilis societate innexi, Domitiani favorem occupaverant, septuaginta millibus armatorum[5] in ejus obsequium redactis. Atrocius cum Sarmatis pugnatum. Fonteius Agrippa, Mœsiæ, ut dictum est supra,[6] præpositus, adversus barbarorum vim invalidus, pugnando fortiter occubuit.[7] Tum cuncta incursionibus, populationibus obnoxia. Clade Vespasiano nuntiata, Rubrium Gallum misit,[8] qui rem restituit, fusosque sæpe barbaros renare Danubium coëgit: et, ne regredi iis foret animus, Romanis præsidiis validiora addidit munimenta.[9]

28. At major belli moles in Judæa agitabatur. Titus, cum cuncta expugnandis Hierosolymis apta struxisset, adulto jam vere,[10] operi institit,[11] morarum impatiens. Utrim-

1 *Tiberius Alexander*] A quo initium ferendi ad Vespasianum imperii Alexandriæ cœptum. Vide Hist. II. 79.

2 *In verba Vespasiani adegi*] Ut dictum est Hist. IV. 21.

3 *Recens adhuc memoria*] Superfuso enim Rheno, potuere opprimi legiones, et volebant Germani: at obstitit Civilis, idque nunc imputabat. Vide Hist. V. 24.

4 *Lingones*] De quibus Hist. IV. 55. et 77.

5 *Septuaginta millibus armatorum*] Frontinus, Strateg. IV. 3. n. 14.

6 *Dictum est supra*] Hist. III. 46.

7 *Occubuit*] Josephus, Bell. Jud. VII. 4. n. 3.

8 *Misit*] Josephus, ibid.

9 *Addidit munimenta*] Sic bellum Mœsiacum celeriter confectum est. Ὁ μὲν οὖν περὶ τὴν Μυσίαν πόλεμος ταχεῖαν οὕτως ἔλαβε τὴν κρίσιν. Josephus, loc. cit.

10 *Adulto jam vere*] Post festum diem Azymorum celebratum hoc anno die quintadecima mensis Xanthici, seu 14. mensis Aprilis. Joseph. Bell. Jud. V. 3. n. 1.

11 *Operi institit*] Relictis enim Spi-

que paribus animis certatum. Judæi locorum ingenio, hominum multitudine (nam undique terrarum, atque etiam trans Euphraten,[1] gentili discrimine pietateve[2] exciti, convenerant) primum valuere:[3] longiusque effossis subter terram cuniculis,[4] ruinam machinis, militibus, si forte materiarum causa, aquarumve penuria per agros palarentur, necem inferebant. Una quoque e tribus turribus, quas in quinquagenorum cubitorum altitudinem Titus eduxerat, fortuito casu nocte prolapsa,[5] oppugnatoribus terrorem morasque intulit. At tandem arte et virtute præpotuit Romana res, adjuta Titi periculo, impacto saxo lævum humerum saucii.[6] Legiones, ducis vulnere irritatæ, conniti; et perrupto muro, primam urbis partem, Septemtrionibus objectam, occupare:[7] integra Judæorum multitudine,

narum valle et Scopo, ubi primum fuere Romana castra, sed quæ longius ab Hierosolymis aberant, Titus aciem admovit; eamque instruxit a monte Olivarum, per montem Calvariæ, ad turres usque Psephinam et Hippicon: deinde ad monumenta usque Herodis prope piscinam Serpentium processit, machinas instruxit, et oppugnationem cœpit ad Joannis pontificis monumentum die 22. Aprilis. Joseph. Bell. Jud. v. 2. 3. et 6.

1 *Trans Euphraten*] Dio, LXVI. p. 746. Οἱ Ἰουδαῖοι, πολλοὶ μὲν αὐτόθεν, πολλοὶ δὲ καὶ παρὰ τῶν ὁμοήθων, οὐχ ὅτι ἐκ τῆς αὐτῆς τῶν Ῥωμαίων ἀρχῆς, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν πέραν Εὐφράτου προσβεβοηθηκότες: ‘Judæi plurimi, partim ex illa sua regione, partim ex iis, qui ejusdem religionis erant, nec e Romano tantum imperio, sed etiam e sitis trans Euphraten locis venerant, opem ferebant.’ Vide et Josephum, Bell. Jud. VI. 6. n. 2.

2 *Pietateve*] Ob Paschatis solennitatem.

3 *Primum valuere*] Josephus, Bell. Jud. v. 6. n. 6. Dio, loc. cit.

4 *Cuniculis*] Dio, LXVI. p. 746. Οἱ δὲ Ἰουδαῖοι διὰ τῶν ὑπονόμων ἴσχυον· ὀρωρυγμένους τε γὰρ αὐτοὺς ἔνδοθεν ὑπὸ τὰ τείχη μεχρὶ πόῤῥω τῆς χώρας εἶχον, καὶ δι’ αὐτῶν διεξιόντες, τοῖς τε ὑδρευομένοις ἐπετίθεντο, καὶ τοὺς ἀποσκεδαννυμένους ἐλυμαίνοντο· οὓς ὁ Τίτος πάντας ἀπέφραξε: ‘Judæi per cuniculos subterraneos multum poterant, quos ex urbe subter ipsa mœnia ad longinquas partes regionis actos habebant: perque hos ipsos cuniculos egressi, Romanos aquam petentes, et palantes damnis afficiebant. Titus universos hosce meatus obstruxit.’ Quam autem cœlum solumque Hierosolymitanum siticulosum sit, omnibus compertum est.

5 *Nocte prolapsa*] Joseph. Bell. Jud. v. 7. n. 1. Τοῦ γὰρ Τίτου πύργους τρεῖς κατασκευάσαι κελεύσαντος πεντηκονταπήχεις—συνέβη ἕνα πεσεῖν αὐτομάτως ἀνὰ μέσης νυκτός.

6 *Lævum humerum saucii*] Dio, loc. cit. Ὁ Τίτος αὐτὸς λίθῳ τὸν ἀριστερὸν ὦμον ἐπλήγη, καὶ ἀπ’ αὐτοῦ τὴν χεῖρα ἀσθενεστέραν εἶχε: ‘Titus ipse saxo percussus in humero sinistro, manum inde debiliorem habuit.’

7 *Occupare*] Prima illa pars urbis Hierosolymorum capta est die septima mensis Artemisii, seu die 6. Maii, quæ erat a cœpta oppugnatione quintadecima.

quæ in interiora secesserat.[1]

29. Crevit itaque cum fortuna periculum. Angustioribus enim standum locis; quantoque arctior, tanto validior interiorum urbis munitionum vis: duplicatus quoque[2] propugnatorum numerus. Aderat et immensa armorum supellex: nam præter solitas, aut in hanc necessitatem[3] inventas Judæis machinas, Romanæ etiam ostentabantur, sub belli initia in adversis Cestii Galli,[4] Syriæ legati, præliis captæ. Feroces inde animos, impunitatis spe, flectere tentavit[5] Titus. At clementiam Cæsaris pavorem interpretantes, spretis ejus nuntiis, audentia crevere. Ex eo major ira legionibus, contumeliæ indignitatem ægre ferentibus, certisque ardua quæque aggredi, ut promtior acriorque ultio foret. Properantur opera: muris admotæ machinæ: corruptæ obsessorum saxis ignibusve, confestim refectæ. Expugnandæ urbis signum dari ardet miles. Quo plus periculi, plus animi. Dato signo, acerrimus quisque, tela inter et saxa emisi, diruta alterius muri parte,[6] viam fecere. At, quod angustior erat aditus, nec Titus vastitatem statim

Joseph. Bell. Jud. v. 7. n. 2. Ῥωμαῖοι μὲν οὕτω τοῦ πρώτου τείχους πεντεκαιδεκάτῃ κρατήσαντες ἡμέρᾳ, ἑβδόμη δ' ἦν Ἀρτεμισίου μηνὸς, αὐτοῦ τε πολὺ κατασκάπτουσι, καὶ τὰ προσάρκτια τῆς πόλεως, ἃ καὶ πρότερον Κέστιος: 'Romani primo muro ita potiti sunt die quintadecima, septima enim erat mensis Artemisii, et partem ejus magnam diruunt, et septemtrionalia urbis, quæ etiam prius vastaverat Cestius.'

1 *Secesserat*] Josephus et Dio, ibid.

2 *Duplicatus quoque*] Tunc enim commune discrimen propulsare aggressi sunt Joannes et Simon. Ille ex turri Antonia, Septemtrionali porticu templi, et Alexandri monumento pugnabat. Hic juxta monumentum Joannis, et tenebat usque ad portam, qua in turrim Hippicon aqua inducebatur. Titus autem locum, Castra Assyriorum dictum, obtinuit, et quicquid interjacet usque ad Cedronem occupavit. Joseph. Bell. Jud. v. 7. n. 3.

3 *In hanc necessitatem*] Joseph. Bell. Jud. v. 1. n. 5. Præterea Josephus, Bell. Jud. v. 9. n. 2. inter bellicas Judæorum machinas numerat trecentos scorpiones et quadraginta balistas, εἶχον δ' ὀξυβελεῖς μὲν τριακοσίους, τεσσαράκοντα δὲ τῶν λιθοβόλων. Hos scorpiones describit Vegetius, IV. 22. 'Scorpiones dicebant, quas nunc manubalistas vocant: ideo sic nuncupati, quod parvis subtilibusque spiculis inferant mortem.' Alii sunt, et majores, scorpiones, quos describit Ammianus Marcellinus, XXIII. 3.

4 *Cestii Galli*] De quo Hist. v. 10. Vide et Suppl. Annal. XVI. 47.

5 *Flectere tentavit*] Dio, loc. cit.

6 *Alterius muri parte*] Josephus, Bell. Jud. v. 8. n. 1. Αἱρεῖ δὲ Καῖσαρ ταύτῃ τὸ τεῖχος ἡμέρᾳ πέμπτῃ μετὰ τὸ πρῶτον: 'Alterum murum (in parte urbis Septemtrionali,) cepit Cæsar die quinto post primum captum.' Quintus autem ille deis fuit duodecimus mensis

intulit, clementia potius, quam belli jure utendum ratus;[1] Judæi indulgentia in perfidiam abuti, tantoque impetu in paucos Romanos,[2] qui, duce Tito, subierant, irruere, ut eos extra murum pellerent. Atrox hic cædes; triduoque[3] in muri ruina, quam Judæi oppositis corporibus vallabant, pugnatum. Tandem quarto die,[4] victis Judæis, intusque cedentibus, ad turrim Antoniam[5] ventum est.

30. Cum ea foret solo editiore inaccessa, structi ad oppugnandum aggeres.[6] Interim, ut Judæorum audacia terrore flecteretur, per quatuor dies ostentata[7] acies Romana: publice data annona: ingentem auri argentique vim, minasque militum, armis et insignibus fulgentium, e summis mœnibus parteque Septemtrionali templi prospectabant obsessi. Præterea missus Josephus,[8] nobis jam supra memoratus, qui eos veniæ, libertatis, fortunarum spe ad deditionem excitaret. Nec hostilium virium aspectus, nec

Artemisii, et 11. mensis Maii.

1 *Utendum ratus*] Ita Josephus, loc. cit. Hæc enim una Tito cura ut sibi urbem, templum urbi conservaret. Περὶ πλείστου γὰρ ἐποιεῖτο σῶσαι τὴν μὲν πόλιν αὑτῷ, τὸν δὲ ναὸν τῇ πόλει.

2 *In paucos Romanos*] Titus cum mille armatis, et lectis, quos circa se habebat, militibus, alterum murum erat ingressus. Joseph. loc. cit.

3 *Triduoque*] Josephus, loc. cit. n. 2. Τρισὶ μεν ἀντέσχον ἡμέραις.

4 *Quarto die*] Titus, quarto die, τῇ τετάρτῃ, Judæos fortiter adortus, altero muro potitus est. Quod ad Septemtrionem spectabat statim diruit: partis vero Meridionalis turribus præsidium imposuit. Joseph. ibid. Quartus ille dies fuit 15. mensis Maii.

5 *Turrim Antoniam*] De qua dictum Hist. v. 11.

6 *Ad oppugnandum aggeres*] Quatuor maximos aggeres memorat Josephus, Bell. Jud. v. 11. n. 4. Horum unum ad turrim Antoniam, contra mediam piscinam, quæ Struthia vocabatur, struxerat quinta legio; alium legio duodecima, inde circiter viginti cubitos distantem: tertium legio decima, ad Orientalem partem urbis, et piscinam, quæ Amygdalon appellabatur; quartum legio quintadecima, ad Joannis Pontificis monumentum, triginta inde cubitos distans. Joseph. Bell. Jud. v. 9. n. 2. et v. 11. n. 4. Ait ibidem Josephus illos cœptos fuisse duodecimo die mensis Artemisii, vix autem perfectos fuisse die vigesimo nono, diebus septemdecim operi sine intermissione impensis. Ergo aggeres cœpti sunt die ipso, quo secundus urbis murus dirutus est. Dies autem vigesimus nonus fuit 28. Maii.

7 *Per quatuor dies ostentata*] In Hierosolymorum suburbanis, Septemtrionem versus, ostentata est acies Romana. Joseph. Bell. Jud. v. 9. n. 1. Quatuor illi dies fuere 16. 17. 18. 19. Maii.

8 *Missus Josephus*] Joseph. Bell. Jud. v. 9. n. 3. Jam memoratus est supra in Suppl. Annal. xvi. 58.

promissa, ne horrenda quidem fames,[1] quæ jam sæviebat, feroces animos molliere. Immo ipsi transfugæ, Titi clementia in castra Romana recepti, occulta meditabantur crimina;[2] et si quem forte Romanorum solum repererant, jugulabant, aut clam obturatis corruptisve fontibus, insanabile malum afferebant. Multi in talis perfidiæ pœnas, gentiliumque terriculum, ante urbis oculos crucibus affixi,[3] truncisve manibus[4] ad suos remissi. His suppliciis exacerbata adhuc odia; ultionemque nova ruina parabat Joannes. Effossa enim sub aggeribus terra,[5] incensisque materiis,[6] quibus opus pensile sustinebatur, subito hiatu absorpti sunt aggeres: dissiluere machinæ; et, erumpente flamma, statim haustæ sunt. Nihil tristius toto bello contigerat.[7] Id tamen biduo post[8] ferme renovatum. Simonis enim instinctu, tres juvenes, præcipua apud eos audacia, Tephthæus, Megassarus, et Chagiras[9] (nam barbara etiam nomina ob facinoris insigne memoranda) urbe, raptis facibus, egressi, machinas aliis aggeribus[10] impositas, per me-

1 *Fames*] De qua multa Josephus, Bell. Jud. v. 10. Magnam autem frumenti copiam, quæ non paucis annis suffecisset, initio belli combusserant discordes Judæi. Josephus, Bell. Jud. v. 1. n. 4. Præterea ne quid spei Judæis maneret, Titus pulcherrima urbis suburbana exciderat, et omnem late regionem ad nonaginta stadia circumquaque vastaverat, ita ut nihil in campis, ne arbor quidem, superesset. Josephus, Bell. Jud. VI. 1. n. 1.

2 *Meditabantur crimina*] Dio, loc. cit.

3 *Crucibus affixi*] Judæos quidem cruci affixos memorat Josephus, Bell. Jud. v. 11. n. 1. At silet causam, eosque ideo tantum a Tito punitos tradit, ut obsessi quid ipsos maneret, ni se dederent, intelligerent. Quod a Romana disciplina Titique clementia omnino alienum.

4 *Truncisve manibus*] Joseph. ibid. n. 2.

5 *Sub aggeribus terra*] Joseph. ibid. n. 4. Aggeres illi a legionibus v. et XII. ad Turrim Antoniam fuerant exstructi; ut modo observatum est supra cap. 30. not. inf.

6 *Incensisque materiis*] Pice ac bitumine illitæ fuerant materiæ; succensisque sudibus, pensiles aggeres magno cum sonitu corruere. Joseph. ibid.

7 *Contigerat*] Id contigisse videtur die prima mensis Sivan, seu 29. Maii.

8 *Biduo post*] Joseph. ibid. n. 5. Id ergo accidit die tertia mensis Sivan, seu 31. Maii.

9 *Chagiras*] Sic cognominatus ex fortuna, ait Joseph. ibid. quæ vox *claudum* significat. חגירא enim Judæis est *claudus*. Tres autem illi viri e periculo non se subduxere prius, quam cum ignis machinas corripuit. Joseph. ibid.

10 *Aliis aggeribus*] Ii sunt aggeres,

dios hostes, per tela, per gladios, incendendas susceperunt, et incendere: neque ignes, propter Judæorum, e muro, factaque irruptione, pugnantium, pervicaciam, restingui potuerunt.[1]

31. Adverso casu haud fracta Titi constantia: sed cladem in urbis exitium vertit; eamque incredibili tridui opere[2] per triginta novem stadia[3] muro ac turribus[4] ita circumvallavit, ut nulla effugii spes obsessos maneret. In hac necessitate, multa fuere Judæorum transfugia; haud meliore iis penes Romanos, quam penes suos, sorte. Multi enim, longa fame invalidi, oblatis affatim cibis enecabantur:[5] alii, innata genti auri cupidine, comperti opes suas, antequam transfugerent, vorasse,[6] ab Arabibus Syrisque[7]

quos legiones x. et xv. ad Orientalem urbis partem struxerant, ut jam observavimus supra cap. 30. not. inf.

1 *Restingui potuerunt*] Joseph. ibid.

2 *Incredibili tridui opere*] Joseph. Bell. Jud. v. 12. n. 2. Τρισὶ δ' ᾠκοδομήθη τὸ πᾶν ἡμέραις· ὡς τὸ μὲν ἔργον μηνῶν ἄξιον, τὸ δὲ τάχος ἡττῆσθαι πίστεως: 'Totum autem opus triduo constructum est, ut id quidem dignum mensibus videretur, celeritas vero fide careret.' Triduum illud fuit sane 2. 3. et 4. Junii. A Tito autem ita deproperatum opus, quod Judæi sabbatum et duos dies festos Septimanarum, seu Pentecostes, celebravere diebus 5. 6. et 7. mensis Sivan, id est, 2. 3. et 4. Junii.

3 *Per triginta novem stadia*] Josephus, ibid. Τὸ μὲν οὖν τεῖχος ἑνὸς δέοντος τεσσαράκοντα σταδίων ἦν: 'Murus uno minus quadraginta stadiorum erat.'

4 *Muro ac turribus*] Circuitum muri fuse describit Josephus, ibid. Hujus struendi initium factum a castris Assyriorum, ubi tendebat Titus: hinc ad inferiorem Cænopolim ductus; inde per Cedronem ad Olivarum montem pergebat: dein revertens a meridie montem complectebatur usque ad petram Peristereonon, proximumque collem, qui valli juxta fontem Siloam imminebat: inde ad vallem fontis descendebat, factoque post ascensu ad Anani pontificis monumentum, montem circumdabat, ubi Pompeius castra olim posuerat: tum ad Septentrionale urbis latus redibat, progressusque ad vicum, qui Cicerum domus, Ἐρεβίνθων οἶκος, dicebatur, Herodisque monumentum complexus, ad Orientem Titi castris, unde initium ceperat, conjungebatur. Huic autem muro foris astructa sunt tredecim castella, seu præsidia, quorum ambitus erat denis stadiis. Ἔξωθεν δὲ αὐτῷ προσῳκοδομήθη τρισκαίδεκα φρούρια, καὶ τούτων οἱ κύκλοι δέκα συνηριθμοῦντο σταδίων. Facto hoc muro, tunc impletum est, quod Jesus, videns civitatem, et super illam flens, prædixerat: Ὅτι ἥξουσιν ἡμέραι ἐπί σε, καὶ περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι, καὶ περικυκλώσουσί σε, καὶ συνέξουσί σε πάντοθεν. Luc. xix. 43.

5 *Cibis enecabantur*] Joseph. Bell. Jud. v. 13. n. 4.

6 *Vorasse*] Joseph. ibid.

7 *Arabibus Syrisque*] Qui erant auxiliares in exercitu Romano.

dissecti sunt:[1] ne Romanus[2] quidem miles ab ea atrocitate penitus integer: Judæorum duo millia[3] sic periere; indignante quidem Tito, et morte iis, qui tale post scelus auderent, intentata.[4] Ceteris autem, qui in urbe manserant, nulla salutis cura. Ducibus tantum furor: Joannes in templi spoliationes[5] præceps, in gentilium cædes[6] Simon: tam effræna libidine, ut si ab oppugnatione destitissent Romani, Hierosolyma furialibus suorum odiis periissent.[7]

32. Tædio præsentium, futurorum metu, præfectus turri Antoniæ, Judas nomine,[8] cum fidissimis Judæis decem, proditionem pepigit. Jam Titus, turrim occupaturus, adventabat, cum Simon, retectis consiliis, proditores circumvenit; hisque ante Romanorum ora jugulatis, discerpta eorum membra projecit.[9] At, flagitii loco, Romanis affuere fortuna et virtus. Ubi enim admotæ machinæ, pars muri a Joanne, ut memoravimus,[10] suffossa, repente corruit.[11] Juvit hac irrumpere. Alter tamen assurgebat murus, quem Joannes, prioris casu diffisus, struxerat.[12] Sabinus,[13] periculo laudisque cupidine accensus, lectis undecim sociis, tela inter et saxa, desuper vibrata, murum superat; Judæosque audacia ita attonuit, ut in fugam verterentur. At forte pedem saxo illisus, magno cum armorum sonitu procidit. Conversi Judæi in eum irruunt. Sabinus,

1 *Dissecti sunt*] Ut auro, quod voraverant, potirentur Arabes, Syri, ac nonnulli etiam e militibus Romanis.

2 *Ne Romanus*] Joseph. Bell. Jud. v. 13. n. 5.

3 *Duo millia*] Joseph. ibid.

4 *Intentata*] Quos etiam, circumfuso equitatu, jaculis configi statim jussisset Titus, ni reorum multitudine impeditus fuisset. Joseph. ibid.

5 *In templi spoliationes*] Joseph. Bell. Jud. v. 13. n. 6. Inter donaria, quæ Joannes tunc rapuit, memorat Josephus urceolos ab Augusto ejusque uxore Livia olim templo datos.

6 *In gentilium cædes*] Tum Matthiam, Ananiam pontificem, aliosque plurimos interfecit Simon; ut videre est apud Joseph. Bell. Jud. v. 13. n. 1.

7 *Periissent*] Hac in re multus Josephus, Bell. Jud. v. 13. n. 5. 6. et alias sæpe.

8 *Judas nomine*] Joseph. Bell. Jud. v. 13. n. 2.

9 *Projecit*] Josephus, ibid.

10 *Memoravimus*] Cum Joannes terram sub aggeribus Romanis effodit, ut dictum est supra c. 30.

11 *Corruit*] Josephus, Bell. Jud. vi. 1. n. 3.

12 *Struxerat*] Josephus, Bell. Jud. vi. 1. n. 4.

13 *Sabinus*] Natione Syrus, γένος ἀπὸ Συρίας. Joseph. Bell. Jud. vi. 1. n. 6.

in genu erectus, tectusque clypeo, eorum impetum fortiter sustinet, et proximum quemque vulneribus affligit, donec ipse, telis undique petitus, occubuit: tres, qui eum secuti in murum evaserant, trucidati: reliqui saucii, in castra ægre retracti.[1] Virtutis exemplum Romanos inflammat; turrisque Antonia sexto oppugnationis die capta:[2] jussit Cæsar 'eam[3] funditus everti; tentarique[4] adhuc Judæorum animos, utrum deditionem vellent facere:' ipse pollicitus, 'illæsum inviolatumque fore templum: servata etiam loci sanctitate, quem Romanis adire nefas.'[5]

33. Duratis ad mala animis, nihil sani supererat consilii. Itaque structi aggeres,[6] et templo propinqua-

1 *Ægre retracti*] Joseph. ibid. 'Id autem contigit die tertia mensis Panemi,' id est, die 30. Junii. Ταῦτα μὲν οὖν τρίτῃ Πανέμου μηνὸς ἐπράχθη. Joseph. ibid.

2 *Sexto oppugnationis die capta*] Ad expugnandam turrim Antoniam structi sunt aggeres per dies unum et viginti, μιᾷ καὶ εἴκοσι ἡμέραις, id est, a die 6. ad diem 27. Junii. Turris oppugnatio cœpta, primo die mensis Panemi, seu 28. Junii, νουμηνίᾳ Πανέμου μηνὸς ἡ ἐπιχείρησις ἦν. Biduo post infelicem Sabini casum, μετὰ δὲ ἡμέρας δύο, id est, die 2. Julii, viginti milites, qui per aggeres excubias agebant, accito quintæ legionis signifero, duobus ex ala equitum, et uno tubicine, hora noctis nona murum superavere: obtruncatisque, qui primum occurrerunt, somnolentis Judæis custodibus, buccina concinunt: reliqui custodes Judæi diffugiunt territi. Titus, audito signo, armari propere exercitum jubet: statim ipse cum ducibus lectaque manu astat. Ferme occupatum templum. At illud a Romanis violari perhorrescentes Judæi, resumunt animos. Acerrime certatum a nona noctis hora ad horam diei septimam, qua cum templum expugnari non posset, occupata tantum turris Antonia die 3. Julii. Joseph. Bell. Jud. vi. 1. n. 1. 3. et 7.

3 *Eam*] Septem diebus eversa est turris Antonia. Sic æquus latusque ad templum ascensus munitus est. Τῶν Ῥωμαίων δύναμις ἡμέραις ἑπτὰ καταστρεψαμένη τοὺς τῆς Ἀντωνίας θεμελίους μέχρι τοῦ ἱεροῦ πλατεῖαν ἄνοδον εὐτρεπίσαντο. Joseph. Bell. Jud vi. 2. n. 7. Vide eundem Josephum, ibid. n. 1. Septem dies, quibus Antonia turris eversa, numerandi sunt a die 4. ad 10. Julii diem.

4 *Tentarique*] Missusque adhuc Josephus, qui Judæos alloqueretur. Joseph. ibid. n. 1.

5 *Romanis adire nefas*] Joseph. ibid. n. 4.

6 *Structi aggeres*] Quatuor structi aggeres: unus contra interioris templi angulum, qui ad Septentrionem Orientemque spectabat: alter ad exedram Septentrionalem, quæ inter duas portas erat: tertius contra porticum Occidentalem exterioris templi: quartus contra Septentrionalem porticum. In his autem struendis plurimus fuit labor, quod materiæ a centesimo usque stadio essent comportandæ. Τὴν ὕλην ἀφ' ἑκατὸν σταδίων συγκομίζουσιν. Joseph. ibid. n. 7. Adeo vicina Hierosolymis loca fuerant vastata. Cum ad turrim Antoniam struerentur aggeres, de quibus dictum est supra cap. 30. not. inf. jam asportatæ fuerant materiæ a nonagesimo stadio, ad id spatium

tum.[1] Titus, subita irruptione illud occupari posse ratus, mittit S. Cerealem, qui cum lectissima militum manu[2] illud noctu invadat. Ii hora noctis nona[3] subiere. Judæi, non dediti, ut sperabatur, somno, statim astiterunt: acriter pugnatum, minore tamen Romanorum, quam Judæorum clade. Romanus enim miles, belli gnarus, sese signo[4] noscitabat, et inter se stipatus, consertisque scutis, haud ita vulneribus patebat. Contra Judæi, temeritate acti, suorumque ob tenebras ignari, plus sibi, quam hostibus, exitii inferebant: valebant tamen numero; nec pugnæ finem nox attulit. Orta luce, cum discrimine crevit ardor: certamen ante quintam diei horam[5] haud diremtum; et, ancipiti vcotria, utrimque discessum. Tum Titus struendis aggeribus acrius institit,[6] ut templi oppugnationem celeraret. Primum fuit Judæis resistendi impetus; et juxta montem Olivarum[7] erupere: sed vi Romana pulsi fractique.[8] Aucta tantum irrito conatu ira.

34. Acerbior tamen in dies urbis status: ingravescebat

attonsa undique circa Hierosolyma regione. *Κείραντες, ὡς προείρηται, τὴν περὶ τὸ ἄστυ χώραν ἐπ' ἐνενήκοντα σταδίους ἐν κύκλῳ πᾶσαν.* Josephus, Bell. Jud. VI. 1. n. 1.

1 *Propinquatum*] Multaque tentavit Titus, ut Joannem ad deditionem adduceret. Sed is erat in dies obstinatior. Multa tamen fuere Judæorum transfugia. Joseph. Bell. Jud. VI. 2. n. 1. 2. et 3.

2 *Lectissima militum manu*] Lecti e singulis centuriis triceni milites strenuissimi, et attributi per millenos tribuni. Joseph. Bell. Jud. VI. 2. n. 5.

3 *Hora noctis nona*] Hæc hora non modo insidiis opportuna, sed ad pugnam quoque expedita in his cœli terræque ardoribus. Subiere autem Romani, ut ex narratarum rerum serie videtur, die 15. Julii.

4 *Signo*] Signum, *the watch word.*

5 *Quintam diei horam*] Joseph. Bell. Jud. VI. 2. n. 6. *Τὸ δὲ πέρας ἀρξάμενοι τῆς νυκτὸς ἐννάτης ὥρας, ὑπὲρ πέμπτην τῆς ἡμέρας διελύθησαν.*

6 *Acrius institit*] Joseph. Bell. Jud. VI. 2. n. 8.

7 *Montem Olivarum*] Erupere Judæi altera die, postquam ascenderant Romani, *μετὰ δὲ μίαν ἡμέραν αὐτῶν τῆς ἀνόδου,* circa undecimam diei horam, *περὶ ὥραν ἑνδεκάτην τῆς ἡμέρας.* Joseph. loc. cit. Ergo illa eruptio facta die 17. Julii, cum Sol ad occasum proxime vergeret. Mons autem Olivarum est ad Orientem urbis Jerusalem, altissimus, et unde non in urbem tantum, sed in omnes circum campos late patet prospectus. Haud procul a monte Olivarum, ex quo Jesus Christus in cœlos ascendit, est hortus Gethsemani, ubi a Juda fuit proditus et captus. Matth. XXVI. 36. Joan. XVIII. 2.

8 *Pulsi fractique*] Narrat Josephus, loc. cit. pulsis tunc Judæis, Pedanium ex ala equitum, currente equo, ita tamen se inclinasse, ut Judæum fugientem, juvenem quidem, sed corpore validum, et armis undique septum, talo comprehen-

fames:[1] auditumque enectos pueros;[2] matrem[3] (fœdum dictu et hactenus inauditum)[4] filio suo pastam, inutili scelere: nam mortem nefarie dilatam urgebat tetra lues,[5] famis comes. Ipsa peste gravior adhuc necessitas, cum plurimi, aut fame pressi, aut ejus metu, domos penetrant; et, dum si quid edule occultatum rimantur, cuncta latrociniis et cædibus miscent.[6] Populus, his malis victus, vias pacis tandem inisset, ni duces,[7] scelerum conscientia feroces, fanaticaque vatum turba,[8] 'quanto instantius discrimen, tanto propiorem manifestioremque Dei opem' jactitantium, salubria avertissent consilia. At mentes, timorem inter spemque ancipites, turbabant dira præsagia, supra jam memorata,[9] et atroces excidii minæ. Nempe e plebe

derit, captivumque ad Titum tulerit. Quod puerile et historia indignum. Sed, ut alias jam monui, multa sunt in Josepho, quæ laudaveris, multa quoque quæ arguas. Exemplum adduxisse sit satis.

1 *Ingravescebat fames*] Quæ tanta erat, ut esurientes Judæi cloacas rimarentur, boum stercora aliaque horrenda in cibos verterent. Joseph. Bell. Jud. v. 13. n. 7. Antequam Titus urbem muro circumvallaret, modius frumenti jam venierat talento, Angl. 375*l.* Josephus, ibid. Alia plura de hac fame si volueris, vide Josephum, Bell. Jud. v. 10. et 12. vi. 3. n. 3.

2 *Enectos pueros*] Joseph. Bell. v. 10. n. 3.

3 *Matrem*] Mariam nomine, fœminam origine nobilem. Josephus, Bell. Jud. vi. 3. n. 4. Quod ubi vulgatum, tantus fuit in omnibus horroris sensus, ut et Titus urbis, in nefanda scelerum monstra ferocientis, excidium sanxerit; et ipsi Judæi, fame pressi, ad mortem properarent, beatosque prædicarent, qui ante occubuerant, quam talia aut visu, aut auditu, acciperent. Joseph. ibid. Sic adimplebatur quod prædixerat Jesus Christus, cum conversus ad filias Jerusalem dicebat: Μὴ κλαίετε ἐπ' ἐμὲ, πλὴν ἐφ' ἑαυτὰς κλαίετε, καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ὑμῶν. Ὅτι ἰδοῦ, ἔρχονται ἡμέραι ἐν αἷς ἐροῦσι· Μακάριαι αἱ στεῖραι, καὶ κοιλίαι αἳ οὐκ ἐγέννησαν, καὶ μαστοὶ οἳ οὐκ ἐθήλασαν. Τότε ἄρξονται λέγειν τοῖς ὄρεσι, πέσετε ἐφ' ἡμᾶς· καὶ τοῖς βουνοῖς, καλύψατε ἡμᾶς. Luc. xxiii. 28. et seq.

4 *Inauditum*] Joseph. loc. cit. Postea aliquando in recentibus nostris Historiis id auditum, sed semper horrendum.

5 *Tetra lues*] Adeo pestifera, ut a quartodecimo die mensis Xanthici, seu 13. Aprilis, ad primum diem mensis Panemi, seu 28. Junii, per unam tantum portam elati fuissent mortui 115,880. μυριάδας ἕνδεκα νεκρῶν ἐπὶ πεντακισχιλίοις ὀκτακοσίοις ὀγδοήκοντα. Sic enim a Mannæo, transfuga, cui hujus portæ custodia fuerat eredita, accepit Titus. Universis portis elatos fuisse mortuos 600,000. μυριάδας ἑξήκοντα, præter alios innumeros, qui non elati sunt, proditum est. Joseph. Bell. Jud. v. 13. n. 7.

6 *Latrociniis et cædibus miscent*] Josephus, Bell. Jud. v. 12. n. 3. vi. 3. n. 3.

7 *Ni duces*] Joseph. Bell. Jud. vi. 2.

8 *Vatum turba*] Joseph. Bell. vi. 5. n. 2.

9 *Memorata*] Hist. v. 8.

quidam, Jesus nomine, quadriennio ante inchoatum bellum[1] acerba in populum, urbem, templumque diu ac noctu fuerat vociferatus:[2] nec minis, nec verberibus a ferali carmine destiterat.[3] Cœpto urbis obsidio, quasi facta præsagiis fide, mœstus et in atra cogitationum conditus mœnibus obambulabat, clamitans: ' væ, væ iterum urbi, templo, populo!' Hæc tum ingeminans: ' væ, væ mihi!' exclamavit, corruitque exanimis, lapide balista excusso percussus.[4] Recens adhuc portentum, et in tristius interpretatum, cessavit juge sacrificium.[5]

1 *Quadriennio ante bellum*] Quadriennio ante bellum, Hierosolyma venerat ad diem festum Scenopegiæ, seu tabernaculorum: tum clamare cœpit, et perstitit sine raucitate, integrisque viribus, per annos septem et quinque menses, ἐφ' ἑπτὰ ἔτη, καὶ μῆνας πέντε. Joseph. Bell. Jud. VI. 5. n. 2.

2 *Vociferatus*] ' Diu noctuque omnes urbis vicos circuibat, clamitans: Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox a quatuor ventis, vox in Hierosolyma, et in templum, vox in sponsos et in sponsas, vox in universum populum:' Φωνὴ ἀπ' ἀνατολῆς, φωνὴ ἀπὸ δύσεως, φωνὴ ἀπὸ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, φωνὴ ἐπὶ Ἱεροσόλυμα, καὶ τὸν ναὸν, φωνὴ ἐπὶ νυμφίους καὶ νύμφας, φωνὴ ἐπὶ τὸν λαὸν πάντα. Τοῦτο, μεθ' ἡμέραν καὶ νύκτωρ, καὶ πάντας τοὺς στενωποὺς περιῄει κεκραγώς. Josephus, loc. cit. Eadem Hebraice habet Josephus Gorionides, VI. 53.

3 *Destiterat*] Inde cum a Judæis frustra verberibus fuisset affectus, Albino, tum Judææ procuratori, traditus est; apud quem ad ossium usque nudationem laniatus, nec preces, nec lacrymas effudit, ad singula tantum verbera lugubriter clamabat, Væ, væ Hierosolymis, Αἲ αἲ Ἱεροσολύμοις. Ab Albino interrogatus cur hæc diceret, nihil omnino respondebat. Albinus eum, ut amentem, dimisit. Is ergo in hac sua vociferatione perstitit, nihil mali imprecatus, cum in singulos dies vapularet; neque cibos impartientibus benedicebat: sed unum illi ad omnes responsum, ' Dirum omen,' σκυθρωπὴ κληδών. Joseph. ibid.

4 *Percussus*] Joseph. ibid.

5 *Cessavit juge sacrificium*] Cessavit die septimadecima mensis Panemi, seu 14. Julii; Πανέμου δ' ἦν ἑπτακαιδεκάτῃ. Josephus, Bell. Jud. VI. 2. n. 1. Eadem quoque die cessaverat in primo templo. Quod adhuc acerbo jejunio singulis annis die septimadecima mensis Tamuz Judæi recolunt. Immo inter ipsos pii plurimi a die illa septimadecima Tamuz ad diem nonam mensis Ab, qua ob primi secundique templi excidia jejunium est, carnibus vinoque abstinent. Omnes enim illi dies genti fuere luctuosissimi. Errat autem Joseph Gorionides, VI. 48. cum hæc retrahit ad diem festum Septimanarum, seu Pentecostes, id est, diem 8. mensis Junii. Ipsa obsidionis descriptione satis refutatur. Quod autem spectat ad juge sacrificium, Judæis עלת תמיד dictum, ejus leges ritusque docet Moyses, Num. XXVIII. 3. et seq. ' Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis: Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum. Unum offeretis mane, et alterum ad vesperum, decimam partem ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, et habeat quartam partem hin. Holocaustum juge est, quod obtulistis in monte Sinai in odorem suavissimum incensi Domini. Alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam,

35. Talibus efferati Judæi per suas strages vagantur, ferro, flamma, tectorum, murorum, aggerum subversionibus Romanos obrui, aut a templo averti posse opinati. Has inter ruinas, flammantibusque porticibus,[1] patuit magnifica templi facies. Quasi religione attonitus,[2] stetit Romanus exercitus. Opus fuit ut Titus juberet[3] 'ulterius audere; et per violata jam Judæis sacra pœnas de gente hominibus Deisque invisa ejus excidio repeti.' Structi aggeres,[4] admotæ validissimæ machinæ; irrito tamen labore,[5] ob immensas lapidum moles. Appositæ ergo templi porticibus[6] scalæ. Nec subeuntibus obstitere Judæi: at, ubi

juxta omnem ritum sacrificii matutini, et libamentorum ejus, oblationem suavissimi odoris Domino.' Cessasse sacrificium penuria virorum, ἀνδρῶν ἀπορίᾳ, scribit Josephus, loc. cit. Sunt qui pro ἀνδρῶν emendent ἀμνῶν vel ἀρνῶν, id est, *agnorum:* sed minime probabiliter, ut jam monuit eruditus Relandus. Titus enim Joanni, qui templum tenebat, Judæos obtulit, qui intermissa sacrificia celebrarent; ut videre est apud Josephum ibid. Potius crediderim cessasse sacrificium, quod in his sceleribus, cædibus, impuritatibus, quibus tum fœdabatur templum, nulli fuerint puri sanctique sacerdotes, qui illud offerrent.

1 *Flammantibusque porticibus*] Judæi die secundo et vicesimo mensis Panemi, id est, 19. Julii, porticus templi, quæ a Septentrione et Occasu turri Antoniæ erant conjunctæ, incenderunt. Biduo post, quarto et vicesimo prædicti mensis, μετὰ δ' ἡμέρας δύο, τετάρτῃ καὶ εἰκάδι τοῦ προειρημένου μηνὸς, nempe 21. Julii, Romani vicinam porticum incendere, lætantibus Judæis, ultroque ruinas augentibus, ut a templo Romani averterentur. Josephus, Bell. Jud. VI. 2. n. 9. Die autem septimo et vicesimo Panemi, τοῦ προειρημένου μηνὸς ἑβδόμῃ καὶ εἰκάδι, seu 24. Julii, cum Romani porticum Occidentalem temere subiissent, intra cujus culmen et trabes Judæi arida ligna cum sulphure et bitumine supposuerant; iis subito incensis, misere perierunt Romani. Porticus autem exusta est usque ad turrim Joannis, supra portas, quæ ultra Xystum ducebant, exstructam: reliquum vero porticus Judæi absciderunt. Sequenti die τῇ δ' ὑστεραίᾳ, sive 25. Julii, Romani incenderunt porticum Septentrionalem usque ad porticus Orientalis angulum, qui valli Cedron imminebat. Joseph. Bell. Jud. VI. 3. n. 1. et 2.

2 *Religione attonitus*] Dio, LXVI. p. 747. Διὰ τὸ δεισιδαιμονῆσαι: 'Ob religionis pavorem.'

3 *Ut Titus juberet*] Dio, loc. cit. Τοῦ Τίτου σφᾶς καταναγκάσαντος, εἴσω προεχώρησαν: 'A Tito adacti ad interiora progressi sunt.'

4 *Structi aggeres*] A duabus legionibus absoluti sunt hi aggeres die octava mensis Loi, Λώου μηνὸς ὀγδόῃ, id est, 3. Augusti. Structi autem erant ad exedram Occidentalem templi interioris. Joseph. Bell. Jud. VI. 4. n. 1.

5 *Irrito tamen labore*] Sex quoque diebus, antequam aggeres absolverentur, quatiebatur murus, simul fundamenta Septentrionalis portæ suffodiebantur; at irritus semper labor recidit, ob eam lapidum immensitatem, de qua dictum est Hist. v. 12. not. inf.

6 *Templi porticibus*] Porticibus templi interioris. Joseph. ibid. Duplex enim templum: aliud exterius, ubi atrium gentium: aliud interius, ubi atrium

primum in manus venerunt, obvios præcipitare, proximos obruere, scalas excutere, deturbare plurimos, in porticus jam egressos fodere. Acriter certavere signiferi, sed multitudine oppressi, contrucidati sunt, captaque signa Romana.[1]

36. Titus, sua in templum indulgentia, periclitari virtutem Romanam, Judæorum audaciam crescere expertus, jussit 'ejus portas succendi.'[2] Congestis accensisque materiis, flammæ, inter argentum, quo portæ obducebantur,[3] eluctatæ, ligna corripuere. Dissilientibus foribus, flammisque erumpentibus, obstupuere Judæi: iis ne satis quidem animi ad arcenda incendia, quæ die nocteque[4] grassata sunt. Interim Titus, accitis exercitus sui ducibus,[5] de templo consultabat. In diversum distrahebantur[6] sententiæ. Alii censebant 'jure belli utendum: Judæis fore contumaciam, dum staret id monumentum: huc eos undique terrarum convenire: solo ejus excidio paci satis consuli.' Aliis placebat, 'illud quidem servari, si, adeuntibus legionibus, arma deponerent Judæi: sin bellarent, exscindi: jam enim non sedem numinis, sed belli arcem esse: nec penes Romanos, sed penes Judæos ad ejus eversionem duratos, fore piaculum.' Titus contra asseveravit, 'etiamsi resisterent Judæi, se nunquam commissurum, ut in eorum pervicaciæ pœnam adversus templum sæviret: tantæ magnificentiæ opus dirui non posse sine populi Romani injuria: grande vero, si staret, fore imperii et victoriæ ornamentum.' Tito assensere Fronto, Alexan-

Judæorum, ubi ara, ubi Sanctum, et Sanctum Sanctorum.

1 *Signa Romana*] Joseph. ibid.

2 *Succendi*] Joseph. ibid. Τὰς πύλας προσέταξεν ὑφάπτειν.

3 *Portæ obducebantur*] Joseph. ibid. n. 2. Eas quoque auri laminis fuisse tectas tradit idem Josephus, Bell. Jud. v. 5. n. 3.

4 *Die nocteque*] Joseph. Bell. vi. 4. n. 2. Ἐκείνην μὲν οὖν τὴν ἡμέραν καὶ τὴν ἐπιοῦσαν νυκτὰ τὸ πῦρ ἐπεκράτει. Dies illa fuit octava mensis Loi, seu 3. Augusti.

5 *Exercitus sui ducibus*] Acciti duces fuere Tiberius Alexander, totius militiæ præfectus, Sextus Cerealis quintæ legionis legatus, Larcius Lepidus decimæ, Titus Frugi quintædecimæ, Aiternius Fronto duarum Alexandrinarum legionum præfectus, et Marcus Antonius Julianus procurator Judææ: tribuni quoque et alii acciti. Joseph. loc. cit. n. 3. Id autem actum die nona mensis Loi, seu 4. Augusti.

6 *Distrahebantur*] Hæc omnia Jo-

der et Cerealis; datoque legionibus, ut interquiescerent, spatio, delectæ cohortes, quæ templi incendia restinguerent,[1] viamque sternerent, qua facilis legionibus foret aditus.

37. Dum templo ita invigilabat clementia Romana, in ejus ruinam præcipites Judæos agit furor.[2] Magno enim impetu per Orientalem portam[3] egressi, in Romanos, qui in templo exteriore excubias agebant, irrumpunt. Impetum fortiter sustinuere Romani,[4] densis ordinibus, et consertis ante ora clypeis, immobiles et impenetrabiles. Numero tamen impares cessissent, ni Titus, e turri Antonia[5] pugnam prospectans, citus opem cum lectis equitibus tulisset. Judæi, adversus Cæsaris vim invalidi, et in fugam acti, subitariis velitationibus frustra illusere: semper victi, in templum profugiunt.

38. Tum Titus, in Antoniam turrim reversus, postero die tota suorum vi irruere, templumque circumsidere destinabat. Sed acrior Dei ira Judæos urgebat. Ipsi, suas ad pœnas promti, Romanos restinguendis exterioris templi incendiis operatos invadunt. Talem pervicaciam indignatus miles Romanus, tumultuariam Judæorum manum ita perculit, ut fuga conversos in templum usque insequeretur. Tum ex iis unus, injussus, sed divino quodam impetu[6] actus, torre correpto, alteroque sublevante milite, incensas materias per fenestram auream, unde ad cellas circa templum[7] positas versus Septemtrionem erat aditus, injicit. Ut flamma erupit, auditus Judæorum, plus quam pereuntium, clamor. Re Tito, quietem captanti, propere

sephus, loc. cit.

1 *Incendia restinguerent*] Joseph. ibid.

2 *Agit furor*] Hæc gesta die decima mensis Loi, seu 5. Augusti; ut patet ex Josepho, ibid. n. 4.

3 *Per Orientalem portam*] Porta hæc ceteras magnificentia superabat, ut videre est apud Joseph. Bell. Jud. v. 5. n. 3.

4 *Sustinuere Romani*] Josephus, Bell. Jud. vi. 4. n. 4.

5 *E turri Antonia*] Ergo non tota funditus eversa; sed, ut videtur, pars aliqua servata. De ejus magnitudine dictum est Hist. v. 11. not. inf.

6 *Divino quodam impetu*] Joseph. loc. cit. n. 5. *Δαιμονίῳ ὁρμῇ τινι χρώμενος*.

7 *Circa templum*] Templum illud

nuntiata, e tentorio statim prosilit:[1] accurrit ut incendia comprimat: comitantur duces: e castris omnibus concurrit exercitus. Omnia inconditis clamoribus personant. Tito voce manuque[2] 'incendium restingui' significante, nemo auribus oculisve competere. Victoribus et victis idem impetus. Illi ardent veteres in invisam gentem iras explere: accensi insuper plurima auri imagine,[3] qua templum splendescit; majoremque opum vim intus latere rati. Hi non jam pro vita, pro fortunis, sed pro templo, pro Deo, mortem superbe provocant: quanto propius ad extrema ventum, tanto in divinæ opis spem erectiores.[4] Judaicis ergo funeribus Romana miscentur funera: templi atrium[5] exundat sanguine: circum altare,[6] in templi gradibus[7] cædes innumeræ.[8]

39. Has inter strages, incendia spargunt Romani.[9] Nondum tamen flagrabat templum; Titus, illud videndi cupidus, pugnantium manus ægre eluctatur: has cum belli ducibus egressus, intrat, adit penetrale,[10] cuncta lus-

erat in secundo templo inclusum, et appellabatur Sanctum: ibi Sanctum Sanctorum. De hoc templo Joseph. Bell. Jud. v. 5. n. 4: *Αὐτὸς δ' ὁ ναὸς, κατὰ μέσον κείμενος, τὸ ἅγιον ἱερόν.* Inferiori parti hujus templi appositæ erant cellæ. Joseph. ibid. n. 5.

1 *Statim prosilit*] Joseph. Bell. Jud. VI. 4. n. 6.

2 *Voce manuque*] Joseph. ibid.

3 *Auri imagine*] Vel enim ipsa exterior templi facies gravissimis auri laminis ita erat obtecta, ut animus et oculi æque fulgore perstringerentur. Τὸ δ' *ἔξωθεν αὐτοῦ πρόσωπον, οὐδὲν οὔτε εἰς ψυχῆς, οὔτε εἰς ὀμμάτων ἔκπληξιν ἀπέλιπε· πλαξὶ γὰρ χρυσοῦ στιβαραῖς κεκαλυμμένος πάντοθεν.* Joseph. Bell. Jud. v. 5. n. 6.

4 *Erectiores*] In hanc spem elati, et quasi miraculo certi, aut gloriosa morte oppetenda superbi, imam templi partem, seu Judæorum atrium, tenebat populus, templi gradus senatores; in ipso templo erant Sacerdotes. *Ὁ μὲν δῆμος κάτω ἐν τῷ προνάῳ, οἱ δὲ βουλευταὶ ἐν τοῖς ἀναβασμοῖς, οἵ θ' ἱερεῖς ἐν αὐτῷ τῷ μεγάρῳ τεταγμένοι.* Dio, LXVI. p. 748.

5 *Templi atrium*] In quo stabat populus Judæus, cum in templum conveniebat, Deum adoraturus.

6 *Circum altare*] Inter templi atrium et templum, seu Sanctum, de quo jam diximus supra, erat altare altum cubitos quindecim, totidem longum, latum cubitos quinquaginta. Joseph. Bell. Jud. v. 5. n. 6.

7 *In templi gradibus*] Duodecim gradibus ad templum, seu Sanctum, ascendebatur. Joseph. ibid. n. 4.

8 *Cædes innumeræ*] Joseph. Bell. Jud. VI. 4. n. 6.

9 *Spargunt Romani*] Et quisque præcedentem militem hortabatur, ut ignem templo injiceret. Joseph. ibid.

10 *Adit penetrale*] Joseph. Bell. Jud. VI. 4. n. 7. *Παρελθὼν μετὰ τῶν ἡγεμόνων ἔνδον ἐθεάσατο τοῦ ναοῦ τὸ ἅγιον, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ, πολὺ μὲν τῆς παρὰ τοῖς ἀλλο-*

trat,[1] famaque majora miratur: templum servari adhuc posse, ira mutuis cædibus exhausta, confisus. At militum unus, eum secutus, portæ cardinibus ignes clam supposuerat.[2] Ubi fores[3] templumque corripuere flammæ, stupent Judæi: deinde duces, turbarumque auctores, resumtis animis, qua in superiorem urbem exitus, aufugiunt: ceteri, a consternatione in furorem versi, certique, pereunte templo, perire, ultro suas in neces ruunt: alii in Romanorum gladios, præcipites incumbere:[4] alii, ne profano ferro caderent, se ipsi contrucidare: plurimi sanctioribus (tanta genti superstitio) templi flammis se devovere, hac morte magis, quam egregio facinore, ovantes. In hoc morientium furore, una Tito cura ne in fœdos inhumanosque cineres, ipso invito, abeat victoria. Labor est cogere victos vivere, suisque rebus parcere. At incassum. Undique gliscunt incendia: templum exsuperant flammæ: mons[5] totus late collucet ignibus.[6] Horrens mœrensque Titus discedit. Manet ad cædes duratus, thesauris inhians, miles: duplicatisque Romanorum clamoribus, Judæorum ululatibus, haustum incendio considit templum. Hæc clades, genti suprema, contigit eo ipso die,[7] quo prius templum, majoris adhuc

φύλοις φήμης ἀμείνω, τοῦ δὲ κόμπου καὶ τοῖς παρὰ τοῖς οἰκείοις δόξης οὐκ ἐλάττω. Ea enim, ut fama, quæ apud exteros percrebuerat, majora, ita domestica laude et opinione non minora.

1 *Cuncta lustrat*] Ante penetrale tria erant opera omnium sermonibus laudibusque celebratissima, candelabrum, mensa, et thuribulum.

2 *Supposuerat*] Joseph. ibid.

3 *Ubi fores*] Fores illæ aureæ erant in ipso templo ante Sanctum Sanctorum: nam prima pars templi patebat, teste Josepho, Bell. Jud. v. 5. n. 4.

4 *Incumbere*] Nec aliter Dio, LXVI. p. 748. Οἱ μὲν ξίφεσι σφᾶς τοῖς τῶν Ῥωμαίων περιέπειρον, οἱ δ' ἀλλήλους ἐφόνευον, ἄλλοι ἑαυτοὺς κατεχρῶντο, οἱ δὲ ἐς τὸ πῦρ ἐσεπήδων· καὶ ἐδόκει πᾶσι μὲν, μάλιστα δὲ ἐκείνοις οὐχ' ὅτι ὄλεθρος, ἀλλὰ καὶ νίκη, καὶ σωτηρία, εὐδαιμονία τε εἶναι, ὅτι τῷ ναῷ συναπόλλοιντο: 'Tunc enim ultro gladiis Romanorum alii se transfigendos offerebant, alii se mutuo trucidabant, alii manus ipsi sibi afferebant, alii denique in ignem insiliebant. Et cum aliis omnibus, tum his inprimis non interitus esse videbatur, sed victoria, sed salus, sed felicitas quædam; quod una cum ipso templo perirent.'

5 *Mons*] Mons Moria, in quo ædificatum templum.

6 *Collucet ignibus*] Joseph. Bell. Jud. VI. 5. n. 1.

7 *Eo ipso die*] Id est, die 5. Augusti. Josepho autem Bell. Jud. VI. 4. n. 5. ἡμέρᾳ δεκάτῃ Λώου μηνός. Pessime vertit interpres Latinus 'dies erat decimus quintus Loi mensis.' Lous autem mensis, idem est ac quintus mensis, Judæis

famæ et opulentiæ, a Babyloniis quondam incensum ferebant.[1] Inter ardentes templi ruinas posita signa;[2] peractisque sacris, Titus *imperator* consalutatus est. Tanta autem a milite auri vis rapta, ut dimidia pretii parte[3] vilius in Syria haberetur.

40. Nondum tamen Judaici belli fœditatibus finis. Victore in gentis reliquiarum salutem intento, ignava sacerdotum turba vitam precari ausa est.[4] Titum puduit hos templo superstites vivere, turpique morte damnati sunt. Vitæ usura, ceteris omnibus oblata, et a ducibus Joanne ac Simone spreta,[5] victoris iras provocavit, ac tandem urbi excidium attulit. Succensa primum[6] capta jam monumenta: domus

dictus Ab, cujus dies decimus hoc anno incidebat in diem 5. Augusti.

1 *Incensum ferebant*] Ac merito quidem. Sic enim Jeremias LII. 12. 'In mense autem quinto, decima mensis, ipse est annus nonusdecimus Nabuchodonosor regis Babylonis: venit Nebuzardan princeps militiæ, qui stabat coram rege Babylonis, in Jerusalem. Et incendit domum Domini.' Utriusque excidii memoriam annuo jejunio recolunt Judæi die nona mensis Ab.

2 *Posita signa*] Joseph. Bell. Jud. VI. 6. n. 1. Ῥωμαῖοι δὲ—καιομένου δὲ αὐτοῦ τε τοῦ ναοῦ, καὶ τῶν πέριξ ἁπάντων, κομίσαντες τὰς σημαίας εἰς τὸ ἱερὸν, καὶ θέμενοι τῆς ἀνατολικῆς πύλης ἀντικρὺς ἔθυσάν τε αὐταῖς αὐτόθι, καὶ τὸν Τῖτον μετὰ μεγίστων εὐφημιῶν ἀπέφηναν αὐτοκράτορα: 'Romani, cum templum et ea, quæ circum erant, arderent omnia, signis in templum illatis, positisque contra portam Orientalem, et illis ibi sacrificarunt, et Titum cum maximis acclamationibus imperatorem appellarunt.' Paulo post cusus nummus ex ære mediocri, quem laudat Harduinus, Selecta Opera, p. 731. ΑΥΤΟΚΡ. ΤΙΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. Titus capite laureato. Ex adversa parte, ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΩΚΥΙΑΣ. Id est, 'Judæa capta.' Victoria scribit in clypeo palmæ arbori applicato.

3 *Dimidia pretii parte*] Joseph. loc. cit. Ταῖς δὲ ἁρπαγαῖς οὕτως ἐνεπλήσθησαν οἱ στρατιῶται πάντες, ὥς τε κατὰ τὴν Συρίαν πρὸς ἥμισυ τῆς πάλαι τιμῆς τὸν σταθμὸν τοῦ χρυσίου πιπράσκεσθαι. Porro apud Antiquos auri ad argentum proportio fuit ut 12. ad 1.; nunc, cum auri pretium dimidia parte esset imminutum, eadem proportio fuit ut 6. ad 1. Ob eam auri abundantiam in urbe Hierosolymis, duodecim Atticis, etiam dum vigebat obsidium, vendebatur, quod antea quinque et viginti valebat. Πολὺ πλῆθος ἦν ἐν τῇ πόλει χρυσοῦ· δώδεκα γοῦν Ἀττικῶν ὠνοῦντο τὰ πρότερον ἰσχύοντα πέντε καὶ εἴκοσιν. Joseph. Bell. Jud. V. 13. n. 4.

4 *Precari ausa est*] Quinta die post templi excidium, πέμπτῃ δ' ἡμέρᾳ, id est, 10. Augusti, sacerdotes, qui templi murum conscenderant, effugium quæritantes, fame confecti descendere, et ad Titum perducti vitam orabant. Respondit Cæsar decere sacerdotes cum templo interire; eosque ad supplicium duci jussit. Πρέπειν δὲ τοῖς ἱερεῦσι τῷ ναῷ συναπολέσθαι· κελεύει κολάσαι τοὺς ἄνδρας. Joseph. Bell. Jud. VI. 6. n. 1.

5 *Spreta*] Joseph. ibid. n. 2. et 3.

6 *Succensa primum*] Die 11. Augusti, Josepho, ibid. n. 3. τῇ ὑστεραίᾳ, succenderunt Romani Archivum, Acram, Curiam, Ophlam, et ignis progressus est

quoque, fame enectorum cadaveribus squalidæ, ignibus traditæ. Meritas pervicacia pœnas effugere Izatis regis[1] filii[2] fratresque, ac turba nobilium, qui simul Titi misericordiam oraverant. Tum structi aggeres[3] adversus superiorem urbem, nomine Sion,[4] locis editioribus, et munitissimis turribus, defensam. Sed quasi fatale esset Hierosolyma intestinis potius discordiis, quam hostium viribus, perire, ne ultimo quidem discrimine inita concordia, Idumæis[5] et Judæis inter se dissidentibus. Titus, insita clementia, et nota ducum arte, discordiam auget, Idumæis in deditionis spem receptis.

41. Cum ita ferverent Judæorum odia, redintegratum obsidium.[6] Amentes obsessorum duces, unicum, sed inexpugnabile, præsidium,[7] turres indefensas deserunt; parsque urbis validissima, ne fuso quidem Romano sanguine,[8] capta.[9] Tantum urbis dedecus veteraque scelera universo

usque ad Helenæ regiam, quæ erat in media Acra. Postridie, τῇ δ' ἑξῆς, seu die 12. Augusti, reliqua urbis inferioris incensa sunt usque ad Siloam ad Orientem urbis. Joseph. Bell. Jud. vi. 7. n. 2.

1 *Izatis regis*] Izates ejusque mater Helena Judaicam religionem erant amplexi. Inde filii fratresque Izatis in urbem Hierosolyma concesserant. Vide Josephum, Antiq. Jud. xx. 2. et seq.

2 *Filii*] Izates moriens, teste Josepho, Antiq. Jud. xx. 4. n. 3., reliquerat filios quatuor et viginti, filiasque totidem. Titus Izatis filios et propinquos primum in custodia habuit, postea vinctos Romam perduxit, ut obsidum fidem præstarent. Joseph. Bell. Jud. iv. 6. n. 4.

3 *Structi aggeres*] Die vicesimo mensis Loi, Λώου μηνὸς εἰκάδι, seu 15. Augusti, aggeres illos strui jussit Titus. Ita vero divisa sunt opera, ut in parte Occidentali urbis ex adverso aulæ regiæ quatuor legiones, auxiliares vero et cetera multitudo versus Xystum, pontem, turrimque Simonis, operarentur: rarissima semper materia, quæ ob tot aggeres ante structos a centesimo stadio erat asportanda. Joseph. Bell. Jud. vi. 8. n. 1.

4 *Nomine Sion*] A colle Sion ita dictam, et a Davide inferiori urbi olim additam. Nunc pars ejus maxima est extra recentem urbem *Jerusalem*, et in campis squallet.

5 *Idumæis*] Idumæi, a Zelotis acciti, et in urbem Hierosolyma recepti, pars magna fuere belli Judaici. At cum deditionem pararent, et Titus annueret, id rescivit Simon: unde exorta est maxima inter Idumæos et Judæos discordia. Joseph. Bell. Jud. iv. 4. et seq. vi. 8. n. 2.

6 *Redintegratum obsidium*] Aggeribus intra octodecim dies confectis, septimo die mensis Gorpiæi, ἑβδόμῃ Γορπιαίου μηνὸς, seu 1. Septembris, admotæ machinæ, et redintegratum obsidium. Joseph. Bell. Jud. vi. 8. n. 4.

7 *Sed inexpugnabile, præsidium*] In his enim turribus nulla vi, sola fame expugnari poterant, teste Josepho, loc. cit.

8 *Romano sanguine*] Joseph. ibid. n. 5.

9 *Capta*] Romani, muris potiti, signa in turribus posuere; victoriam finem-

occidio[1] expiata: domus, mutuis civium furoribus antea fœdatæ, novis cruentantur cædibus: dein sparsa incendia; et abominanda tecta abolevere flammæ, noctis obscuro prævalidæ.[2] Sic ardentibus Hierosolymis, illuxit dies ultimus, quarto Nonas Septembris.[3] Hæc fata fuere urbis, quæ cum per annos bis mille centum septuaginta septem[4] summa per Orientem claritate[5] stetisset, nunc bustum est.[6]

42. Titus, urbis ruinas ingressus, et inexpugnabilem turrium vim admirans, 'se quidem exercitus ducem,

que belli cum plausu et lætitia celebravere. Joseph. ibid.

1 *Universo occidio*] Tantus autem fuit cæsorum numerus, tanta fusi sanguinis copia, ut, teste Josepho, ibid. angustiæ vicorum cadaveribus obstruerentur, cædibus redundaret tota civitas, et pleraque incensorum extinguerentur cæsorum sanguine. *Τὸν ἐντυχόντα διελαύνοντες, ἀπέφραξαν μὲν τοὺς στενωποὺς νεκροῖς, αἵματι δ' ὅλην τὴν πόλιν κατέκλυσαν, ὡς πολλὰ τῶν φλεγομένων σβεσθῆναι τῷ φόνῳ.*

2 *Prævalidæ*] Ab occidione Romani destitere ad vesperam, sed tum nocte ignis prevaluit. *Οἱ μὲν κτείνοντες ἐπαύσαντο πρὸς ἑσπέραν, ἐν δὲ τῇ νυκτὶ τὸ πῦρ ἐπεκράτει.* Joseph. ibid.

3 *Quarto Nonas Septembris*] Joseph. ibid. *Φλεγομένοις δὲ ἐπανέτειλεν Ἱεροσολύμοις ἡμέρα Γορπιαίου μηνὸς ὀγδόη.* Octavus dies mensis Gorpiæi, fuit 2. Septembris, seu, ut numerant Romani, quarto Nonas Septembris. Dies ille 2. Septembris incidit in diem Dominicum; Dominicalis enim litera hoc anno fuit G. Pridie autem, seu die sabbati, arietibus quati cœpit urbis Sion murus, parsque rupta, et nemine defendente occupata. Inde Dio, LXVI. p. 748. *Οὕτω μὲν τὰ Ἱεροσόλυμα ἐν αὐτῇ τῇ τοῦ Κρόνου ἡμέρᾳ, ἣν μάλιστα ἔτι καὶ νῦν Ἰουδαῖοι σέβουσιν, ἐξώλετο*: 'Sic Hierosolyma ipso die Saturni, quem diem præcipue Judæi nunc etiam adhuc colunt, excisa fuere.' Et Frontinus, Strategem. II. 1. n. 17. 'D. Augustus Vespasianus' (crediderim olim fuisse scriptum, *D. Augustus T. Vespasianus*) 'Judæos Saturni die, quo eis nefas est quicquam rei seriæ agere, adortus superavit.' Judæis quidem licuit lacessentes ferientesque hostes repellere, ut constat ex 1 Machab. II. 40. et Josepho Antiq. Jud. XIV. 4. n. 2. at iis tunc nihil consilii, furor tantum et pavor, imminensque Dei ira, quam Josephus, Bell. Jud. VI. 8. n. 2. merito dixit potentiam Dei in sceleratos, *τήν τε τοῦ Θεοῦ δύναμιν ἐπὶ τοῖς ἀνοσίοις.*

4 *Septuaginta septem*] Joseph. Bell. Jud. VI. 10. *Ἀπὸ δὲ τῆς πρώτης κτίσεως ἔτη μέχρι τῆς ἐσχάτης ἁλώσεως δισχίλια ἑκατὸν ἑβδομήκοντα καὶ ἑπτά.*

5 *Claritate*] A Plinio dicitur 'longe clarissima urbium Orientis.'

6 *Bustum est*] Inde Plinius, V. 17. 'Engadda oppidum fuit, secundum ab Hierosolymis, fertilitate, palmetorumque nemoribus: nunc alterum bustum.' Sic adimpletum est, quod tanto ante prædixerat Daniel, IX. 26. *καὶ μετὰ τὰς ἑβδομάδας τὰς ἑξηκονταδύο, ἐξολοθρευθήσεται χρίσμα, καὶ κρίμα οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ· καὶ τὴν πόλιν, καὶ τὸ ἅγιον διαφθερεῖ σὺν τῷ ἡγουμένῳ τῷ ἐρχομένῳ, ἐκκοπήσονται ἐν κατακλυσμῷ, καὶ ἕως τέλους πολέμου συντετμημένου τάξει, ἀφανισμοῖς.* Judæi autem, perpetui oraculorum testes, ab hoc templi excidio annos computant, vocantque 'Æram desolationis.' Hæc autem omnia eorumque tempora aperte dilucideque significaverat Jesus Christus.

Deum autem victoriæ auctorem fuisse' professus est.[1] Milites, cædis fessos, jussit 'occidione abstinere, ni forte qui adhuc resisterent: duces, in cuniculis latitantes, quæri:[2] juvenes, forma et proceritate præstantes, reservari triumpho:[3] natu majores in Ægyptum ad metalla mitti.' Lecti quoque plurimi, qui per theatra ferro bestiisque perirent:[4] minores annis septemdecim sub corona venumdati.[5] Vulgatum apud Judæos in hoc obsidio capta fuisse nonaginta septem millia hominum; undecies centena millia[6] occubuisse. Nihil autem urbis mansit, præter tres turres[7] in victoriæ monumentum relictas: simul servata pars muri Occidentalis,[8] cui impositum præsidium; præfectusque Terentius Rufus. Cetera omnia versa,[9] aratro-

Luc. xxi. 20. et seq. Ὅταν δὲ ἴδητε κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων τὴν Ἱερουσαλὴμ, τότε γνῶτε ὅτι ἤγγικεν ἡ ἐρήμωσις αὐτῆς· καὶ πεσοῦνται στόματι μαχαίρας. καὶ αἰχμαλωτισθήσονται εἰς πάντα τὰ ἔθνη· καὶ Ἱερουσαλὴμ ἔσται πατουμένη ὑπὸ ἐθνῶν· οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, ἕως ἂν πάντα γένηται. Nec certe præterierat hæc generatio, cum is annus sit a morte Jesu Christi quadragesimus secundus, vel, ut aliis placet, trigesimus octavus.

1 *Professus est*] Eodem sensu Josephus, Bell. Jud. vi. 9. n. 1. Σὺν Θεῷ γ' ἐπολεμήσαμεν, ἔφη, καὶ Θεὸς ἦν ὁ τῶνδε τῶν ἐρυμάτων Ἰουδαίους καθελὼν, ἐπεὶ χεῖρές τε ἀνθρώπων ἢ μηχαναὶ τί πρὸς τούτους τοὺς πύργους δύνανται; 'Deo, inquit, favente bellavimus. Deus est qui Judæos ex istis munimentis detraxit: nam humanæ manus et machinæ quid contra tales turres valeant?'

2 *Quæri*] Fame victi inde exiere, captique Simon et Joannes.

3 *Reservari triumpho*] Josephus, ibid. n. 2. Reservatos autem septingentos, ἑπτακοσίους ἄνδρας, prodit idem Josephus, Bell. Jud. vii. 5. n. 3.

4 *Ferro bestiisque perirent*] Ut intelligatur quot sic perierint, satis sit monuisse in ludis, quos Titus die 24. Octobris Cæsareæ edidit ob diem natalem fratris sui Domitiani, periisse supra duo millia et quingentos: plures adhuc cecidisse in ludis, quos Beryti die 17. Novembris ob natalem patris sui Vespasiani celebravit. Joseph. Bell. Jud. vii. 3. n. 1. Cæsareæ Philippi, et alibi, plures adhuc cæsi.

5 *Sub corona venumdati*] De hoc usu dictum est Annal. xiii. 39.

6 *Undecies centena millia*] Joseph. Bell. Jud. vi. 9. n. 3.

7 *Tres turres*] Tres illæ turres nominabantur Phasaëlus, Hippicus et Mariamne. Joseph. Bell. Jud. vii. 1. n. 1. de earum præstantia structuraque mirabili plura habet idem Josephus, Bell. Jud. v. 4. n. 3.

8 *Pars muri Occidentalis*] Qui urbem Occidentem versus cingebat. Joseph. Bell. Jud. vii. 1. n. 1.

9 *Cetera omnia versa*] Cetera omnia urbis ita versa sunt, ut ne unquam quidem habitatam fuisse vix fidem amplius faceret eo accedentibus. Τὸν δ' ἄλλον ἅπαντα τῆς πόλεως περίβολον οὕτως ἐξωμάλισαν οἱ κατασκάπτοντες, ὡς μηδὲ πώποτ' οἰκηθῆναι πίστιν ἂν ἔτι παρασχεῖν τοῖς προσελθοῦσι. Joseph. Bell. Jud. vii. 1. n. 1. Templum quoque adeo

que fœdata.[1]

43. Tum Titus, laudata, pro concione, militum virtute, strenuissimum quemque laudibus præmiisque attollit.[2] Mox victrices legiones ita distribuit, ut decima in Judæa maneret, duodecima peteret Melitenen,[3] quinta et quintadecima sibi præsto essent, donec in Ægyptum veniret. Deinde Cæsaream[4] discessit, Orientem lustraturus. Missus postea Lucilius Bassus,[5] qui, quæ in Judæa supererant, expugnaret. Capta Machærunte,[6] altera Judææ arce, tota regio venumdata.[7] Judæi autem jussi 'singulis annis Jovi

eversum, ut paucis post captam urbem diebus, cum Simon, fame victus, e cuniculis exisset, emerserit in locum ubi templum ante fuerat. Κατ' αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν τόπον ἐν ᾧ τὸ ἱερὸν ἦν πρόσθεν ἐκ γῆς ἀνεφάνη. Joseph. Bell. Jud. VII. 2. Sic adimpletum quod de templo prædixerat Jesus Christus: ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον, ὃς οὐ μὴ καταλυθήσεται. Matth. XXIV. 2.

1 *Aratroque fœdata*] Ex usu Romano. Inde sane R. Moses Maiemonides, Kalaka תעניות, cap. 5. n. 3. quintam jejunii quinti mensis, seu mensis Ab, causam affert, quod 'impius Turnus Rufus ex regibus Idumæis aravit templi solum et per circuitum ejus.' Ex more Rabbinorum, qui vulgo nomina omnia depravant, Turnum Rufum pro Terentio Rufo, de quo Joseph. Bell. Jud. VII. 2. dixit Maiemonides. Regum quoque Idumæorum nomine Imperatores Romanos designavit.

2 *Præmiisque attollit*] Hanc Romanorum consuetudinem laudat plurimum Josephus Bell. Jud. VII. 1. n. 3. Ait Titum eos donasse coronis aureis, torquibus aureis, hastis longis aureis, signisque argento factis, et uniuscujusque ordinem in melius mutasse: iis etiam ex manubiis aurum, argentum, vestes, reliquamque prædam largiter distribuisse: tum fausta omnia exercitui precatum, pro victoria sacrificasse: magnam boum multitudinem ad aras mactatam, quam deinde exercitui ad epulas divisit: cum demum cum exercitu in conviviis per triduum esse versatum.

3 *Melitenen*] Joseph. Bell. Jud. VII. 1. n. 3. Ad Euphraten in confinio Armeniæ et Cappadociæ sita est Melitene, hodie *Malatia*.

4 *Cæsaream*] Primum Cæsaream maritimam, seu Cæsaream Palæstinæ, deinde Cæsaream Philippi, dictam ante Paneam, nunc *Banias*, adiit. Joseph. Bell. Jud. VII. 2.

5 *Lucilius Bassus*] Joseph. Bell. Jud. VII. 6. n. 1. Is primo Herodium, Plinio, v. 14. 'oppidum illustre,' haud procul ab urbe Jerusalem, deinde Machæruntem cepit.

6 *Machærunte*] Machærus, castrum oppidumque in tribu Ruben ab Herode in rupe munitum: ibi cæsus Joannes Baptista. Plinius, v. 16. 'Machærus, (nunc *Masera*,) secunda quondam arx Judææ, ab Hierosolymis.'

7 *Venumdata*] Joseph. Bell. Jud. VII. 6. n. 6. Cæsar ad Lucilium Bassum, et Liberium Maximum, Judææ procuratorem, scripsit; et jussi sunt omnem Judæorum terram vendere. Nullam in ea urbem condidit, proprium sibi agrum reservans: octingentis tantum veteranis Emmauntem, hodie quoque *Emmaus*, incolendam dedit.

Capitolino binos denarios[1] solvere.' Cæsaream autem, Romanis fidam, ducta colonia;[2] primoque remissum capitis tributum: dein solum etiam immune factum.[3] Emmaus in perennem victoriæ memoriam Nicopolis appellata.[4]

44. Interea Vespasianus Alexandriam liquerat, non eadem, qua venerat, fama. Querebantur Alexandrini[5] 'ignotam Principi liberalitatem:[6] prisca renovari vectigalia: nova addi:[7] hastæ subjici regia monumenta: sacra ipsa in fisci partes trahi.' Hæc occultis primum, dein publicis, conviciis famosisque carminibus arguebat verbosa dicteriisque sueta gens:[8] ausa etiam Vespasianum *Cybio-*

1 *Binos denarios*] Joseph. ibid. *Φόρον δὲ τοῖς ὅπου δήποτ' οὖσιν Ἰουδαίοις ἐπέβαλε, δύο δραχμὰς ἕκαστον κελεύσας ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὸ Καπετώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼν συνετέλουν*: 'Tributum Judæis ubicumque degentibus indixit, et quotannis binas quemque drachmas in Capitolium inferre jussit, quemadmodum in templum Hierosolymitanum prius conferebant.' Idem habet Dio, LXVI. p. 748. Judæi autem templo Hierosolymitano dimidium sicli, Angl. 1*s.* 6*d.* solvebant. Duæ vero drachmæ, aut duo denarii valent Angl. 1*s.* 4*d.*

2 *Ducta colonia*] Hæc est Cæsarea Palæstinæ, de qua modo dictum. Plinius, v. 13. 'Stratonis turris, eadem Cæsarea, ab Herode rege condita; nunc colonia prima Flavia, a Vespasiano Imperatore deducta.' In nummis frequens COLONIA. PRIMA. FLAVIA. AVGVSTA. CAESARIENSIS.

3 *Immune factum*] Paulus in Digest. L. Tit. 15. de Censibus. Leg. 8. 'Divus Vespasianus Cæsarienses colonos fecit, non addito ut et juris Italici essent: sed tributum his remisit capitis: Divus Titus etiam solum immune factum interpretatus est.'

4 *Nicopolis appellata*] Inde quibusdam quoque dicta *Nicopol.*

5 *Querebantur Alexandrini*] Has omnes querelarum causas habet Dio, LXVI. p. 748. et 749.

6 *Liberalitatem*] Cum primi omnium Vespasianum Imperatorem fecissent, se insigni liberalitate dignos putabant. Nihil vero iis largitus est Vespasianus. Dio, loc. cit.

7 *Nova addi*] Ut in Ægypto, sic postea in toto imperio, atque etiam in ipsa urbe, Vespasianus nova vectigalia addidit, ita ut ne mendici quidem a tributo immunes viverent. Dio, ibid. Quod tamen factum avaritia ne credideris, sed publicæ magnificentiæ studio, et ob immensa imperii onera, Neronis libidinibus, bellorum civilium rapinis penitus exhausti.

8 *Sueta gens*] Vere graviterque de Alexandrinis Herodianus, IV. p. 98. *Πεφύκασι δέ πως εἶναι φιλοσκώμμονες, καὶ λέγειν εὐστόχως ὑπογραφὰς ἢ παιδίας· ἀποῤῥιπτοῦντες εἰς τοὺς ὑπερέχοντας πολλὰ χαρίεντα μὲν αὐτοῖς δοκοῦντα, λυπηρὰ δὲ τοῖς σκωφθεῖσι· τῶν γὰρ τοιούτων κνίζει μάλιστα ὅσα ἐλέγχει τῶν ἁμαρτημάτων τὴν ἀλήθειαν*: 'Sunt enim homines suapte natura dicaces, atque ad describendum illudendumque maxime facti, jactantes in optimum quemque et potentissimum dicteria quædam, ut quidem ipsi putant, festiva; ut autem videntur iis in quos dicuntur, longe gravissima: quippe hujusmodi jocorum vel maxime

sacten cognominare.[1] Is, contumeliæ insolens, et facili in iras Principum natura, convicium in tributum[2] vertit; graviores pœnas repetiturus, ni motos patris animos Titus sedasset.[3]

45. Data licet venia, Alexandriæ infensus, Romam profectus est.[4] Reipublicæ egregium donum, renascentis libertatis augurium, ante erat elargitus: Majestatis enim damnatos[5] Neronis sævitia sequentiumve Principum calamitate, quotquot superstites, absolverat; et extenta ultra fata æquitate, famam mortuis restituerat.[6] Tanto decore supra victorias præfulgens, Brundisium venit,[7] ubi a Muciano Urbisque primoribus publicos inter plausus exceptus est.[8] At Beneventum progressus, Domitianum reperit, solutioris libidinis, dum pater aberat, tum vitia simplicitatis stultitiæve[9] imitamine excusantem. Remedio pariter ac malo anxius Vespasianus, domesticum dolorem, ut decebat, intus condidit, ne privata publicis anteferre videretur. Lætus ergo, populis in novi ac diu desiderati Principis conspectum venerationemque undique occurrentibus, Romam perrexit.[10] Ubi eo ventum, a pietate orsus, cœpta Capitolii ædificia invisit; et, ut operas incenderet, ipse, elatis collo suo rude-

illa permovent, quibus delicti veritas arguitur.'

1 *Cybiosacten cognominare*] Sueton. in Vespas. XIX. Nomine ducto ab uno e suis regibus, sordido homine, qui filiam Ptolemæi Auletæ uxorem duxerat; ut videre est apud Strabonem, XVII. p. 796.

2 *Convicium in tributum*] Viritim sex obolos, τοὺς ἓξ ὀβολοὺς κατ' ἄνδρα, exigi jussit. Dio, LXVI. p. 749. Sex oboli efficiunt Angl. 9*d.*

3 *Sedasset*] Dio, ibid.

4 *Profectus est*] Extremo Maio, aut ineunte Junio, profectus est, cum cœpissent æstivi flatus, de quibus dictum est Hist. IV. 81. Oneraria nave ascensa, Alexandria Rhodum, nunc *Rhodes*, trajecit: inde vectus triremibus, Ioniam, mox Græciam, ibique omnes urbes, quas subter navigavit, invisit: postea solvens Corcyra, nunc *Corfu*, appulit promontorium Iapygium, hodie *Cape Leuco*, unde terra iter egit. Joseph. Bell. Jud. VII. 2. n. 1. Hujus itineris ratio paulo fusius fuit explicanda, ut pateret Vespasianum Roma abfuisse, cum spatium Capitolii die 21. Junii dicaretur.

5 *Damnatos*] Dio, LXVI. p. 749.

6 *Restituerat*] Dio, ibid.

7 *Brundisium venit*] Proximo Iapygio promontorio Brundisium, nunc *Brindisi*, venit. De Brundisio jam dictum An. III. 1.

8 *Exceptus est*] Dio, ibid.

9 *Stultitiæve*] Dio, loc. cit. Καὶ μωρίαν.

10 *Romam perrexit*] Quanta ordinum omnium lætitia fuerit exceptus, fuse describit Josephus, Bell. Jud. VII. 4. n. 1.

ribus,[1] in partem laboris se immisit, omnibus, ut quisque dignitate et fortuna præcipuus, Principis exemplum certatim æmulantibus.

46. Eadem in Ægypto adversus Titum studia. Lustrato Oriente Zeugma usque,[2] acceptaque a Vologeso[3] corona aurea, Hierosolyma reviserat: dein, urbis ruinas miseratus,[4] Memphim venit.[5] Gens, religionibus dedita, per has gratificari Principibus solet. Igitur ut Vespasianum miraculis auxerat[6] Alexandria, sic Memphis Titum Apidis consecratione (quod summum est apud eos sacrum) evectum voluit. Itaque, prisco de more, Apis, cum præscripta legibus spatia vitæ implevisset, sacro fonte demersus est.[7]

1 *Ruderibus*] Sueton. in Vespas. VIII. 'Ipse restitutionem Capitolii aggressus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac suo collo quædam extulit.' Fusius Dio, LXVI. p. 749. Operas vero Vespasianus exemplo suo ita incendit, ut sequenti anno triumphans cum Tito filio Capitolium adire potuerit, et brevi suo principatu illud absolutum viderit, teste Plutarcho in Poplicola, p. 104.

2 *Zeugma usque*] Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 4. 'Zeugma—transitu Euphratis nobile.' Plin. v. 24. Ibi castrum fuit Romanorum, quod adhuc dicitur *Roum-Cala.*

3 *A Vologeso*] Vologesus, Parthorum rex, ad Titum misit legatos, qui coronam auream ei ferrent, et Judaicam victoriam gratularentur. Hos cum excepisset Titus, Antiochiam, inde Hierosolyma, ac tandem Alexandriam regressus est. Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 2. Antea, auctore Philostrato, Vit. Apollonii, VI. 29. coronis aureis, quas finitimæ Judæis gentes post Hierosolymorum excidium obtulerant, indignum se pronuntiaverat Titus, dictitans: 'se talia non patrasse, sed Deo iram exerenti manus suas commodasse:' Τὰ ὅμορά τε ἔθνη ἐστεφάνουν αὐτὸν, ὁ δὲ οὐκ ἠξίου ἑαυτὸν τούτου· μὴ γὰρ αὐτὸν ταῦτα εἰργάσθαι, Θεῷ δὲ ὀργὴν φήναντι ἐπιδεδωκέναι τὰς ἑαυτοῦ χεῖρας.

4 *Ruinas miseratus*] Multaque imprecatus Judaicæ defectionis auctoribus, qui in pulcherrimam urbem tantum vastitatis induxerant: iterum professus se minime velle ex punitorum calamitate virtutem suam clarescere. Joseph. loc. cit.

5 *Memphim venit*] De hac urbe dictum Hist. IV. 84.

6 *Miraculis auxerat*] Hæc miracula memorata sunt Hist. IV. 81.

7 *Demersus est*] Hujus superstitionis sacra accurate prosecutus est Ammianus Marcellinus, XXII. 13. 'Est enim Apis, bos diversis genitalium notarum figuris expressus, maximeque omnium corniculantis lunæ specie latere dextro insignis: qui cum post vivendi spatium præstitutum sacro fonte immersus e vita abierit (nec enim ultra eum trahere licet ætatem, quam secreta librorum præscribit auctoritas mysticorum: nec nisi semel in anno bos fœmina inventa cum notis certis offertur), alter cum publico quæritur luctu: et si omnibus signis consummatus reperiri potuerit, defertur Memphim, urbem præstantem, præsentiaque numinis Æsculapii claram. Cumque initiante antistitum numero centum, inductus in thalamum esse cœperit sacer, conjecturis apertis signa rerum futurarum dicitur

Alter, cui divina inerant macularum insignia,[1] publico cum luctu quæsitus repertusque, et Memphim ingenti pompa deductus. Ibi cærimoniis rite paratis, totaque gente ad spectaculum excita, consecrationem orsa est longa sacerdotum turba: Titus astitit, evinctus caput diademate,[2] uti regibus olim fuerat solitum. Sacer Apis suas in ædes[3] ductus, unde auguria populorum, et privatis responsa. Hæc visa Ægyptiis miræ religionis, sed e quibus orta in Urbe invidiæ materia: quod suo loco dicetur anno sequente.

47. Cœpit hic annus faustis nominibus Vespasiani Augusti III. et Cocceii Nervæ, consulum,[4] quos imperii

demonstrare, et adeuntes quosdam indiciis averti videtur obliquis, ut offerentem cibum aliquando Germanicum Cæsarem, sicut lectum est, aversatus, portenderat paulo post eventura.' Eadem de re plura vide apud Herodotum, III. 28. Diodorum Siculum, I. 85. Ælianum, XI. 10.

1 *Macularum insignia*] Pomponius Mela, I. 9. 'Apis populorum omnium (Ægypti) numen est; bos niger, certis maculis insignis, et cauda linguaque dissimilis aliorum. Raro nascitur, nec coitu pecoris (ut aiunt), sed divinitus et cœlesti igne conceptus.' Plin. VIII. 46. 'Bos in Ægypto etiam numinis vice colitur: Apim vocant. Insigne ei, in dextro latere candicans macula, cornibus Lunæ crescere incipientis. Nodus sub lingua quem cantharum appellant. Non est fas eum certos vitæ excedere annos, mersumque in sacerdotum fonte enecant, quæsituri luctu alium, quem substituant: et donec invenerint, mœrent, derasis etiam capitibus: nec tamen unquam diu quæritur. Inventus deducitur Memphim a sacerdotibus.' Nave, ubi cella erat aurata, transportabatur, teste Diodoro Siculo, I. 85.

2 *Caput diademate*] Sueton. in Tit. v.

3 *Suas in ædes*] De his ædibus plura habet Ælianus, XI. 10. Earum ædium delubra memorat Plinius, VIII. 46. 'Delubra ei gemina, quæ vocant thalamos, auguria populorum. Alterum intrasse lætum est, in altero dira portendit. Responsa privis dat, e manu consulentium cibum capiendo. Germanici Cæsaris manum aversatus est, haud multo postea extincti.'

4 *Consulum*] Flavius Vespasianus Augustus tertium et M. Cocceius Nerva consules fuere A. U. 824. J. C. 71. Insignem eorum memoriam habet tabula marmorea, eruta e puteo in æde nova D. Petri, *S. Pierre du Vatican*, anno 1596. quam exhibet Gruterus, p. 300. Eam ex MSS. Schedis Sirmondi, quæ paulo accuratiores mihi videntur, afferam.

DEC. XXVIII.
ADIECTVS AD NVMERVM EX S. C.
T. CAESAR. AVG. F. IMPERATOR,
IMP. CAESARE. VESPASIANO. AVG. III.
M. COCCEIO NERVA COS.
P. R. C. AN. DCCCXXIIII.

Id est, *post Romam conditum anno* 824. Ut alia sileam, sic in eadem Inscriptione ubi Gruterus habet:

Q. PI. . . . . IIVM. MELIO. . M.
. . OPTATVM
. . . . . . C. DCCCCLXXXVI.

Sirmondus habet:

Q. PETRONIVM. MELIOREM
. . OPTATVM
P. R. C. ANN. DCCCCLXXXIII.

Romani fortuna conjunxisse videtur, ut ille imperare doceret, hic disceret.[1] Hispaniæ, unde primi annorum motus eruperant,[2] jus Latii[3] tributum, ne quid maneret veteris discordiæ. Post Vespasianus, externorum civiliumque bellorum victor, ad Urbana negotia totum se convertit: rem quidem publicam luxu perditam circumspexit, nulla patriæ caritate, sola lucri privatique commodi cupidine flagrantem. At gnarus a Principibus ad populos vitia descendisse; invidiosum vanumque fore, si, vigentibus Principum vitiis, publicam censuram tentaret, ab ipso Principe emendandi initium fecit. Circumcisis igitur principatus libidinibus, quæ usu in dignitatis naturam ornamentave cesserant, id maxime ex auctoritate usurpavit, quo ipse foret legum præsidium et exemplum.[4]

48. Itaque, ut popularis fieret, rarus in palatio, frequens in hortis Sallustianis:[5] nec fores a satellitibus obsessæ, sed facilis cuivis aditus.[6] Amoti etiam armorum scrutatores,[7] quorum usus sub prioribus Principibus, et inter civilium discordiarum motus invaluerat. Conscientia tutus, ceteris securitatem addidit, sublatis majestatis criminibus.[8] In hac publica tranquillitate, principatus munia obire occœpit: maturius semper, ac de nocte vigil, epistolas officiorumque omnium breviaria perlegere:[9] mox amicos ad-

1 *Hic disceret*] Nerva post Flaviam domum imperavit: Princeps, et suo principatu, et ob adoptatum Trajanum, de republica optime meritus.

2 *Eruperant*] Cum Galba factus est Princeps. Vide Suppl. Annal. XVI. 67. et seq.

3 *Jus Latii*] Plin. III. 3. 'Universæ Hispaniæ Vespasianus Imperator Augustus, jactatus procellis reipublicæ, Latii jus tribuit.' De jure Latii dictum ad *Annal.* XI. 23. Antea immunitatem vel capitis, vel soli, forte utriusque, consecuti erant Hispani, ut intelligere est ex Seneca, de Benefic. VI. 29.

4 *Et Exemplum*] Bene Aurelius Victor, in Epitome: 'Legibus æquissimis monendo, quodque vehementius est, vitæ specie, vitiorum plura aboleverat.'

5 *Frequens in hortis Sallustianis*] Dio, LXVI. p. 750. De hortis Sallustianis dictum Hist. III. 82.

6 *Cuivis aditus*] Dio, ibid.

7 *Armorum scrutatores*] Ne quis ferro accinctus Principem adiret. Quam acerbos scrutatores adhibuerit Claudius, vide apud Suetonium in Claud. XXXV. Contra Vespasianus, consuetudinem salutantes scrutandi, manente adhuc bello civili, omiserat. Sueton. in Vespas. XII.

8 *Majestatis criminibus*] Dio, LXVI. p. 749.

9 *Breviaria perlegere*] Sueton. in Vespas. XXI.

mittere,[1] et inter salutantium obsequia calceare ipse sese et amicire:[2] post in senatu de republica consultare, vel in foro[3] jus dicere: remisso inde[4] paululum animo, facilis civilisque[5] cum senatoribus aliisque, seu domi, seu foris[6] cœna; quam super jocosa[7] et indulgens[8] hilaritas. Hic communis vitæ tenor.[9]

49. Eadem, et anxia magis, erga liberos cura, cum reipublicæ amore, tum domus gloria. Paternum enim animum angebat Domitianus, præferoce indole, et in omnes fortunæ suæ libidines præceps: eum pater privatim objurgationibus,[10] in publico honoribus ad meliora revocabat. Titus, patris deliciæ, spes columenque imperii: ipse tamen inquietæ etiam solicitudinis causa, non suspicaci Principis ingenio (id enim vitii a generosa mente aberat), sed recentium adhuc reipublicæ procellarum memoria, et occultis sermonibus: 'Titi fidem vacillare: favere legiones: nec religione, sed explorandi animos causa, inter Apidis sacra,[11] in maxima Ægypti celebritate, regni cupidum,[12] regio usum diade-

1 *Admittere*] Sueton. ibid. Inter Vespasiani amicos fuit Plinius senior, de quo junior Plinius, Ep. III. 5. 'Ante lucem ibat ad Vespasianum Imperatorem: nam ille quoque noctibus utebatur.'

2 *Et amicire*] Sueton. loc. cit.

3 *Post in senatu—vel in foro*] Dio, LXVI. p. 750. Sueton. loc. cit.

4 *Remisso inde*] Aurelius Victor in Epitome: 'Exerceri vectatione, deinde requiescere: postremo ubi lavisset, remissiore animo convivium curabat.' Vide et Suetonium, loc. cit.

5 *Facilis civilisque*] In his epulis nec luxus, nec ganea, sed 'super cœnam, et semper alias communissimus, multa joco transigebat.' Sueton. in Vespas. XXII. Convivabatur sæpe et lautissime, qualiter decet Principem, et ut annonam adjuvaret. Inde Sueton. in Vespas. XIX. 'Sed et convivabatur assidue: ac sæpius recta ac dapsile, ut macellarios adjuvaret.' Hæc in re, ut in aliis plurimis Augustum imitatus, de quo Suetonius in Aug. LXXIV. eadem iisdem verbis memorat; et addit: 'Cœnam trinis ferculis, aut cum abundantissime, senis præbebat, ut non nimio sumtu, ita summa comitate.'

6 *Seu domi, seu foris*] Dio, loc. cit.

7 *Jocosa*] 'Erat enim dicacitatis plurimæ.' Sueton. ibid.

8 *Et indulgens*] Sueton. in Vespas. XXI. A balneo 'in triclinium transibat. Nec ullo tempore facilior, aut indulgentior traditur: eaque momenta domestici ad aliquid petendum magnopere captabant.'

9 *Vitæ tenor*] Sueton. ibid. et Aurel. Victor. in Epitome: 'Institutum vero uniforme omni imperio tenuit.'

10 *Objurgationibus*] Elatosque ejus spiritus deprimebat, teste Dione, LXVI. p. 749. Vide et Sueton. in Domitian. II.

11 *Inter Apidis sacra*] De quibus dictum supra cap. 46.

12 *Regni cupidum*] Hos rumores memorat Suetonius in Tit. V.

mate.' Titus, hæc in Urbe jactitari impatiens, quod conscientia integer, festinans Romam proficiscitur. Legiones, quæ Hierosolyma, eo duce, ceperant, 'aut remaneret, aut secum omnes pariter abduceret,'[1] frustra oravere: quinta in Mœsiam, quintadecima in Pannoniam, remissæ.[2] Argis[3] tantum substitit Titus, Apollonium,[4] sapientiæ fama tunc insignem, visurus; et ut ex ejus præceptis ad virtutes, quæ Principis filium decent, se formaret. Apollonius, certus non volucribus verbis, sed multa exemplorum documentorumque experientia Principes institui, consulenti respondit: 'Hostibus bello superatis, patrem virtutibus supera:[5] Demetrium[6] philosophum ausculta.' Brevi monito, in virtutes fœcundo, imbutus, cursum celeravit;[7] et patri, qui obviam processerat,[8] inopinus occurrit: salutansque, sed rumorum memor, 'veni,' inquit, 'pater, veni.'[9] Simul ruunt in amplexus; pater incertum an filius probata fide lætior.

50. Urbs totaque Italia pro Titi reditu in lætitiam effusa.[10] Senatus duplicem triumphum Principi et Cæsari decrevit.[11] At ipsi unico contenti, ne inani impensa gravaretur respublica. Tum primum ab Urbe condita pater filiusque visi in eadem triumphali pompa. At, ut nova, sic magnifica fuere triumphi decora. Plurima adhuc nocte, milites stetere prope Isidis templum.[12] Ibi Vespasianus Titusque

1 *Pariter abduceret*] Hæc omnia Suetonius, ibid.

2 *Remissæ*] Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 3.

3 *Argis*] Argos, urbs Ciliciæ, quam Stephanus, de Urbibus, ait ætate sua appellari 'Αργειόπολιν. Hujus urbis nummos publicavit Cl. Pellerin, *Mélange de diverses Médailles.* Vol. I. p. 22.

4 *Apollonium*] Apollonium Tyaneum. Philostrat. Vit. Apollon. VI. 30.

5 *Virtutibus supera*] Philostrat. ibid. cap. 32.

6 *Demetrium*] Philostrat. ibid. cap. 31. Demetrium, Cynicum philosophum, non ita constantem virum fuisse videre est Hist. IV. 40. Sed in Apollonio et Demetrio plus fuit ostentationis, quam virtutis.

7 *Celeravit*] Rhegium, nunc *Reggio, in Farther Calabria,* dehinc Puteolos, nunc *Pozzuolo,* oneraria nave appulit, 'Romam inde contendit expeditissimus.' Sueton. in Tit. V.

8 *Obviam processerat*] Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 3.

9 *Pater, veni*] Sueton. ibid.

10 *Effusa*] Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 3.

11 *Decrevit*] Hæc et seq. Joseph. ibid.

12 *Isidis templum*] Templum illud

noctem egerant:[1] primo diluculo, caput lauro redimiti, et purpureis induti vestibus, in Octaviæ porticum[2] processerunt: eos senatus, præcipuus quisque magistratuum, et equester ordo excepit. Ut in tribunali[3] eburneisque sellis consedere, laureati et sericati milites[4] solitis acclamationibus imperatorum virtutes attollunt: mox, facto silentio, Vespasianus, velato capite, solennes preces concipit; idem quoque precatus est Titus. Tum Vespasianus, assistentem concionem paucis allocutus, milites ad paratum prandium[5] dimittit. Ipse cum filio ad triumphalem portam[6] regressus: ibi post levem cibum, triumphales vestes[7] induunt; cæsisque ante Deos, ad portam astantes,[8] victimis, cœpit pompa, apparatu maxima.

51. In hac enim imperii pace, subacti orbis opes, artium miracula, naturæ rara quæque ostentata:[9] prævectæ quoque immensæ purpurearum Babylonicave arte[10] pictarum vestium, gemmarum, in coronas aliaque id genus

fuit in campo Martio, haud procul Pantheo, et æde Minervæ, nunc *Santa Maria sopra Minerva*. Ibi repertum Osiridis simulacrum, quod exhibet Donatus, de Urbe Roma, I. 21.

1 *Noctem egerant*] Relicto palatio, noctem ibi egerant. Triumphaturi enim ex Urbe egrediebantur, ut eam postero die ingrederentur triumphantes.

2 *In Octaviæ porticum*] Octaviæ, sororis Augusti, porticus fuit ubi nunc S. Angeli ecclesia, *Chiesa di S. Angiolo in Pescheria*. Manentque adhuc rudera in vicinis locis. Extat autem ejus memoria in veteribus Urbis ichnographiæ fragmentis, quæ in templo Romuli reperta sunt, nunc in ædibus Capitolinis asservantur.——CVS OCTAVIAE.

3 *In tribunali*] Quod ante Octaviæ porticum fuerat exstructum. Joseph. ibid. n. 4.

4 *Sericati milites*] Joseph. ibid. Χωρὶς ὅπλων ἦσαν ἐσθῆσεσι σηρικαῖς, ἐστεφανωμένοι δάφναις: 'Milites sine armis erant induti vestibus sericis, coronati lauro.'

5 *Paratum prandium*] De more militibus paratum ab imperatoribus prandium. Joseph. ibid.

6 *Triumphalem portam*] Qua e campo Martio in Urbem subibant triumphantes. Porta illa fuit in veteri Urbis muro, inter Capitolium et Tiberim, prope Carmentalem portam. Postea cum Aurelianus muros Urbis dilatavit, tunc trans Tiberim noctem agebant triumphantes; pons portaque triumphalis fuere paulo supra molem, seu tumulum, Adriani, nunc *Castel S. Angiolo*.

7 *Triumphales vestes*] Auro purpuraque intextæ triumphales vestes. Vide Annal. I. 15.

8 *Ad portam astantes*] Joseph. loc. cit. Τοῖς τε παριδρυμένοις τῇ πύλῃ θύσαντες θεοῖς.

9 *Ostentata*] Joseph. ibid. n. 5.

10 *Babylonicave arte*] Id est, vestium in accuratissimas picturas arte Babyloniorum distinctarum. Joseph. ibid. Καὶ τὰ μὲν ἐκ πορφύρας ὑφάσματα τῆς σπα-

ornamenta compositarum, strues:[1] præfulgebant Deorum simulacra, magnitudine et arte stupenda; ipsaque animalia,[2] suis quæque naturis expressa. Cuncta autem auro, argento, ebore splendida:[3] bajuli quoque purpureis aureisque radiabant indumentis: ipsa captivorum deformitas ornamentorum varietate illustrata. Tantas inter opes conspicuæ in primis immanes ferculorum moles, in tres quatuorque tabulatorum ordines[4] exstructæ: inde patebant intuentium oculis mira arte expressa singula Judaici belli eventa, prælia, transfugia, captivorum agmina, urbium, castellorum oppugnationes, tectorum excidia, templi incendia, flumina,[5] non in virentes, sed in torridos campos, immissa: in singulis autem ferculis ostentui erant Judæorum duces,[6] eodem loci corporisque habitu,[7] quo fuerant capti: gestatæ quoque

νιοτάτης φερόμενα, τὰ δὲ εἰς ἀκριβῆ ζωγραφίαν πεποικιλμένα τῇ Βαβυλωνίων τέχνῃ. Vestes illas arte Babylonica pictas referre mihi videntur pictæ vestes, quibus Imperator Sinarum et imperii Sinensis primores adhuc utuntur.

1 *Strues*] Tantæ gemmarum fuere strues, ut fateatur Josephus frustra ipsos earum aliquid rarum esse existimasse. *Μάτην εἶναί τι τούτων σπάνιον ὑπειλήφαμεν.*

2 *Animalia*] Joseph. ibid. *Ζώων τε πολλαὶ φύσεις παρήγοντο, κόσμον οἰκεῖον ἁπάντων περικειμένων.* Maxime animalia Judææ propria. Vide triumphum Germanici Annal. II. 41.

3 *Splendida*] Joseph. ibid.

4 *Tabulatorum ordines*] Joseph. ibid. *Τριώροφα γὰρ αὐτῶν (πηγμάτων) καὶ τετρώροφα πολλά.*

5 *Flumina*] Joseph. ibid. *Μετὰ πολλὴν ἐρημίαν κατηφῆ ποταμοὺς ῥέοντας οὐκ ἐπὶ γῆν γεωργουμένην, οὐδὲ ποτὸν ἀνθρώποις ἢ βοσκήμασιν, ἀλλὰ διὰ τῆς ἔτι πανταχόθεν φλεγομένης.* Nempe post illatam bello Judaico vastitatem, Jordanis, Arnon, Cedron, aliique torrentes, non agrorum culta, sed fumantes ruinas interfluebant.

6 *Judæorum duces*] Ac maxime Simon et Joannes.

7 *Loci corporisque habitu*] Joseph. ibid. Joannes quidem, cum fratribus in cavernis esuriens, se Romanis dedidit. Joseph. Bell. Jud. VI. 9. n. 4. Simon autem in cuniculis diu delituit: at furiosus fanaticusque dux, cum deficerent alimenta, ratus se adhuc posse Romanorum manus evadere, si iis terrorem incuteret, subito emersit e loco, ubi templum fuerat, candida tunica indutus, purpurea infibulatus chlamyde. Primum obstupuere, qui eum intuiti sunt. Post ad eum accessere, et quis esset interrogaverunt. Nomen non prodidit Simon, sed ducem vocari jussit. A Terentio Rufo comprehensus, vinctusque, ad Titum, qui tunc Cæsareæ maritimæ erat, missus est. Joseph. Bell. Jud. VII. 2. Inde intelligere est quomodo Judæorum duces eodem loci corporisque habitu, quo fuerant capti, in triumphalibus ferculis ostentarentur.

naves plurimæ.[1] Post visebantur templi monumenta,[2] quæ inter eminebat mensa aurea, aureum candelabrum,[3] et ultimum spolium, Judaica lex.[4] Inde sequebantur longo ordine victoriarum tituli: mox triumphales Vespasiani Titique currus,[5] quibus adequitabat Domitianus con-

1 *Naves plurimæ*] Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 5. Πολλαὶ δὲ καὶ νῆες εἵποντο. Naves illæ sane Judaicas bello captas referebant. Certe fuit in Museo Domus Professæ Parisiensis, Societatis Jesu, nummus ære mediocri: IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. COS. III. Vespasianus capite laureato. In aversa parte, VICTORIA NAVALIS. SC. Victoria cum palma et corona. Titi quoque similes nummi habentur.

2 *Templi monumenta*] Pars illa egregia triumphi Judaici extat adhuc Romæ, marmore expressa, in Titi arcu, inter clivum montis Palatini et ecclesiam sanctæ Franciscæ. Ibi primum videtur titulus, qui ante mensam auream præferebatur; deinde mensa aurea, supra quam posita duo vasa: ad latus mensæ sunt prælongæ duæ tubæ Judaicæ decussatæ: post titulus candelabri aurei; mox candelabrum aureum. Demum titulus, qui ante legem Judaicam præferebatur: ipsa lex non videtur, quod in anaglypho locus non supererat. Præstantissimum monumentum accuratissime delineatum exhibet eruditus Villalpandus, *in Ezechiel.* Vol. II. p. 587. Arcus autem, post Titi mortem aut structus, aut inscriptus. SENATVS POPVLVS QVE ROMANVS DIVO TITO DIVI VESPASIANI F VESPASIANO AVGVSTO.

3 *Candelabrum*] Hecatæus, apud Josephum contra Apionem, I. 22. memorat aram, seu mensam, et candelabrum, utrumque aureum, pondus talentorum duum, Angl. 9000*l.* Βωμός ἐστι καὶ λυχνίον, ἀμφότερα χρυσᾶ, δύο τάλαντα τὴν ὁλκήν.

4 *Judaica lex*] Joseph. ibid. Sane in aurata, qua includebatur, arcula lata est lex, seu præstantissimus legis liber. Neque enim obvium quodque exemplar ostentatum.

5 *Vespasiani Titique currus*] Joseph. ibid. Bene quidem, ut constat ex veteribus monumentis. At falso Orosius, VII. 9. unum triumphalem currum memorat: 'Vespasianus et Titus imperatores, magnificum agentes de Judæis triumphum, urbem ingressi sunt. Pulchrum et ignotum antea cunctis mortalibus inter trecentos viginti triumphos, qui a conditione Urbis, usque ad id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit, patrem et filium, uno triumphali curru vectos, gloriosissimam ab his qui patrem et filium offenderant, victoriam reportasse.' In aureo Vespasiani nummo, quem e Thesauro Regio laudat Harduinus, Selecta Opera, p. 731., solus triumphali curru vehitur Vespasianus. IMP. CAESAR VESPASIANVS AVG. TR. P. capite laureato. In aversa parte, TRIVMP. AVG. *Triumphus Augusti.* Vespasianus, curru triumphali vectus, retro a Victoria coronatus, balsami ramum, devictæ Judææ symbolum, tenet. Sic quoque in triumphali arcu Titi, de quo jam dictum supra, solus Titus curru suo et quadrigis vehitur, pariter a Victoria retro stante coronatus. Perperam interpres Latinus Josephi Titum equitantem exhibet.

sul.[1] Circumducta per theatra[2] pompa, ut irruenti undique plebi fieret satis, ventum ad Capitolium. Tum substitit pompa: præcipuus belli dux Simon, laqueo[3] in clivum, foro imminentem,[4] tractus, virgisque cæsus, interfectus est.[5] Sic expiato scelere, victoribus acclamatum: cæsæ victimæ; et imperatores in Jovis Capitolini gremio lauream[6] posuere, neglecto victoriæ cognomento.[7] Inde publicos inter plausus in palatium discessere: reliquum diei lætitiæ datum, tota Urbe in epulas effusa.[8]

52. Tum silentibus bellis, clusus est Janus.[9] Ut pacis, qualis a Divi Augusti temporibus haud contigerat, monu-

1 *Adequitabat Domitianus consul*] Joseph. ibid. Suetonius quoque in Domitian. II. 'Triumphum utriusque (Vespasiani et Titi) Judaicum equo albo comitatus est.' Consul autem suffectus tunc erat Domitianus.

2 *Per theatra*] Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 4. Διὰ τῶν θεάτρων. Unde mihi videtur triumphalem pompam non statim Urbem subiisse. Sed, peractis ante triumphalem portam sacris, pompa per Pompeii, Balbi, et Marcelli theatra, quæ erant in campo Martio, circumducta est, ut multitudini, quam immensam exhibet Josephus, facilior esset aspectus. De hac pompæ tarditate intelligendus videtur Suetonius, in Vespasian. XII. 'Adeoque nihil ornamentorum extrinsecus cupide appetivit, ut triumphi die fatigatus tarditate et tædio pompæ, non reticuerit: merito se plecti, qui triumphum, quasi aut debitum majoribus suis aut speratum unquam sibi, tam inepte senex concupisset.'

3 *Simon, laqueo*] Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 6.

4 *Foro imminentem*] In eo clivo erat Carcer Mamertinus, hodie *S. Pietro in carçere:* ibi quoque, ut quidam volunt, scalæ Gemoniæ. Vide dicta ad Hist. III. 74.

5 *Interfectus est*] Joseph. ibid. Joannes autem reservatus est vinculis sempiternis, δεσμοῖς αἰωνίοις. Joseph. Bell. Jud. VI. 9. n. 4.

6 *Gremio lauream*] De hoc usu dictum ad Annal. II. 26.

7 *Victoriæ cognomento*] Dio LXVI. p. 748. Ob invisam despectamque gentem, neque Vespasianus, neque Titus dictus est *Judaicus.* Inde Pompeius, cum irrideretur a Cicerone Ep. ad Attic. II. 9., appellatus 'noster Hierosolymarius traductor.' Ceterum Judaica Vespasiani Titique victoria quam plurimis celebrata monumentis.

8 *In epulas effusa*] Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 6.

9 *Clusus est Janus*] Paulus Orosius, VII. 9. 'Continuo (post Judaici belli triumphum) omnibus bellis ac tumultibus domi forisque compressis, pacem totius orbis pronuntiaverunt, et Janum geminum obseratis cohiberi claustris, sexto demum ipsi post Urbem conditam censuerunt.' Inde in multis Vespasiani nummis, cusis anno sequenti, cum Vespasianus esset cos. III. id est, 'consul tertium,' reperitur inscriptum: PACI ORBIS TERR. AVG. Id est, 'Paci orbis terrarum Augustæ.' vel AVGVSTAE PACI. vel PAX POPVLI ROMANI. In nummis Titi PAX AVG.

mentum extaret, Vespasianus Pacis templum,[1] maximum pulcherrimumque[2] Urbis opus, ædificavit: ibi, præter cetera ornamenta,[3] opes vasaque templi Hierosolymitani dicata: lex, velaque[4] in palatio reposita. Cum ita factum satis religionibus, in morum emendationem conversa sunt studia, conspirantibus Principis Titique votis, ipsa Urbe vitiorum mole fessa.[5]

1 *Pacis templum*] Templum illud fuit *foro proximum*, teste Suetonio in Vespasian. IX. Templo addita erant multa opera; quæ memorat Plinius, XXXIV. 8. n. 24. et XXXVI. 4. n. 8. Videntur adhuc ejus rudera haud procul ab ecclesia Sanctæ Franciscæ et arcu Titi, ante montem Palatinum.

2 *Maximum pulcherrimumque*] Herodianus Libr. I. p. 482. Εἰρήνης τέμενος—μέγιστον καὶ κάλλιστον γενόμενον τῶν ἐν τῇ πόλει ἔργων. Ejus quoque egregias laudes vide apud Plinium, XXXVI. 15. et Josephum Bell. Jud. VII. 5. n. 7.

3 *Ornamenta*] Hæc Templi decora sæpe memorat Plinius. Extat adhuc eximium ejus magnificentiæ monumentum, ingens nempe columna marmorea, quam Paulus V. summus Pontifex, ante ecclesiam Sanctæ Mariæ Majoris transtulit et erexit.

4 *Lex, velaque*] Liber legis Judaicæ, et vela purpurea tabernaculi, τὰ πορφυρᾶ τοῦ σηκοῦ καταπετάσματα. Joseph. Bell. Jud. VII. 5. n. 7. De his velis plura habet idem Josephus, Bell. Jud. V. 5. n. 4. et 5.

5 *Fessa*] Hæc et reliqua Vespasiani tempora vide in Append. Chronol.

, 31.

tonia
or, 42.
or
Claudii
i, 79.

18.

Lucius
Cæsar,
49.

ci

ius
,

L. Jun
Silanu
60.

ius
,

Nero
U
Ji
Drusi
fil
7

STEMMA CÆSARUM

AD NUMMORUM, SCRIPTORUM VETERUM, AC MAXIME

C. CORNELII TACITI

INTELLIGENTIAM ILLUSTRATUM.

---

1. CAIUS JULIUS CÆSAR, nobilissima Juliorum familia genitus, dictatoris pater, fratrem habuit Lucium Julium Cæsarem. Hic prætor, ille prætura perfunctus, nullis evidentibus causis, dum calceantur, repentina morte obiere: Lucius Romæ, Caius Pisis exanimatus A. U. 670. Julia, eorum soror, conjugem habuit C. Marium, septies consulem, sæculi sui decus et ornamentum, dictatori Cæsari virtutis incitamentum. Cæsarum, totiusque gentis Juliæ, licet Ascanio Iulo, Æneæ filio, et Venere Dea ortos se jactitarent, laus maxima fuit DICTATOR CÆSAR. Sueton. in Jul. I. et VI. Plin. VII. 53. Plutarch. in Mario, p. 408.

2. AURELIA, uxor Caii Julii Cæsaris, dictatoris mater; fœmina morum honestate illustris. Plutarch. in Cæsare, p. 711. Tacit. Dialog. de Orat. XXVIII.

3. CAIUS JULIUS CÆSAR, DICTATOR, natus est IV. Idus Quintiles, A. U. 654. A. C. 99. Mario VI. et Valerio Flacco consulibus. Pharsalicis in campis Cn. Pompeii Magni victor, Romæ, terrarum dominæ, imperavit A. U. 706. Quadriennio post, a M. Bruto, C. Cassio, aliisque conjuratis, Idibus Martiis anni U. C. 710. occisus est. Vir Romanorum maximus, et laude dignissimus,

nisi, quod summum est in libera civitate crimen, libertatem perdidisset. Mentis capacitate, animi sublimitate, celeritate ingenii supra humanam et naturam, et fidem, evectus, non patriam tantum, sed totum terrarum orbem rebus præclare gestis illustravit. Ad gloriam tamen, incertum, an ad generis humani injuriam natus, qui collatis signis quinquagies dimicavit, et, præter bellorum civilium strages, undecies centena et XCII M. hominum[1] a se occisa præliis ipse prodidit. Macrob. Saturnal. I. 12. Vell. Patercul. II. et seq. Plin. VII. 25.

In nummis appellatur CÆSAR IMP. COS. AVG. PONT. MAX. DICT. PERP. 'Cæsar imperator, consul, augur, pontifex maximus, dictator perpetuo.' Post mortem DIVOS vel DIVVS JVLIVS.

4. COSSUTIA, uxor Cæsaris, familia equestri, sed admodum dives. Cæsari adhuc prætextato desponsata, postea dimissa. Sueton. in Jul. Cæs. I.

5. CORNELIA, Cinnæ quater consulis filia, secunda uxor Cæsaris; quam ut repudiaret a dictatore Sylla, neque spe, neque metu unquam compelli potuit. Defunctam, cum quæstor esset, pro rostris laudavit. Sueton. in Jul. I. et VI. Plutarch. in Jul. p. 707.

6. JULIA, Cæsaris et Corneliæ filia, primum Servilio Cæpioni desponsata; eo deinde repudiato, fuit Cn. Pompeio Magno collocata A. U. 695. Illam A. U. 700. mortuam laudavit nepos Octavius: in ejus honorem venationes ludosque gladiatorios instituit Cæsar, pater optimus. Sueton. in Jul. XXI. In Aug. VIII. Dio, XXXVIII. p. 63. XXXIX p. 120. XLIII. p. 225.

7. CNEIUS POMPEIUS MAGNUS, Pompeio Strabone et Lucilia A. U. 648. pridie Kalendas Octobris genitus, conjux Juliæ. Pompeio majorem non haberet Roma, si Cæsarem non tulisset. Octavo decimo ætatis anno civilia bella sustinuit. Viginti tres annos natus, privatis ut opibus, ita et consiliis, dignitatem patriæ vindicare aggressus est. Magna ausus, magnificentius conata executus, oram maritimam a prædonibus liberavit; imperium maris populo Romano restituit; Asiam, quam ultimam provinciarum acceperat, eandem mediam fecit; subacta Africa,

1 Ut vulgo scribimus 1,192,000. hominum. Plutarchus in Cæsar. p. 715. ait Julium diversis temporibus signa contulisse cum tricies centenis millibus, 3,000,000. hominum; decies, 1,000,000. interfecisse, totidem cepisse.

Magni nomen in spolium cepit. Ex Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Judæis, Albanis, Iberia, insula Creta, Basternis, et super hæc de regibus Mithridate atque Tigrane triumphavit. Tot victoriarum monumentum superstes esse voluit in delubro Minervæ, quod A. U. 696. ex manubiis dicavit, posita hac inscriptione: CN. POMPEIVS MAGNVS IMP. BELLO XXX ANNORUM CONFECTO, FVSIS, FVGATIS, OCCISIS, IN DEDITIONEM ACCEPTIS HOMINVM CENTIES VICIES SEMEL LXXXIII M. (12,183,000. hominum) DEPRESSIS AVT CAPTIS NAVIBVS DCCCXLVI OPPIDIS, CASTELLIS MDXXXVIII IN FIDEM RECEPTIS. TERRIS A MAEOTIS LACV AD RVBRVM MARE SVBACTIS, VOTVM MERITÒ MINERVAE. Civis optimus ac felicissimus, si parem ferre potuisset, nec inexplebili pecuniæ cupiditate laborasset. Dominationem dum unus affectat, victus interficitur A. U. 706. et Cæsar, mortuo illacrymans, bis victor videtur, ac solus imperat. Plin. VII. 26. XXXVII. 2. Tacit. Annal. XIII. 6. Vell. Pater. II. 29. Plutarch. in Pompeio, p. 619.

In nummis appellatur CN. MAGN. PIVS. PROCOS. IMP. IMP. ITER. PRAEF. CLAS. ET ORAE MARIT. EX. SC., id est, 'Cneius magnus, pius, proconsul, imperator, imperator iterum, præfectus classis et oræ maritimæ, ex senatus consulto.'

8. N. Cn. Pompeii et Juliæ filius, Cæsaris nepos, natus ad maxima, et Cæsarem inter ac Pompeium pacis vinculum; sed brevi post matrem extinctus est A. U. 701. Cum ipso stirps Cæsaris, et reipublicæ Romanæ libertas periere. Vell. Patercul. II. 47.

9. N. Cn. Pompeii et Juliæ filia, neptis Cæsaris. In partu occubuit mater ejus Julia A. U. 700. Ipsa paucos dies vixit. Plutarch. in Jul. p. 647. Dio, XXXIX. p. 120.

10. POMPEIA, Quinti Pompeii filia, Lucii Syllæ neptis, tertia uxor Cæsaris, qui illam repudiavit, a Publio Clodio adulteratam opinatus. Cur dimisisset interrogatus, respondit: 'thalamum Cæsaris non modo crimine, sed etiam suspicione vacuum esse debere.' Sueton. in Jul. VI. Plutarch. in Jul. p. 711. In Cicerone, p. 874. et 875.

11. CALPURNIA, L. Calpurnii Pisonis filia, nupsit Cæsari A. U. 695. Interfecto conjuge, ad M. Antonium confugit; convasatis ex uxoria domo quatuor millibus talentorum, Angl.

900,000*l*. Sueton. in Jul. LXXXI. Plutarch. in Jul. p. 714. in Antonia, p. 922.

12. JULIA, Caii Julii Cæsaris prætorii, et Aureliæ filia, Cæsaris dictatoris soror, uxor M. Atii Balbi. Sueton. in Aug. IV.

13. MARCUS ATIUS BALBUS, stirpe Aricinus, Juliæ, dictatoris sororis, conjux, Augusti avus; multis imaginibus senatoriis nobilis, Cæsarum affinitate nobilior. Sueton. in Aug. IV.

14. ATIA, M. Atii Balbi et Juliæ filia, uxor Caii Octavii, mater Augusti. Sueton. in Aug. IV. Tacit. Dialog. de Orat. XXVIII.

15. CAIUS OCTAVIUS, Atiæ conjux, Augusti pater, oriundus Velitris, familia equestri, sed vetere ac locuplete. Post præturam Macedoniam sortitus est. Residuam Spartaci et Catilinæ manum delevit: Bessos Thracasque magno prælio fudit, socios tractavit humanissime. Decedens Macedonia, priusquam profiteri se candidatum consulatus posset, morte repentina obiit. Ex priore cum Ancharia matrimonio Octaviam susceperat, quæ ad stirpem Cæsarum nihil pertinet. Sueton. in Aug. III. IV. et V.

16. OCTAVIA, Atiæ et Octavii filia, soror Augusti; primum Fausto Syllæ destinata, deinde Claudio Marcello et M. Antonio nupta: fœmina virtutum et literarum studiis commendatissima. Defunctam A. U. 743. laudavit Augustus. Corinthii templum ei sacrarunt. Sueton. in Jul. XXVII. Dio, LIV. p. 546. Pausanias, II. 3. in Corinth. Plin. III. 2. Sec. 3.

17. CAIUS CLAUDIUS MARCELLUS, Octaviæ, sororis Augusti, conjux; consulatum gessit A. U. 704. Licet Cæsari dictatori affinis, fuit tamen ei inimicissimus. Sueton. in Jul. XXVII. Dio, XL. p. 148.

18. MARCUS MARCELLUS, Octaviæ et Claudii Marcelli filius, maximæ spei juvenis, Augusto carissimus, et successionis, in quam alebatur, capax: sed flagrantibus populi Romani studiis intra juventam ereptus est A. U. 731. Memoriam ejus maximis honoribus prosecutus est Augustus; immortalem fecit Virgilius. Tacit. Annal. II. 41. III. 64. Dio, LIII. p. 517. Virgil. Æneid. VI. 883.

19. POMPEIA, Sexti Pompeii filia, M. Marcello desponsa A. U. 715. Dio, Lib. XLVIII. p. 380.

JULIA, Augusti et Scriboniæ filia, M. Marcello nupta A. U. 729. Dio, LIII. p. 515. De illa plura dicentur infra n. 47.

20. MARCELLA major, Claudii Marcelli et Octaviæ filia: primo uxor, ut mihi videtur, Apuleii, deinde Valerii Messalæ. Sueton. in Aug. LIII. Dio, LIV. p. 543.

21. APULEIUS, Marcellæ majoris conjux, forte filius Sexti Apuleii, qui consulatum gessit A. U. 725. Dio, LIV. p. 543.

22. APULEIA VARILIA, neptis Octaviæ sororis Augusti, Apuleii et Marcellæ majoris filia, damnata adulterii A. U. 770. et ultra ducentesimum lapidem ablegata. Tacit. Annal. II. 50.

23. M. VALERIUS MESSALA BARBATUS, alter Marcellæ majoris conjux, consul A. U. 742. Sueton. in Aug. LXIII. in Claud. XXXVI. Dio, LIV. p. 541.

24. M. VALERIUS MESSALA BARBATUS, Messalæ Barbati et Marcellæ majoris filius, Messallinæ pater. Sueton. in. Claud. XXVI.

25. DOMITIA LEPIDA, Antoniæ minoris et L. Domitii Ahenobarbi filia, uxor Messalæ Barbati, mater Messallinæ. Fœmina impudica, infamis, violenta; forma, ætate, opibus, vitiis, Agrippinæ, Neronis matris, æmula: ideo morte damnata A. U. 807. Tacit. Annal. XI. 37. XII. 64. Sueton. in Claud. XXVI. in Ner. VII.

26. VALERIA MESSALLINA, Messalæ Barbati et Domitiæ Lepidæ filia, uxor Claudii imperatoris: novæ, et furori proximæ, libidinis fœmina. Cum imperator Ostiæ diversaretur, Silio nubere ausa est. Inauditum ob scelus occisa A. U. 801. Sueton. in Claud. XXVI. Tacit. Annal. XI. 26. et seq.

In nummis appellatur ΟΥΑΛΕΡΙΑ ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ. ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. Id est, 'Valeria Messalina:' 'Messalina Augusta.' In ærea Musei Gallici statua MES. AUG., id est, 'Messallinæ Augusta.'

TIBERIUS CLAUDIUS, IMPERATOR V. conjux Messallinæ. De illo dicetur infra n. 101.

27. MARCELLA minor, Octaviæ et Marcelli filia, primum M. Vipsanii Agrippæ, deinde M. Juli Antonii uxor. Sueton. in Aug. LXIII. Plutarch. in Anton. p. 955.

MARCUS VIPSANIUS AGRIPPA, Marcellæ minoris conjux, postea Juliæ, Augusti filiæ. De illo plura n. 47.

28. NN. liberi, quos Vipsanius Agrippa ex Marcella minore susceperat, antequam Juliam, Augusti filiam, uxorem duceret. Sueton. in Aug. LXIII.

29. MARCUS JULUS ANTONIUS, M. Antonii triumviri et Fulviæ filius, Marcellæ minoris, ab Agrippa dimissæ, conjux: consulatum gessit A. U. 744. Vir projectæ libidinis, et ob adulterium Juliæ, Augusti filiæ, morte punitus. Egregium carmen illi inscripserat Horatius, Pindari laudator et æmulus. Tacit. Annal. III. 18. IV. 44. Dio, LIV. p. 546. LV. p. 555. Horat. IV. Od. 2.

30. LUCIUS ANTONIUS, Juli Antonii et Marcellæ minoris filius. Ob scelus patris, adhuc admodum adolescentulus in civitatem Massiliensem ab Augusto sepositus est, ut specie studiorum nomen exilii tegeretur. Obiit A. U. 778. Tacit. Annal. IV. 44.

31. MARCUS ANTONIUS, triumvir, M. Antonii, oratoris, filius, alter Octaviæ, sororis Augusti, conjux, cui nupsit A. U. 714. Eam vero repudiavit A. U. 722. ut Cleopatræ, Ægypti reginarum novissimæ, ipse serviret. Cæsare dictatore occiso, sestertium septies millies, Angl. 5,833,333*l.* 6*s.* 8*d.* ad ædem Opis depositum occupaverat. Civis pessimus, in triumviratu prægravis, et scelere proscriptionum infamis. Summa sæpe consecuturus, nisi fortuna sua inferiorem, aut potius indignum, se semper præstitisset. Ad Actium victus A. U. 724. multa desidiæ crimina morte redemit, scriptis tamen et morte Ciceronis æternum famosus. Vell. Patercul. II. 60. et 87. Dio, L. p. 420. Plin. VII. 45. Plutarch. in Anton. Cicero in Philippic.

In nummis appellatur M. ANTON. M. F. M. N. AVG. IMP. COS. DESIG. ITER. ET. TERT. IIIVIR. RPC., id est, 'Marcus Antonius, Marci filius, Marci nepos, augur, imperator, consul designatus iterum et tertium, triumvir reipublicæ constituendæ.'

32. ANTONIA major, Octaviæ, Augusti sororis, et M. Antonii triumviri filia, uxor L. Domitii Ahenobarbi. A Tacito Antonia minor appellatur; forte Antoniam majorem ex Fulvia ante susceperat Antonius. At Dio perperam scripsit Antoniam Cn. Domitio fuisse desponsatam. Dio, XLVIII. p. 390. Tacit. Annal. IV. 44. Sueton. in Nerone, V. Plutarch. in Anton. p. 955.

33. LUCIUS DOMITIUS AHENOBARBUS, Cn. Domitio, Cæsaris dictatoris interfectore, genitus, conjux Antoniæ majoris. Vir profusus, arrogans, immitis: exercitu Albim transcendit; longiusque penetrata Germania, quam quisquam priorum, insignia triumphi adeptus est. Obiit A. U. 778. Sueton. in Nerone, IV. Tacit. Annal. IV. 44.

34. CNEIUS DOMITIUS AHENOBARBUS, Antoniæ majoris

et Lucii Domitii filius; Agrippinam, Germanici filiam, uxorem duxit A. U. 781. consulatum gessit A. U. 785. Omni parte vitæ ita detestabilis, ut ex se et Agrippina nihil boni nasci posse vere pronuntiaverit Suetonius in Nerone, v. Tacit. Annal. IV. 75. Dio, LVIII. p. 633. LXI. p. 690.

AGRIPPINA, Germanici et Agrippinæ, Vipsanio Agrippa genitæ, filia, Cn. Domitii uxor, Neronis imperatoris mater. De hac imperii Romani face dicemus, n. 93.

35. LUCIUS DOMITIUS NERO CLAUDIUS, IMPERATOR VI. Agrippinæ et Cn. Domitii Ahenobarbi, pessimorum parentum filius pessimus: natus est decimo octavo Kalendas Januarias, A. U. 790. A vitrico suo Claudio gener ac filius adoptatus, in familiam Claudiam et nomen Neronis transiit. Regnum ita auspicatus est A. U. 807. ut inter optimos principes haberi potuerit; ita gessit postea, ut inter nequissimos ac sceleratissimos semper sit annumerandus. Princeps nefandi ingenii, omnium immanitatum, omnium turpitudinum capax, et principatus libidine omnium reus. Illum, funeratis Cæsaribus, tanquam pestem, incensa Roma exhorruit. Christiana religio, quod primum eum hostem habuerit, gloriatur. Hominibus sibique invisus, et atroci senatus consulto capite damnatus, ipse, scelerum suorum vindex, carnificis partes in se explevit A. U. 821. In eo defecit Cæsarum progenies tot virtutibus olim illustrata, omnigenis recentiorum Cæsarum vitiis infamata. Plutarch. in Anton. p. 955. Sueton. in Nerone, VI. Tacit. Annal. XII. 25. Plin. XXII. 22. sect. 46. Dio, LXIII. p. 727.

In nummis ante principatum appellatur NERO CLAVD. CAES. DRVSVS GERM. PRINC. IVVENT. COS. DESIG. SACER. COOP. IN OMN. CONL. SVPRA NVM. EX SC., id est, 'Nero Claudius Cæsar Drusus Germanicus, princeps juventutis, consul designatus, sacerdos cooptatus in omnia collegia supra numerum, ex senatus consulto.'

In principatu, NERO CLAVD. DIVI CLAVD. F. CAESAR AVG. GERM. PONT. MAX. IMP. TR. P. P. P., id est, 'Nero Claudius, Divi Claudii filius, Cæsar, Augustus, Germanicus, pontifex maximus, imperator, tribunicia potestate, pater patriæ.'

36. OCTAVIA, Claudii imperatoris et Messallinæ filia, Britannici soror, nata A. U. 795. primum L. Silano desponsa, sed Neroni nupta A. U. 806. Fœmina incorrupta probitate, aliis temporibus, alio marito digna. Illam Nero repudiavit, repudiatam revocavit,

ac tandem in insulam Pandatariam claudi et interimi jussit A. U. 815. Tacit. Annal. XII. 3. et 25. XIV. 60. et 64. Dio, LXII. p. 706.

In nummis, OCTAVIA AVG., id est, 'Octavia Augusta.'

37. POPPÆA SABINA, T. Ollii et Poppææ Sabinæ filia; primum Rufio Crispino, deinde M. Salvio Othoni postea imperatori, demum Neroni nupta A. U. 815. Eam, summe dilectam, nec vitiis absimilem, ferox Princeps calcis ictu occidit A. U. 818. et pro rostris laudavit. Corpus ejus non fuit crematum, pro Romanorum more; sed odoribus differtum et Juliorum tumulo conditum. Testatur Plinius Arabiam felicem non ferre tantum thuris annuo fœtu, quantum Nero novissimo Poppææ suæ die concremaverit. Triennio post templum posuit SABINAE DEAE VENERI. Tacit. Annal. XIII. 45. XVI. 6. Sueton. in Nerone, XXXV. Dio, LXIII. p. 726.

In nummis, POPPAEA AVG., id est, 'Poppæa Augusta.' DIVA POPPAEA.

38. CLAUDIA AUGUSTA, Poppææ et Neronis filia, nata Antii A. U. 816. et statim appellata 'Augusta.' Quartum intra mensem defuncta est, Nerone, ut lætitiæ in partu, sic in morte mœroris immodico. Tacit. Annal. XV. 23. Sueton. in Ner. XXXV.

In nummis, DIVA CLAVDIA NER. F., id est, 'Diva Claudia Neronis filia.'

39. STATILIA MESSALLINA, T. Statilii Tauri abneptis, tertia Neronis uxor; qua ut potiretur, virum ejus Atticum Vestinum consulem trucidavit A. U. 818. Sueton. in Nerone, XXXV. Tacit. Annal. XV. 68.

40. DOMITIA, Antoniæ majoris et L. Domitii Ahenobarbi filia, Neronis amita, Passieni Crispi uxor, quam Nero veneno interemit A. U. 812. Quintilian. Institut. Orat. VI. 1. Tacit. Annal. XIII. 19. et 21. Dio, LXI. p. 697.

PASSIENUS CRISPUS, conjux primo Domitiæ, deinde Agrippinæ Germanici filiæ. De illo infra n. 94.

DOMITIA LEPIDA, Antoniæ majoris et L. Domitii Ahenobarbi filia, primo M. Valerii Messalæ Barbati, secundo C. Appii Junii Silani uxor. De illa jam dictum supra n. 25.

MARCUS VALERIUS MESSALA BARBATUS, Messalæ Barbati et Marcellæ majoris filius, primus Domitiæ Lepidæ conjux; de quo diximus supra n. 24.

41. CAIUS APPIUS JUNIUS SILANUS, Hispaniæ præfectus, quem Claudius Domitiæ Lepidæ, Messallinæ matri, despondit, ac paulo post interfecit A. U. 795. Dio, LX. p. 674.

42. ANTONIA minor, Octaviæ sororis Augusti et M. Antonii triumviri filia, Neronis Drusi conjux, mater Germanici. Fœmina forma et castitate excellens. Post mariti obitum in viduitate consenuit, laudibus virilem familiæ suæ claritatem supergressa. Inter parva naturæ insignia, Antoniam nunquam exspuisse observat Plinius, VII. 19. Suetou. in Caio, 1. Tacit. Annal. III. 3. XI. 3. Plutarch. in Antonio, p. 955. Valer. Maxim. IV. 3. n. 3.

In nummis, ANTONIA AVGVSTA.

NERO CLAUDIUS DRUSUS, Antoniæ minoris conjux, pater Germanici, utroque dignus: de illo infra n. 79.

43. CAIUS OCTAVIUS CÆSAR AUGUSTUS, IMPERATOR, Atiæ et C. Octavii filius, natus nono Kalendas Octobris, A. U. 691. Romani imperii conditor. Bella civilia anno ætatis nono decimo suscepit: ita gessit, ut triennio post nullus ex dictatoris Cæsaris, adoptivi patris, interfectoribus superstes fuerit. Sextum Pompeium navali prælio apud Siciliam oppressit; M. Lepidum triumvirum, imperio exutum, in ordinem redegit; M. Antonium ad Actium superavit; ac tandem unus Julianarum etiam partium dux reliquus, cuncta, discordiis civilibus fessa, nomine Principis sub imperium accepit. Tunc pacis studiosus, doctorum hominum cultor, egregiarum artium instinctor munificus, omnium animos per annos ferme quadraginta quatuor sibi adeo devinxit, ut AVGVSTVS, PATER PATRIAE appellaretur. Scythæ et Sarmatæ, Garamantes ac Bactri, Seres et Indi, orando fœderi legatos miserunt: Roma et celeberrimæ provinciarum urbes, tanquam Deo, templa, sacerdotes et collegia vivo mortuove consecrarunt. Obiit decimo quarto Kalendas Septembris, A. U. 767. Vir, si diligenter æstimentur cuncta, fama quam virtutibus celebratior; nunquam principatum adepturus, nisi pessimi fuissent Lepidus et Antonius, maximus dictator Cæsar, optimus Vipsanius Agrippa. Laudandus tamen quod imperium, aliena virtute partum, arte plurima sustinuerit, et Romam, quam lateritiam acceperat, marmoream reliquerit. In ipsa sua felicitate ita varius, ut inter omnes sortis humanæ casus semper colluctatus, nemo magis ex omnibus mortalibus hominem esse se, dum inter homines erat, senserit. Sueton. in Aug. v. et C. Tacit. Annal. I. 1. XIII. 6. Florus, IV. 12.

Aurel. Victor de Cæsaribus, cap. 1. Plin. VII. 45. Senec. consol. ad Polyb. XXXIV.

In nummis ante principatum appellatur C. CAESAR DIVI F. IMP. IIIVIR RPC. COS. LIBERTATIS P. R. VINDEX., id est, 'Caius Cæsar, Divi filius, imperator, triumvir reipublicæ constituendæ, consul, libertatis populi Romani vindex.'

In principatu, CAESAR AVG. AVGVSTVS. DIVI F. IMP. COS. PONT. MAX. TR. POT. PATER PATRIAE, id est, 'Cæsar Augustus. Augustus, Divi filius, imperator, consul, pontifex maximus, tribunicia potestate, pater patriæ.'

Post mortem, DIVVS AVGVSTVS. DEO AVGVSTO.

44. CLODIA, Publii Clodii et Fulviæ filia, M. Antonii triumviri privigna, quam firmandæ pacis causa, Augustus duxit uxorem, vixdum nubilem. At, simultate cum Fulvia socru exorta, dimisit intactam adhuc et virginem. Sueton. in Aug. LXII.

45. SCRIBONIA, Lucii Scribonii Libonis soror, uxor Augusti: antea duobus consularibus nupta, quorum ex altero, Scipione dicto, Corneliam filiam habuerat. Augustus Scriboniam dimisit A. U. 715. sive, ut ipse scripsit, morum ejus perversitatem pertæsus, sive potius, quod illa nimiam pellicis Liviæ potentiam liberius doleret. Sueton. in Aug. LXIII. et LXIX. Dio, XLVIII. p. 366. et 377. Propert. IV. Eleg. II.

46. JULIA, Augusto et Scribonia A. U. 715. genita, primo Marcelli, secundo Agrippæ, tertio Tiberii uxor. Fœmina, turpitudinis avida, quæque magnitudinem fortunæ suæ peccandi licentia metiebatur. Illam ob adulteria et consilia parricidæ palam facta in insulam Pandatariam Augustus ablegavit circa A. U. 752. Omnis spei egenam inopia ac tabe longa peremit Tiberius, exeunte A. U. 767. Plin. VII. 45. Dio, LV. p. 555. Tacit. Annal. I. 53. Vell. Patercul. II. 100.

In nummis, ΙΟΥΛΙΑ. ΙΟΥΛΙΑ ΑΦΡΟΔΙΤΗ., id est, 'Julia. Julia Venus.'

MARCUS MARCELLUS, Octaviæ et Claudii Marcelli filius, conjux Juliæ Augusti filiæ. De hoc optimo juvene dictum est supra n. 18.

47. MARCUS VIPSANIUS AGRIPPA, ignobilis loco, et rusticitati propior, quam deliciis, sed optimus militia, et amicus integerrimus. Terra marique victor, Augusti imperium firmavit. In illa sua torvitate, literarum et artium studiosus, orbem terrarum

diligentissime descripsit, et orbi spectandum in tabula geographica proposuit: præcipuam auctoritatem tabulis ac statuis publice fecit; easque omnes publicandas, nec in villarum exilia pellendas magnifice scripsit. Non Urbem tantum, sed Italiam admirandis, tum ad ornamentum, tum ad utilitatem, operibus locupletavit. Augustus, ne beneficiorum immemor videretur, geminatis consulatibus illum extulit, tribuniciæ ac censoriæ suæ potestatis participem fecit; et, defuncto Marcello, generum sumsit A. U. 733. maximis honoribus majorem semper expertus. Novitate sua tam multis rebus nobilitata, obiit Agrippa A. U. 742. ætatis suæ quinquagesimo primo. Augustum virtutum suarum olim æmulum, tunc laudatorem habuit; merito dictus CIVIUM MAXIMUS. Tacit. Annal. I. 3. Plin. III. 2. VII. 8. XXXV. 4. sect. 9. Dio, LIV. p. 525. 541. et seq. Vell. Patercul. II. 96.

In nummis appellatur M. AGRIPPA L. F. COS. DES. COS. TER. PRAEF. ORAE. MARIT. ET CLASS., id est, ‘Marcus Agrippa Lucii filius consul designatus, consul tertium, præfectus oræ maritimæ et classis.’

48. CAIUS CÆSAR, Agrippæ et Juliæ filius, natus A. U. 734. Ab Augusto adoptatus, princeps juventutis, consul; at fato brevis, nec tamen inglorius, in Lycia obiit nono Kalendas Martias, A. U. 757. cum ex Armenia remearet. Tacit. Annal. I. 3. Dio, LIV. p. 526. Noris Cenotaphia Pisana Dissert. II. 17. p. 347. et seq.

In nummis, C. CAESAR AVGVSTI F. AVGVR PONT. COS. DES. COS., id est, ‘Caius Cæsar, Augusti filius, augur, pontifex, consul designatus, consul.’

LIVIA, soror Germanici, Caii Cæsaris uxor. Tacit. Annal. IV. 40. De illa infra n. 71.

49. LUCIUS CÆSAR, Agrippæ et Juliæ filius, Caii Cæsaris frater, natus A. U. 737. Augustus illum in Cæsarum domum induxit, principem juventutis appellavit, consulem destinavit. Massiliæ occubuit mense Augusto A. U. 755. cum ad Hispanienses exercitus proficisceretur. Tacit. Annal. I. 3. Noris Cenotaphia Pisana Dissert. II. 15. p. 265. et seq.

In nummis, L. AVG. F. PRINC. IVVENT., id est, ‘Lucius Augusti filius, princeps juventutis.’

In amborum fratrum nummis, C. ET L. CAESARES AVG. F. COS. D. PRIN. IVVEN., id est, ‘Caius et Lucius Cæsares, Augusti filii, consules designati, principes juventutis.’

50. MARCUS AGRIPPA CÆSAR POSTUMUS, Agrippæ et Juliæ filius, Caii et Lucii Cæsarum frater, post patris mortem genitus A. U. 742. Illum adoptavit Augustus quinto Kalendas Julias anni 757.; sed rudem bonarum artium, et robore corporis stolide ferocem, postea abdicavit, et in insulam Planasiam ablegavit. Nullius tamen flagitii compertum, post ablegationem desideravit. Ejus cæde imperium auspicatus est Tiberius A. U. 767. Dio, LIV. p. 542. Vell. Patercul. II. 104. Tacit. Annal. I. 3. et 6. Plin. VII. 45.

In nummis, AGRIPPA CAESAR.

51. AGRIPPINA, Agrippæ et Juliæ filia, Germanici uxor. Fœmina ingens animi, impenetrabilis pudicitiæ: sed superbior ac æquior quam ut artes Liviæ ferret. Ipsa sua virtute infelix, occubuit in insula Pandataria quinto decimo Kalendas Novembris A. U. 786. Tacit. Annal. IV. 12. VI. 25. XIV. 63.

In nummis, imperante filio suo Caio Caligula, cusis appellatur AGRIPPINA AVGVSTA. AGRIPPINA M. F. MAT. C. CAES. AVG. GERM. ΘΕΑ ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ, id est, 'Agrippina Marci filia, mater Caii Cæsaris Augusti Germanici. Diva Agrippina.'

GERMANICUS, Neronis Drusi et Antoniæ minoris filius, Agrippinæ conjux. De hoc optimo Cæsare dicetur infra n. 81.

52. JULIA, Agrippæ et Juliæ filia, L. Æmilii Pauli uxor, matris suæ libidinum æmula. Augustus convictam adulterii in insulam Trimetum projecit A. U. 761. Illic obiit A. U. 781. Tacit. Annal. IV. 71.

53. LUCIUS ÆMILIUS PAULUS, Pauli Æmilii Lepidi, censoris A. U. 732. et Corneliæ filius, Julia genitæ, conjux. Sueton. in Aug. LXIV. Dio, LIV. p. 521.

54. MARCUS ÆMILIUS LEPIDUS, Lucii Æmilii et Juliæ filius, Drusillæ conjux, sororum ejus stuprator, libidinum societate Caio Caligulæ diu acceptissimus, et successioni destinatus. Majestatis reus interemtus est A. U. 792. Caius, quasi superatis hostibus, donativum militibus distribuit, et tres gladios, in necem suam præparatos, Marti Ultori consecravit. Dio, LIX. p. 648. et 657. Suet. in Caio, XXIV. et XXXVI. Tacit. Annal. XIV. 2.

55. ÆMILIA LEPIDA, Lucii Æmilii et Juliæ filia, Augusti proneptis. Claudio admodum adolescenti, et postea imperatori desponsata, deinde Junii Silani uxor. Suet. in Claud. XXVI. Plin. VII. 13.

56. JUNIUS SILANUS, Æmiliæ Lepidæ conjux. Forte ille ipse Marcus Junius Silanus, qui consulatum gessit cum L. Norbano Flacco A. U. 772. Tacit. Annal. II. 59.

57. MARCUS JUNIUS SILANUS, Junii Silani et Æmiliæ Lepidæ filius, 'quem Divus Augustus neptis suæ nepotem vidit genitum quo excessit anno U. C. 767.' Plin. VII. 13. Homo minime malus, quem Caius Caligula *pecudem auream* appellare erat solitus. Illum tamen, Asiæ proconsulem, Nero veneno interemit A. U. 807. Tacit. Annal. XIII. 1.

58. N. uxor M. Junii Silani, mater Lucii Silani Torquati. Nusquam nomen ejus appellatur.

59. LUCIUS SILANUS TORQUATUS, M. Junii Silani filius, abnepos Augusti, ejusque stirpis ultimus: ob claritudinem generis et modestam juventam, nullo crimine, a Nerone interfectus A. U. 818. Tacit. Annal. XVI. 7. 8. et 9.

60. LUCIUS JUNIUS SILANUS, Junii Silani et Æmiliæ Lepidæ filius, Augusti abnepos. Claudius filiam suam Octaviam ei desponsaverat A. U. 794. postea affinitatem diremit; Silanumque præturam ejurare et mori coëgit A. U. 802. Dio, LX. p. 668. Tacit. Annal. XII. 3. et 8.

61. JUNIUS SILANUS TORQUATUS, Junii Silani et Æmiliæ Lepidæ filius, Augusti abnepos, Lucii Silani Torquati patruus, quod supra Juniæ familiæ claritudinem Divum Augustum abavum ferret, illum Nero mori adegit A. U. 817. Uterque Torquatus mense Junio interfectus. Tacit. Annal. XV. 35. XVI. 8. et 12. Dio, LXII. p. 714.

62. JUNIA CALVINA, Junii Silani et Æmiliæ Lepidæ filia, Augusti abneptis: decora et illustris fœmina, sed procax. Artibus Agrippinæ Italia pulsam patriæ reddidit Nero A. U. 812. Ad Vespasiani tempora vitam protraxit. Tacit. Annal. XII. 4. et 8. XIV. 12. Sueton. in Vespasian. XXIII.

63. VITELLIUS, L. Vitellii censoris et Sextiliæ filius, Juniæ Calvinæ conjux, consul A. U. 801. Calvinam inter et Vitellium ante A. U. 802. divortium fuisse patet ex Tacito Annal. XII. 4. Sueton. in Vitellio, III. et XVIII.

64. LEPIDA, Junii Silani et Æmiliæ Lepidæ filia, uxor C. Cassii, Syriæ præsidis, L. Silani Torquati amita. Confictis criminibus,

Neronis judicio permissa fuit A. U. 818. Tacit. Annal. XVI. 8. et 9.

65. CAIUS CASSIUS, Syriæ præses, Lepidæ conjux, peritia legum celebratissimus, in insulam Sardiniam deportatus est A. U. 818. quod, inter majorum imagines, C. Cassii effigiem, DVCI PARTIVM inscriptam, coluisset. Tacit. Annal. XII. 2. et 12. XVI. 8. et 9.

TIBERIUS, tertius Juliæ conjux. De hoc imperii Romani et dissimulationis principe dicetur infra n. 68.

66. LIVIA, dicta quoque LIVIA DRUSILLA, post Augusti mortem vulgo appellata JULIA AUGUSTA, Livii Drusi Claudiani filia; primo uxor Tiberii Claudii Neronis, deinde Augusto nupta A. U. 716. Fœmina genere, forma, domus sanctitate Romanarum eminentissima, sed mater impotens, uxor facilis, cum Augusti artibus et Tiberii simulatione bene composita, dominationis cupida, Germanico et Agrippinæ iniqua. Obiit A. U. 782. nata annos octoginta sex. Vell. Patercul. II. 75. Sueton. in Tiber. III. et IV. Dio, XLVIII. p. 366. et 383. Tacit. Annal. V. 1.

In nummis, LIVIA AVGVSTA. IVLIA AVGVSTA GENETRIX ORBIS. AVGVSTA MATER PATRIAE.

Post mortem DIVA LIVIA DIVI AVG. ΙΟΥΛΙΑ ΘΕΑ CEBACTH. id est, Diva Livia Divi Augusti.' 'Julia Diva Augusta.'

67. TIBERIUS CLAUDIUS NERO, Liviæ conjux, Tiberii imperatoris pater, prætorius et pontifex. Magni vir animi, doctissimique ingenii. Antonii triumviri partes secutus, in Siciliam A. U. 714. secessit cum Livia, quæ per itinerum avia, uno comite, Cæsaris, mox futuri sui conjugis, arma fugiebat, et bimum Tiberium, futurum ejusdem Cæsaris filium et hæredem, sinu gestabat. Reconciliata pace, uxorem suam Liviam petenti Augusto concessit A. U. 716. Triennio post diem obiit A. U. 719. Vell. Patercul. II. 75. Sueton. in Tiber. IV. et VI. Dio, XLVIII. p. 366.

68. TIBERIUS NERO, Tiberii Claudii Neronis et Liviæ filius, natus sexto decimo Kalendas Decembris, A. U. 712.; ab Augusto adoptatus anno 757. Princeps anno 767.; mortuus septimo decimo Kalendas Aprilis, anno 790. Romanos vicerat Julius Cæsar, victos foverat Augustus, servos fecit Tiberius; dominationis adhuc crudos, et Cæsareæ auctoritatis jam pertæsos, vix aliter retenturus.

Servitutis tamen ita temperans, ut cum servos faceret, serviles eorum animos argueret. Vir prorsus singularis, eminentium virtutum æque ac vitiorum osor, bona inter ac mala anceps, ante principatum fortissimus, in principatu astutissimus, continua dissimulatione et imminentibus semper periculis factus hominum tristissimus. Ferale ejus dictum percrebuit: Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί: '*Me mortuo terra misceatur igni.*' Beatumque appellabat Priamum, qui simul cum patria et regno perierit. Vell. Patercul. II. 75. Tacit. Annal. I. 3. et VI. 51. Plin. XXVIII. 2. Suidas, ΤΙΒΕΡΙΟΣ.

In nummis, TI. CAESAR AVGVSTVS DIVI AVG. F. IMP. COS. AVGVR. PONT. MAX. TR. POT., id est, 'Tiberius Cæsar Augustus Divi Augusti filius, imperator, consul, augur, pontifex maximus, tribunicia potestate.'

69. VIPSANIA AGRIPPINA, M. Vipsanii Agrippæ et Pomponiæ filia, neptis Cæcilii Attici, ad quem sunt scriptæ Ciceronis epistolæ; prima Tiberii imperatoris uxor, quam invitus gravidam dimisit A. U. 742. ut Juliæ, Augusti filiæ, nuberet. Tacit. Annal. I. 12. Sueton. in Tiber. VII. Dio, LIV. p. 543. Post discidium Vipsania Agrippina nupsit Asinio Gallo, patri consulari. Una omnium Agrippæ liberorum miti obitu excessit A. U. 773. Tacit. Annal. III. 19.

70. DRUSUS CÆSAR, Tiberii imperatoris et Agrippinæ filius, natus A. U. 739. Juvenis impatiens æmuli, animo commotior, et ad vinum ita pronus, ut non alio magis patrem suum Tiberium regenerasse diceretur. Illum jam ter consulem, et fortunæ capacem, veneno extinxit Sejanus A. U. 776. Dio, LIV. p. 543. Tacit. Annal. I. 55. III. 56. IV. 3. et 8. Plin. XIV. 22.

In nummis, DRVSVS CAES. TI. AVG. F. DIVI AVG. N. PONT. COS. TR. P., id est, 'Drusus Cæsar Tiberii Augusti filius, Divi Augusti nepos, pontifex, consul, tribunicia potestate.'

71. LIVIA, dicta quoque LIVILLA, Neronis Claudii Drusi et Antoniæ minoris filia, Germanici et Claudii soror, primo Caio Cæsari, deinde Druso Cæsari nupta. Ambitione demens fœmina. A Sejano, municipali adultero, fœdatam, et in conjugii spem ac regni consortium erectam non puduit Drusi, mariti sui, necem machinari. Cognito scelere, non modo in ipsam, sed in effigies quoque ac memoriam ejus atrociter sævitum est. Sueton. in Claud.

I. in Tiber. LXII. Tacit. Annal. IV. 3. et 40. VI. 2. Dio, LVIII. p. 628.

72. TIBERIUS, Drusi Cæsaris et Liviæ filius, Tiberii nepos, natus cum fratre gemello A. U. 772. Quod tanto gaudio avum Principem affecit, ut nulli ante Romanorum ejusdem fastigii viro geminam stirpem editam jactitaret. Caius Caligula illum imperio, deinde vita privavit A. U. 790. Tacit. Annal. II. 84. Dio, LIX. p. 640. et 645.

73. N. filius Drusi Cæsaris et Liviæ, frater gemellus Tiberii: mortuus est quadrimus A. U. 776. Tacit. Annal. II. 84. IV. 15. Ab erudito Harduino, Select. Oper. p. 693. appellatur DRUSUS. Postea in suo exemplari, quod hic asservatur, emendavit, GERMANICUS. Utrumque nomen divinavit.

74. JULIA, Drusi Cæsaris et Liviæ filia; primo Neronis Cæsaris, deinde Rubellii Blandi uxor, dolo Messallinæ interfecta A. U. 796. Tacit. Annal. III. 29. VI. 27. XIX. 19. et 32. Dio, LX. p. 677. Illam Sejano desponsam fuisse ait Zonaras, p. 550.

NERO CÆSAR, Germanici et Agrippinæ filius, Juliæ conjux. De illo infra n. 82.

75. RUBELLIUS BLANDUS, avo, Tiburte, et equite Romano, genitus, alter Juliæ conjux, quam uxorem duxerat A. U. 786. Tacit. Annal. VI. 27. Dio, LVIII. p. 634.

76. RUBELLIUS PLAUTUS, Rubellii Blandi et Juliæ filius, Tiberii pronepos, ob vota populi, qui illum imperio destinabat, a Nerone interfectus A. U. 815. Tacit. Annal. XIII. 19. XIV. 22. et 58.

77. ANTISTIA POLLUTIA, Lucii Antistii Veteris filia, Sextiæ neptis, uxor Rubellii Plauti. A Nerone cum patre ac matre interfecta A. U. 818. quod, dum viveret, Rubellium, conjugem suum, interfectum esse exprobrare videretur. Tacit. Annal. XIV. 58. XVI. 10. et 11.

JULIA, Augusti et Scriboniæ filia, Tiberio imperatori nupta A. U. 742. Dio, LIV. p. 543. De illa dictum supra n. 46.

78. N. Tiberii imperatoris et Juliæ filius, natus Aquileiæ. Extinctus est adhuc infans circa A. U. 748. Sueton. in Tiber. VII. Dio, LV. p. 554.

79. NERO CLAUDIUS DRUSUS, Tiberii Claudii Neronis et Liviæ filius, Tiberii imperatoris frater, natus A. U. 716. 'Adolescens,' teste Velleio Paterculo, II. 97. 'tot tantarumque virtutum,

quot et quantas natura mortalis recipit, vel industria percipit.' Prætor, ædilis, consul, Germaniæ domitor, et GERMANICI cognomen posteris adeptus, obiit A. U. 745. Merito appellatus eximia Claudiæ familiæ gloria, et rarum patriæ ornamentum. Defunctum ita pro concione laudavit Augustus, 'ut Deos precatus sit, similes ei Cæsares suos facerent: sibique tam honestum quandoque exitum darent, quam illi dedissent.' Sueton. in Claud. I. in Tiber. IV. Dio, LV. p. 548. Valer. Maxim. IV. 3. n. 3.

In nummis, NERO CLAVDIVS DRVSVS GERMANICVS IMP., id est, imperator.

ANTONIA minor, Octaviæ sororis Augusti et M. Antonii triumviri filia, Neronis Claudii Drusi conjux. De hac spectatissima fœmina dictum supra n. 42.

80. NN. Neronis Claudii Drusi et Antoniæ minoris filii. Ante A. U. 745. mortui. Sueton. in Claud. I.

81. GERMANICUS CÆSAR, Nerone Claudio Druso et Antonia minore genitus, optimorum parentum filius optimus, et populo Romano carissimus. Tiberius, jubente Augusto, illum adoptavit A. U. 757.: factus Princeps, invidit; Livia Pisonis et Plancinæ veneno interemit A. U. 772. haud multum triginta annos egressum; juvenem civilis ingenii, voluptatis modicum, visu et auditu venerabilem, comem in socios, mansuetum in hostes, virtutibus Alexandro Magno comparandum, nulla vitiorum societate superiorem. Ereptum et cum eo perditam omnem libertatis spem doluit Roma. Indoluere gentes exteræ; et æternum optimi Cæsaris manet desiderium. Tacit. Annal. I. 3. II. 72. et 73. Dio, LV. p. 557.

In nummis, dum vivebat, GERMANICVS CAESAR TI. AVG. F. DIVI AVG. N. COS. DES., id est, 'Germanicus Cæsar Tiberii Augusti filius, divi Augusti nepos, consul designatus.'

Post mortem, imperitante filio Caio Caligula, GERMANICVS CAES. P. CAES. AVG. GERM., id est, 'Germanicus Cæsar, pater Cæsaris Augusti Germanici.' In nummis Mitylenæorum, ΘΕΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ, 'Divus Germanicus.'

AGRIPPINA, Vipsanii Agrippæ et Juliæ filia, uxor Germanici. Fœmina nobilitate et virtute princeps, de qua dictum supra n. 51.

82. NERO CÆSAR, Germanici et Agrippinæ filius, matri suæ percarus. Artibus Sejani, Drusique fratris sui scelere, periit A. U.

784. Tacit. Annal. IV. 59. et 60. V. 3. et 4. Sueton. in Tiber. LIV. Dio, LVIII. p. 626.

In nummis cum fratre suo Druso conjunctus, NERO ET DRVSVS CAESARES.

JULIA, Drusi Cæsaris et Liviæ filia, Neroni Cæsari nupta A. U. 773. Tacit. Annal. III. 29. De illa jam egimus supra n. 74.

83. DRUSUS CÆSAR, Germanici et Agrippinæ filius, Neronis Cæsaris frater; juvenis præferox, et fratris sui necis particeps. Custodia clausum A. U. 783. Tiberius illum fame enecuit A. U. 786. Tacit. Annal. IV. 60. VI. 23. et 24. Dio, LVIII. p. 623.

In nummis cum fratre suo Nerone conjunctus, NERO CAESAR DRVSVS CAESAR IIVIRI., id est, Duumviri.

84. ÆMILIA LEPIDA, M. Lepidi filia, uxor Drusi Cæsaris, quem crebris criminibus insecuta est. Impunita, dum superfuit pater; post a delatoribus correpta, se ipsa interemit A. U. 789. Tacit. Annal. IV. 20. VI. 27. et 40.

85. CAIUS CÆSAR, Germanici et Agrippinæ filius, amabili pueritia et insigni festivitate, Augusto, vel post mortem, carissimus. Jam puerascens obiit. Sueton. in Caio, VII. et VIII.

86. CAIUS CÆSAR, dictus CALIGULA, IMPERATOR IV. Germanici et Agrippinæ filius, natus Antii pridie Kalendas Septembres, Germanico et Capitone Coss. A. U. 765. Gnarus simulationis, dum vixit Tiberius. Animos prodidit et efferavit Principatus. Nihil jam nisi portentosum cogitavit ac gessit: et cum Deus haberi vellet, fax generis humani evasit. Adeo sanguinis avidus, ut solitus esset dicere: 'Utinam populus Romanus unam cervicem haberet,' quam præcideret! Immensas opes, totumque illud Tiberii vicies ac septies millies sestertium, Angl. 22,500,000*l.* non toto vertente anno, absumsit. Nec mirum in eo, qui uno die centies sestertio, Angl. 83,333*l.* 6*s.* 8*d.* cœnaret, et super alia muliebria socculos e margaritis indueret. Interemtus est nono Kalendas Februarii, A. U. 794. Princeps, 'quem videtur rerum natura edidisse, ut ostenderet quid summa vitia in summa fortuna possent.' Senec. consol. ad Helviam, IX. Sueton. in Caio, VIII. XXXVII. et LVIII. Plin. VII. 8. XXXVII. 2. Tacit. Annal. VI. 20.

In nummis, C. CAESAR AVG. GERMANICVS TI. AVG. F. DIVI. AVG. N., in aliis, DIVI AVG. PRON. ΓΑΙΟC ΚΑΙCΑΡ ΘΕΟC ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ, id est, 'Caius Cæsar Augustus Germanicus, Tiberii

Augusti filius, Divi Augusti nepos, Divi Augusti pronepos. Caius Cæsar, Deus, imperator.' Ut filius adoptivus Tiberii, erat Augusti nepos; ut filius, Germanici erat Augusti pronepos.

87. CLAUDIA, appellata a Suetonio JUNIA CLAUDILLA, M. Silani filia, nupta Caio Caligulæ A. U. 786. ex partu mortua. Tacit. Annal. VI. 20. Sueton. in Caio, XII.

88. LIVIA ORESTILLA, a Dione dicta CORNELIA ORESTINA, uxor Caii Caligulæ, qui illam, C. Calpurnio Pisoni nubentem, rapuit, et intra paucos dies repudiavit. Sueton. in Caio, XXV. Dio, LIX. p. 646.

89. LOLLIA PAULINA, avum habuit M. Lollium, Caii Cæsaris, Agrippa geniti, juventæ moderatorem, et regum muneribus in toto Oriente infamatum: uxor Caii Caligulæ, qui illam C. Memmio Regulo rapuit, et deinde repudiavit. Plinius testatur se eam vidisse, 'ne serio quidem, aut solenni cærimoniarum aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cœna smaragdis margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite crinibus, spira, auribus, collo, monilibus digitisque: quæ summa quadringenties HS. (Angl. 333,333*l.* 6*s.* 8*d.*) colligebat. Nec dona prodigi Principis fuerant, sed avitæ opes, provinciarum scilicet spoliis partæ.' Plin. IX. 35. Sect. 57. Sueton. in Caio, XXV. Dio, LIX. p. 648.

90. MILONIA CÆSONIA, Vestiliæ filia, quam, ita gravidam, uxorem duxit Caligula A. U. 792. ut trigesimo post die partum ediderit. Conjugi pessimo uxor simillima et gratissima. Cum illo interfecta fuit A. U. 794. Sueton. in Caio, XXV. et LIX. Dio, LIX. p. 658. et 663. Plin. VII. 5.

91. JULIA DRUSILLA, Caii Caligulæ et Miloniæ filia, quam amens pater per omnia Dearum templa circumtulit, et Minervæ alendam instituendamque commendavit. In ipsa sua infantia, parentum sævitiæ proles haud degener. Cum iis periit, parieti illisa A. U. 794. Sueton. in Caio, XXV. et LIX. Dio, LIX. p. 663.

92. NN. Germanici et Agrippinæ duo filii, infantes mortui. Sueton. in Caio, VII. et VIII.

93. AGRIPPINA, Germanici et Agrippinæ filia, nata A. U. 769., ter nupta, primo Cn. Domitio A. U. 781. secundo Passieno Crispo; tertio Claudio imperatori A. U. 801. Fœmina literarum studiis nobilis, libidinibus infamis, dominationis cupiditate atrox. Infelix uteri, Neronem, generis humani hostem, genuit A. U. 790.

Ab illo occisa A. U. 812. indigua quidem, sed merita, persolvit supplicia. Tacit. Annal. II. 54. IV. 53. V. 75. XII. 74. XIV. 8. Sueton. in Caio, VII. Dio, LX. p. 686.

In nummis, AGRIPPINA. AGRIPPINA AVGVSTA.

CNEIUS DOMITIUS AHENOBARBUS, Antoniæ majoris et Lucii Domitii filius, conjux Agrippinæ. De hoc homine detestabili dictum est supra n. 34.

94. PASSIENUS CRISPUS, orator, bis consul, primo Domitiæ, deinde Agrippinæ conjux. Scitum ejus dictum percrebuit, Caio Cæsare, Caligula, 'neque meliorem unquam servum, neque deteriorem dominum fuisse.' In omnibus rebus, ac maxime in distinguendis et curandis vitiis subtilissimus, sæpe dicebat 'adulationi nos opponere, non claudere ostium.' Plin. XVI. 44. sect. 91. Tacit. Annal. VI. 20. Senec. Quæst. natural. IV. Præf.

CLAUDIUS IMPERATOR, tertius Agrippinæ conjux. De hoc socordi Principe dicetur infra n. 100.

95. DRUSILLA, Germanici et Agrippinæ filia, nata A. U. 770. Primum Lucio Cassio Longino consulari nupta A. U. 786. deinde M. Lepido. Mortuam A. U. 791. Caius Caligula frater et adulter in Dearum numerum retulit, et *Panthean* appellavit: Senatoremque Livium Geminium, qui, se eam in cœlum ascendentem vidisse, juraverat, decies sestertio, Angl. 8333*l.* 6*s.* 8*d.* muneravit. Tacit. Annal. VI. 15. Sueton. in Caio, VII. et XXIV. Dio, LIX. p. 648. et 657.

In nummis, DRVSILLA. ΔΡΟΥCΙΛΛΑ CEBACTH., id est, 'Drusilla Augusta.'

96. LUCIUS CASSIUS LONGINUS, Drusillæ conjux A. U. 776. consulatum gessit A. U. 783., et Drusum Cæsarem, Drusillæ fratrem, accusavit. Sueton. in Caio, XXIV. Tacit. Annal. VI. 15. Dio, LVIII. p. 623.

MARCUS ÆMILIUS LEPIDUS, Lucii Æmilii et Juliæ filius, Drusillæ conjux. De hoc ambitioso ac scelerato juvene dictum est supra n. 54.

97. JULIA, Suetonio LIVILLA, Germanici et Agrippinæ filia, nata A. U. 771., ob libidines a Caio in insulas Pontias relegata A. U. 792. Illam postea odio, invidia, crimine incerto, nec ulla defensione data, primo in exilium egit, deinde occidit Messallina A. U. 796. Tacit. Annal. II. 54. Sueton. in Caio, VII. et XXIV. in Claud. XXIX. Dio, LIX. p. 657. LX. p. 670. et 677.

In nummis, IVLIA.

98. QUINTILIUS VARUS, Claudiæ Pulchræ, quæ erat Agrippinæ sobrina, filius, Juliæ conjux. Illum A. U. 788. corripuere delatores Domitius Afer et Dolabella. Senec. I. Controvers. 3. Tacit. Annal. IV. 52. et 66.

99. MARCUS VINICIUS, Juliæ nupsit A. U. 786. Bis consul, veneno Messallinæ interemtus est A. U. 799. Vinicio compendiariam et elegantissimam historiam, sed adulatoriis Tiberii ac Sejani laudibus falsam ac putidam dicavit Velleius Paterculus. Tacit. Annal. VI. 15. Dio, LX. p. 683.

LIVIA, dicta quoque LIVILLA, Neronis Claudii Drusi et Antoniæ minoris filia, uxor Caii et Drusi Cæsarum. De hac ambitiosa fœmina dictum est supra n. 71.

CAIUS CÆSAR Agrippæ et Juliæ filius, conjux Liviæ. Supra n. 48.

DRUSUS CÆSAR, Tiberii imperatoris et Agrippinæ filius, Liviæ conjux. De hoc infelice Cæsare egimus supra n. 70.

100. TIBERIUS CLAUDIUS DRUSUS GERMANICUS, IMPERATOR V. Neronis Claudii Drusi et Antoniæ minoris filius, Germanici frater, Lugduni natus Kalendis Augusti, A. U. 744. Puer animo et corpore hebetato. Princeps A. U. 794. imperiis conjugum et libertorum patuit obnoxius. Veneno Agrippinæ occubuit inglorius tertium ante Idus Octobris A. U. 807. Post mortem relatus est inter Divos, et a Seneca acrius, quam philosophum decet, irrisus. In hac sua socordia, literarum et artium cultor, multa Latine et Græce haud ineleganter scripsit, varia opera publica magnifice perfecit. Sueton. in Claud. II. X. XLI. et XLII. Tacit. Annal. XII. 69. Senec. in Apocolocynt. Plin. XXXVI. 15. Sect. 24. n. 10. et 11.

In nummis, TI. CLAVD. CAES. AVG. GERM. IMP. COS. P. M. TR. P. CENSOR. id est, 'Tiberius Claudius Cæsar Augustus Germanicus, imperator, consul, pontifex maximus, tribunicia potestate, censor.'

Post mortem, DIVVS CLAVDIVS AVGVSTVS.

101. PLUTIA URGULANILLA, Auli Plautii, triumphalis viri, filia, Claudii imperatoris uxor. Ob libidinum probra et homicidii suspicionem repudiata. Sueton. in Claud. XXVI. Dio, LX. p. 685.

102. DRUSUS, Claudii imperatoris et Plautiæ Urgulanillæ filius, cui socer destinatus fuit Sejanus A. U. 773. At impubes Pompeiis obiit, pyro per lusum in sublime jacto, et hiatu oris excepto, strangulatus. Sueton. in Claud. XXVII. Tacit. Annal. III. 29.

103. CLAUDIA, Plautiæ Urgulanillæ filia. Illam, ut liberto suo Botere conceptam, quamvis ante quintum mensem divortii natam, et ali cœptam, exponi tamen ad matris januam, et nudam abjici, Claudius jussit. Sueton. in Claud. XXVII.

104. ÆLIA PETINA, Q. Ælii Tuberonis, A. U. 743. consulis, filia, Claudii imperatoris uxor, ex levibus offensis repudiata. Sueton. in Claud. XXVI. Tacit. Annal. XII. 1. et 2.

105. ANTONIA, Claudii imperatoris et Æliæ Petinæ filia, primo Cn. Pompeii, deinde Cornelii Syllæ uxor. Illam, interfecta Poppæa, nuptias suas recusantem, quasi novarum rerum molitricem Nero interemit. Sueton. in Claud. XXVII. In Nerone, XXXV. Tacit. Annal. XII. 68.

106. CNEIUS POMPEIUS MAGNUS, nobilissimus juvenis, Antoniæ conjux A. U. 794. ab imperatore Claudio occisus. Dio, LX. p. 668. Sueton. in Claud. XXVII. et XXIX. Zonaras, p. 563. Vide quoque Stemma Pisonis in Notis et Emendationibus ad Hist. I. 14.

107. FAUSTUS CORNELIUS SYLLA, nobilissimus juvenis, alter Antoniæ conjux. A Nerone in Galliam Narbonensem amotus; et Roma pervectis Massiliam percussoribus, interfectus A. U. 815. Sueton. in Claud. XXVII. Tacit. Annal. XIII. 23. XIV. 57.

VALERIA MESSALLINA, Messalæ Barbati et Domitiæ Lepidæ filia, Claudii imperatoris uxor. De hoc libidinis portento diximus supra n. 26.

108. BRITANNICUS, Claudii imperatoris et Messallinæ filius, supremus Claudiorum sanguis. Natus est pridie Idus Februarias, A. U. 794. Natalium jure, ipsa patris destinatione hæres imperii, et illius capax. At novercæ Agrippinæ artibus postpositus Neroni, qui illum veneno interemit A. U. 808. propinquo die, quo quartumdecimum ætatis annum explebat. Sueton. in Claud. XXVII. Tacit. Annal. XII. 25. XIII. 15. et 16.

In nummis, BRITANNICVS CAESAR. AVG. F. PRIN. IVVENT.

ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. id est, ‘ Britannicus Cæsar, Augusti filius, princeps juventutis.’ ‘ Claudius Britannicus Cæsar.’

OCTAVIA, Claudii imperatoris et Messallinæ filia, Britannici soror. De hac spectatissima fœmina dictum supra n. 36.

AGRIPPINA, Germanici et Agrippinæ filia, Neronis mater, Claudii uxor, de qua dictum supra n. 93. Nostra stemmatis Cæsarum explicatio in hac exitiabili domus Cæsarum peste merito desinit.

ANECDOTA

DE TIBERIO.

Talem sui memoriam reliquit Tiberius, ut omnes ejus tum corporis, tum animi dotes pernoscere, neque inutile, neque lectoribus ingratum duxerim. Quæ Cornelii Taciti et Suetonii scriptis innotuere, haud repetam. Verum anecdota, et aliis auctoribus per transennam dicta, seligam.

Ac primo quidem 'ferunt Tiberio Cæsari, nec alii genitorum mortalium fuisse naturam, ut expergefactus noctu paulisper haud alio modo, quam luce clara contueretur omnia, paulatim tenebris se obducentibus.' Plin. XI. 37. Sect. 54. Id postea plurimorum exemplis firmatum est. Vide notas Reimari ad Dionem, LVII. p. 603.

Inter cibos 'Cucumis mira voluptate (illi fuit) expetitus,' Plin. XIX. 5. Cumque in explenda Principum gula summa semper fuerit industria, vasis ac specularibus cautum, ut 'fere toto anno Cucumis (illi) pararetur,' Columell. de Re Rustic. XI. 3.

'Laser' quoque 'nobilitavit,' illud 'flagitans omnibus annis e Germania,' Plin. XIX. 5. Sect. 28. Ceterum, ut mos est iis, qui vilioribus delectantur, sumtuosiores cibos respuebat. Missum sibi 'mullum ingentis formæ (quatuor pondo et ad selibram fuisse aiunt) in macellum deferri et venire jussit: Amici, inquit, omnia me fallunt, nisi istum mullum aut Apicius emerit, aut P. Octavius. Ultra spem illi conjectura processit: licitati sunt: vicit Octavius, et ingentem consecutus est inter suos gloriam, cum quinque millibus HS. (Angl. 416*l.* 13*s.* 4*d.*) emisset piscem, quem Cæsar vendiderat, ne Apicius quidem emerat. Numerare tantum Octavio fuit turpe. Num ille qui emerat, ut Tiberio mitteret, (quanquam illum

quoque reprehenderim) admiratus est rem, qua putavit Cæsarem dignum.' Senec. Epist. xcv.

Quod vero singulare, pervicax ille animus superstitione laboravit. Cumque tonitrua præter modum expavesceret, 'tonante cœlo, coronari (lauro erat) solitus contra fulminum metus,' Plin. xv. 30. '*In* capillo etiam tondendo, servavit interlunia,' Plin. xvi. 39. Et nescio qua sternutamentorum religione tractus, ut sternutans consalutaretur, vel in vehiculo exigebat, Plin. xxviii. 2. Quam fuerit astrologiæ deditus, omnibus compertum.

Superstitione incertum an religione ductus, forte grati animi causa, quod a Sejani facinore Judæi abhorruissent, sacra Judaica tanti fecit, ut nullus ferme esset ex ejus domo, cujus donaria non extarent in templo Hierosolymitano; in quo ipse mandavit quotidianas in perpetuum mactari victimas suis sumtibus, Deo votas altissimo. Quæ quidem sacra, Imperatoriæ venerationis monumentum, *Caio* Principe, adhuc peragebantur. *Οὕτως ὡσίωτο περὶ τὰ ἡμέτερα, ὥστε μονονοὺ πανοίκιος ἀναθημάτων πολυτελείαις τὸ ἱερὸν ἡμῶν ἐκόσμησε, προστάξας καὶ δι' αἰῶνος ἀνάγεσθαι θυσίας ἐντελεχεῖς ὁλοκαύτους καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων, ἀπαρχὴν τῷ ὑψίστῳ θεῷ· αἳ καὶ μέχρι νῦν ἐπιτελοῦνται, καὶ εἰς ἅπαν ἐπιτελεσθήσονται, μήνυμα τρόπων ὄντως αὐτοκρατορικῶν.* Philo, Legat. ad Caium, p. 1014. et 1015.

In cogitando acerrimus, in consultando rarus extitit. Unde Augustus, Tiberium innuens, dixit Romanis se imperii hæredem relicturum, qui nunquam bis una de re consultaverit. *Ῥωμαίοις δὲ τῆς ἀρχῆς ἔλεγεν ἀπολείψειν διάδοχον, ὃς οὐδέποτε περὶ τοῦ αὐτοῦ πράγματος δὶς ἐβουλεύσατο· Τιβέριον λέγων.* Plutarch. Apophthegm. Laconic. vol. ii. p. 207.

Ut cresceret reverentia, amicitias exuit. 'Inter initia (principatus) dicenti cuidam, Meministi: antequam plures notas familiaritatis veteris proferret, Non memini, inquit, quid fuerim. Aversabatur omnium amicorum et æqualium notitiam, et illam solam præsentem fortunam suam aspici, illam solam cogitari ac narrari volebat: inquisitorem habebat, veterem amicum.' Senec. de Benefic. v. 25.

Ne qua re tanta majestas violaretur, quam sibi, eandem suis imaginibus venerationem esse voluit. Testisque Philostratus, vel in ipsis remotissimis provinciis majorem fuisse Tiberii statuarum, quam Jovis Olympii metum ac religionem. *Οἱ καὶ τοῦ Διὸς τοῦ ἐν*

'Ολυμπίᾳ φοβερώτεροι τότε καὶ ἀσυλότεροι ἦσαν· Τιβερίου γε ὄντες (ἀνδριάντες). Philostrat. Vit. Apollon. I. 15.

Quanto magis servituti imminens, tanto crebrior libertatis laudator, conviciorumque patientior, dicebat ' in civitate libera, linguas liberas esse, et mentes hominum' oportere. Joan. Saresberiensis in Policratic. III. 14.

Legum duritiem, ut virtuti et utilitati publicæ consuleret, mollivit. Cumque more esset receptum, ut civica corona donaretur, ' qui civem servaverat, eodem tempore etiam hostem occiderat, neque locum in ea pugna reliquerat, consultus est Tiberius an civicam coronam capere posset, qui civem in prælio servasset, et hostes ibidem duos occidisset, sed locum, in quo pugnabat, non retinuisset eoque loco hostes potiti essent; rescripsit eum quoque civica dignum videri, quod appareret tam iniquo loco civem ab eo servatum, ut etiam a fortiter pugnantibus retineri non quiverit.' Gellius, V. 6.

Liberalitatem, qua inter bonas malasque Principum dotes nullam ambiguam magis puto, eo temperamento flexit, ut cum exhaustas aliquot fortunas reparasset, idemque subsidium a nepote M. Allio prætorio efflagitaretur, ' edere illum sibi nomina creditorum jussit. Cum edita essent, scripsit, nepoti jussisse se pecuniam solvi.' Alios deinde plurimos privata hac contumelia haud deterritos (audax enim et inverecunda paupertas) ' jussit reddere in senatu æris alieni causas.' Sicque effrænam nepotum proterviam pudore paululum repressit. Quis enim eam penitus coërcuerit? Hac de re aliter sentit, rationesque beneficiorum, Principibus haud semper parabiles, laudat Seneca de Benefic. II. 7. et 8. ingeniosior, quam prudentior philosophus.

Non siluerim percrebuisse, ' Tiberio Principe excogitatum vitri temperamentum, ut flexibile esset: et totam officinam artificis ejus abolitam, ne æris, argenti, auri metallis pretia detraherentur. Verum ut recte observat Plinius, XXXVI. 26. ' ea fama crebrior diu, quam certior fuit.' Architectum, hujusce artis repertorem, vas vitreum contusum, manibusque contritum, coram Principe, refecisse; ideoque capite damnatum narrat Dio, LVII. p. 617. Fusius etiam Petronius in Satyric. LI. Neuter tamen fidem fecit.

Certior et luctuosior, novus morbus, *Colum* dictus. ' Tiberii Cæsaris principatu irrepsit id malum. Nec quisquam id prior Imperatore ipso sensit, magna civitatis ambage, cum edicto ejus

excusantis valetudinem, legeretur nomen incognitum.' Plin. XXVI. 1.

Nunc vero qui hæc, ceteraque sex prioribus annalium libris contenta, revolverit, animadvertet duos extitisse Principes, ingenio persimiles, arte dominandi celebratissimos, Tiberium et Ludovicum XI. Galliæ regem. Quorum, ut virtutes, sic vitia reputanti mihi sæpe in mentem venit utrum expers criminis esse valeret summa ars politica. Cumque mens exemplorum multitudine, rerum et sententiarum varietate fatisceret, tandem visum est artium omnium præstantissimam esse artem politicam: in privatis hominibus, quanta sit, mancam semper esse ac mutilam: summam reperiri non posse nisi in Principibus. Dominationem, exiguis finibus constrictam, summæ arti politicæ vix esse parem; vulgo per dolos, quandoque per crimina grassari: inde repetendum Machiavelli vitium, qui cum non videret, unde virtutes educaret, ad scelera deflexit: contra vero Tacitum, regnorum imperiorumque majestati assuetum, crimina odisse, et vel in recensendis Principum vitiis virtuti semper patrocinari. Nulla esse politicorum Principum vitia, quæ virtutibus pensari non valeant: secretum dissimulatione, dexteritatem fraude, vim violentia, virtutem scelere præstare. Itaque artis politicæ summam assequi posse Principem valido corpore, mente acerrima, haud exigua dominatione dotatum, libidinum modicum, laboris patientem, futuri magis quam præsentis curiosum, iisque sæculis constitutum, in quibus summæ virtuti locus. Nihil enim perfecti ab ætatibus barbaris expectaveris. Quinam vero ad artis politicæ fastigium, quo nihil Principibus gloriosum magis, nihil populis magis optandum, pervenerint, propiusve accesserint, lectorum judicio permiserim. Me hac de re pronuntiare foret invidiosum.

ANECDOTA

DE CAIO, CLAUDIO ET NERONE PRINCIPIBUS.

CUM multa ab optimis scriptoribus omittantur, quæ tamen scire interest, ut Principum ingenia, et temporum usus moresque innotescant, Anecdota de Caio, Claudio, et Nerone Principibus subjiciam, ne curiosus lector meam hac in re diligentiam desideret.

DE CAIO.

CAIO Caligulæ non illiteratum fuit ingenium. De rhetorica Latine scripsit. Suidas verbo *Γάϊος.*

At luxu, quam literis, celebratior: immo luxus, qui Romanum imperium perdidit, auctor et princeps, 'centies sestertio, (Angl. 83,333*l.* 6*s.* 8*d.*) cœnavit uno die: et in hoc omnium adjutus ingenio, vix tamen invenit, quomodo trium provinciarum tributum una cœna fieret.' Senec. Consol. ad Helviam, IX.

Pomponius Secundus, vates, luxuriæ æmulus, cœnam fecit Principi, in qua singulæ unciæ vini constitere 960. nummis, Angl. 8*l.* Plin. XIV. 4.

Instituit Caius 'solia,' id est, balinea, 'unguento temperari;' ut balineis simul et odoribus recrearetur: nec 'Principale' diu fuit 'hoc bonum,' quod quidam 'ex servis Neronis' postea æmulatus est. Plin. XIII. 3. Sueton. in Caio, XXXVII.

Ad muliebria delapsus, 'socculos' induit 'e margaritis.' Plin. XXXVII. 2.

Inter hæc pudendæ mollitiei, rem magnificentia Imperii dignam ausus est. Tum enim 'abies admirationis præcipuæ visa est in navi, quæ ex Ægypto, Caii Principis jussu, obeliscum in Vaticano circo statutum quatuorque truncos lapides ejusdem ad sustinendum eum adduxit: qua nave nihil admirabilius visum in mari certum

est. CXX M. (id est, centum viginti millia,) modium lentis pro saburra, (Angl. *ballast*,) ei fuere. Longitudo spatium obtinuit magna ex parte Ostiensis portus latere lævo. Ibi namque demersa est a Claudio Principe, cum tribus molibus, turrium altitudine, in ea exædificatis obiter Puteolano pulvere, advectisque. Arboris ejus crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat,' Plin. XVI. 40. Hæc est Caii navis, qua nulla, teste Plinio, admirabilior in mari visa: major proinde undeciremi, Demetrii ad quam succisa est in Cypro cedrus ' centum triginta pedum, crassitudinis vero ad trium hominum complexum,' Plin. ibid.

Quod vero admirationem vincit, stat adhuc Romæ obeliscus ille ante ædem D. Petri, pondere librarum 963,537 et $\frac{2}{1}\frac{5}{2}$ antea stabat in Caii et Neronis circo, cujus triplici muro pars ecclesiæ D. Petri innititur. Inde anno 1586. eum transferri curavit Sixtus Quintus, pontifex maximus, ad Urbis splendorem et ornamentum pari cum Cæsaribus animo. In id opus, cum modicum adhuc esset argenti pretium, impendit 37,975. nummos Romanos, *scudi*, non numeratis amplissimis præmiis, quæ Dominico Fontanæ, architecto ducique operis, dono dedit. Hæcque impensa fuit tantum, ut obeliscus dejiceretur, e circo Vaticano ad aream ecclesiæ D. Petri duceretur, et extolleretur: totaque moles tot materiis, ferreis vinculis, funibus, ne læderetur, compacta est, ut, cum attolleretur, æstimata sit pondo 1,043,537. Quantæ ergo, Caio Principe, factæ sunt impensæ ut obeliscus ille ex Ægypto efferretur, Nilo navibus subveheretur, in admirabili Caii nave collocaretur, per mare deferretur, inde novis navibus Tiberi impositus Romam duceretur, rursus extraheretur; et, vel ad ripam circo Vaticano propiorem eductus, ad duplo longius spatium, quam quo Sixtus V. duxerat, traheretur, ac demum quatuor truncis lapidibus, pariter ex Ægypto advectis superimponeretur! Et cum hæc in uno obelisco miramur, quid si cogitemus fuisse Romæ sex magnos obeliscos, et parvos quadraginta duos, teste Victore, de Regionibus Urbis? Præter Dominicum Fontanam, qui egregium opus scripsit, *della Trasportatione dell' Obelisco Vaticano*, vide Bonanni, Numismata Summorum Pontificum templi Vaticani fabricam indicantia, cap. 33. et *Castelli, e Ponti di Maestro Niccola Zabaglia con la descrizione del trasporto dell' Obelisco Vaticano del Cavaliere Domenico Fontana*. In Roma. Pagliarini. 1743. Tab. 38. et 40. et seq.

Ut magis adhuc perspiciatur quanta fuerit Caii navis, observa-

verim minorem fuisse, magnam tamen, navem, qua Augustus obeliscum ante advexerat. De hac nave ita Ms. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, n. 648. in quo *Imperia Cæsarum* summatim continentur. 'Hoc Imperatore, (Augusto,) navis Alexandrina primum in portum Romanum introivit, nomine Acatus, (forte Achates,) quæ attulit frumenti modios CCCC. vectores MCC. piper, linteamen, carta, vitria et opoliscum, (corrige *cartam*, nempe factam, ex papyro,) vitrea, et obeliscum, cum sua sibi base, qui est in circo maximo, altum pedes LXXXVII S.' Id est, cum semipede.

Caius, cum Augustum superasset, æmulatus est Syriæ et Ægypti reges, qui inopia abietis cedro ad classes ferebantur usi: 'fabricavit de cedris liburnicas, gemmatis puppibus, versicoloribus velis.' Sueton. in Caio, XXXVII.

Cleopatram quoque vicit, commentus 'portentosissima genera ciborum atque cœnarum, ut pretiosissimas margaritas aceto liquefactas sorberet: convivis ex auro panes et opsonia apponeret: aut frugi hominem esse oportere dictitans, aut Cæsarem.' Sueton. ibid.

Res Caii narratas reperies supra in Suppl. Annal. Lib. VII. et VIII.

DE CLAUDIO.

CLAUDIUS haberetur virtutes inter et vitia ambiguus, ni Principatus eum hebetem prodidisset.

'Smaragdos induebat et Sardonychas,' Plin. XXXVII. 6. sect. 23. Quod non supra Imperatoris Romani fortunam. At Principis luxu pares superioresque liberti. Testatur Plinius, XXXVI. 7. sect. 12. se vidisse amplas triginta columnas ex onyche in cœnatione, quam 'Callistus, Cæsaris Claudii libertorum potentia notus, sibi exædificaverat.'

Cum gemmæ promiscue haberentur, excogitata nova luxus inventa. *Multi nullas* admisere *gemmas, auroque ipso* signavere: 'id Claudii Principatu repertum,' Plin. XXXIII. 1. sect. 6.

Immo in vestes aurum transiit; visaque Agrippina, Claudii uxor, induta, 'auro textili sine ulla materie,' Plin. XXXIII. 3. sect. 19.

In tanto auri usu, modestiæ fines non egredi visus est 'servus (Claudii,) Drusillanus, nomine Rotundus, dispensator Hispaniæ citerioris, cum quingenariam lancem, (a silver dish weighing

500lbs.) cui fabricandæ officina prius exædificata fuerat: et comites ejus octo, DCCCL. librarum, (eight other dishes for the same service weighing 850lbs.) quæso ut quam multi eas conservi ejus inferrent, aut quibus cœnantibus?' Plin. XXXIII. 2. sect. 52.

Nulla in re majora, quam in luxu, fastidia. Romanos gemmarum, auri, argenti tæduit: cœpere 'et lapidem, (marble,) pingere. Hoc Claudii Principis inventum: Neronis vero, maculas, quæ non essent, crustis inserendo, unitatem variare, ut ovatus esset Numidicus, ut purpura distingueretur Synnadicus, qualiter illos nasci optarent deliciæ.' Plin. XXXV. I. Qua de re vide quoque Cl. de Caylus, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, vol. XXIX. p. 167. At, cum neque Plinius, neque Cl. de Caylus, neque eruditi Academici Herculanenses, *Pitture Antiche d'Ercolano*, Vol. I. p. 1. Ægyptiam hujus inventi antiquitatem noverint, hic tradere juvat, quod artem illustret. Picti marmoris splendida multa monumenta manent Thebis, quæ antiquissimis temporibus, ante Persas Græcosque, et sub ipsis Pharaonibus, condita sunt. Ea inspexit P. Sicard annis 1718. et 1721. Egregii quidem ejus operis, eruditis viris valde desiderati, legi tantum Mss. schedas aliquot, ab interitu vindicatas, quas cum antiquitatis et artium amatoribus libenter communico. Et ne ex Latina interpretatione aliqua suboriatur in re technica obscuritas, ipsius auctoris verba referam. Multa tamen omittam, licet maximæ stupendæque magnificentiæ, quod nihil huc pertinent. At reliquias palatii regii, quæ superstites adhuc extant in ea parte Thebarum, quæ nunc dicitur *Carnac*, memorabo, ut pictum antiquitus ab Ægyptiis marmor pateat. Sic autem eas describit P. Sicard. Ac primo quidem generatim. 'Appartemens singuliers, qui se trouvent a l'Est des petites aiguilles. Ce sont quelques allées découvertes, ou chambres, dont le plafond est tombé. Elles sont revêtues de granit peint de vives couleurs, selon l'exigence des personnages, de leur corps, ou de leurs draperies.' Deinde particulatim. 'Entre les premieres salles et le grand sallon royal, il y a les petits appartemens du Roi, dont les murailles et le plancher, revêtus d'un granit très-fin, sont d'une beauté ravissante et très-singuliere. Car ce marbre est en piéces quarrées de la longueur des chambres (c'est-à-dire, six ou sept pas) et de trois pieds de largeur. Ses couleurs sont diverses, d'un cramoisi foncé, moucheté de noir et de blanc, ou d'un rouge clair mêlé de bleu et de vert. Le cramoisi fait

tantôt les fonds, et alors les figures sculptées, qui représentent les Dieux et les Déesses, les Prêtres et les Prêtresses, les animaux sacrés, &c. sont vertes et bleuâtres ; ou bien les figures taillées étant rouges, le relief de l'entre-deux est turquin, ou vert tigré. Toutes ces nuances de couleurs ne sont point naturelles, mais l'effet d'un art singulier et d'une peinture finement et ineffaçablement appliquée. Là il y a un petit cabinet, dont la porte et les murs sont de marbre noir. Plusieurs de ces merveilleux appartemens sont encore entiers. Au sortir du grand sallon, tirant à l' Est, sont deux statues gigantesques de marbre noir, dont l'une est sans tête et l'autre toute brisée. C'étoient peut-être les figures du Roi et de la Reine. A quelques pas de-là on trouve deux obélisques de granit rouge, qui se terminent en quarré. Sur ce quarré s'élevoient sans doute les statues du Prince et de son épouse. Ces obélisques sont de six palmes de diametre au bas, sur environ quarante de haut. Les deux faces, Est, Ouest, brillent de Hiéroglyphes creusés profondément, et d'une conservation qui les fait paroître neufs. Dix pas après ces deux petits obélisques et sur la même ligne sont deux autres obélisques de marbre granit, d'une beauté, d'une profondeur, et d'une conservation de traits admirables, de cent-vingt palmes environ de haut, et dix d'épaisseur au bas, parfaitement égaux pour la mesure et toutes les proportions aux deux aiguilles du palais d'Osymanduas à Luxor. La seule différence qu'il y ait, c'est que les deux obélisques, dont nous parlons, n'ont qu'une ligne de sculpture Hiéroglyphique depuis le pied jusqu'à un tiers de leur fust, et les deux tiers suivans pleins. A vingt pas de ceux-ci, dans un terrein plus bas, on trouve deux autres obélisques moins élévés, mais semblables pour la matiere, la forme, et les ornemens. A côté de ces derniers obélisques sont des chambres a personnages, gravés dans le granit peint de différentes couleurs, comme dans les petits appartemens du Roi.'

Pullulantia inter opes crimina coërcere voluit Claudius. At male cônsultus ea monstravit potius, quam emendavit. Inde Neronem alloquens Seneca, de Clementia, I. 23. 'Pater tuus plures intra quinquennium culleo insuit, quam omnibus sæculis insutos accepimus.' Quod egregie illustrat Ms. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, jam supra laudatus : 'Hoc Imperatore, (Claudio,) primum venenarii et malefici comprehensi sunt; homines 45. mulieres 85. ad supplicium ducti sunt.'

Leges tamen aliquot, utilitate et humanitate commendandæ, hoc Principatu latæ. Scilicet ut coërceretur libertorum perfidia; et reverentia erga patronos, Tiberii Caiique suspicionibus crudelitateve infracta, restitueretur, 'Divus Claudius libertum, qui probatus fuerit patrono delatores summisisse, qui de statu ejus facerent ei quæstionem, servum patroni esse jussit eum libertum,' Digest. Libr. XXXVII. Tit. 14. de Jure patronatus. Leg. 5. ex Marciano.

Pariter dominorum duritiam punivit. Nam 'servo, quem pro derelicto dominus ob gravem infirmitatem habuit, ex edicto Divi Claudii competit libertas,' Digest. Libr. XL. Tit. 8. Qui sine manumissione ad libertatem pervenirent. Leg. 2. ex Modestino.

Subvenit matribus; et ad solatium liberorum amissorum matri legitimam eorum detulit hæreditatem, Justinian. Institut. Libr. III. de Senatusconsulto Tertulliano.

Consuluit et miseris naufragio perculsis. 'Senatusconsultum Claudianis temporibus factum est, ut si quis ex naufragio clavos, vel unum ex his, abstulerit, omnium rerum nomine teneatur. Item alio senatusconsulto cavetur, eos, quorum fraude aut consilio naufragi suppressi per vim fuissent, ne navi, vel iis periclitantibus opitulentur, legis Corneliæ, quæ de Sicariis lata est, pœnis afficiendos: eos autem, qui quid ex miserrima naufragiorum fortuna rapuissent, lucrative fuissent dolo malo, in quantum edicto prætoris actio daretur, tantum et fisco dare debere,' Digest. Libr. XLVII. Tit. 9. De incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata. Leg. 3. ex Ulpiano.

Cavit quoque ne levi de causa status defunctorum inquietaretur. 'Divus Claudius Claudiano rescripsit, si per quæstionem nummariam præjudicium statui defuncti videbitur fieri, cessare quæstionem,' Digest. Libr. XL. Tit. 15. Ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur. Leg. 4. ex Callistrato.

Repressa, invalescens in dies, testamentorum captatio. 'Divus Claudius edicto præcepit adjiciendum legi Corneliæ (de falsis,) ut, si quis cum alterius testamentum, vel codicillos, scriberet, legatum sibi sua manu scripserit, perinde teneatur, ac si commisisset in legem Corneliam, et ne vel iis venia detur, qui se ignorasse edicti severitatem prætendant. Scribere autem sibi legatum videri, non solum eum, qui manu sua id fecit, sed etiam qui per servum suum, vel filium, quem in potestatem habet, dictante testatore, legato

honoratur.' Digest. Libr. XLVIII. Tit. 10. de Lege Cornelia de falsis, et de senatusconsulto Liboniano. Leg. 15. ex Callistrato.

'Maximum (Nili) incrementum ad hoc ævi fuit cubitorum decem et octo, Claudio Principe,' Plin. v. 9. sect. 10.

'Procerissimum hominum ætas nostro, Divo Claudio Principe, Gabbaram nomine, ex Arabia advectum, IX. pedum et totidem unciarum vidit.' Plin. VII. 16. Mensura autem Anglica, 9. *feet*, 9. *inches*.

Legi literas Mss. P. Ducros, S. J. in India Missionarii, scriptas die 27. Decembris, anno 1727. quæ nuntiarent repertum fuisse prope insulam *Ceylon* nummum Claudii, Imperatoris; alium recens inventum in regno *Mayssur*, qui Trajani esse videretur: alios memorari nondum satis perspectos. Hi nummi, non dominationis Romanæ, sed commerciorum, testes.

Eruditi Herculanenses Academici, *Antichità di Ercolano*, vol. VI. p. 309. publicavere egregiam Claudii Imperatoris statuam æream, altam palmos 9. et uncias 3. Mensura Anglica, 4. *feet*, 5. *inches*, inventam Retinæ, nunc *Resina*. Imperator nudus hastæ innititur. Basi Inscriptum:

TI. CLAUDIO. DRVSI. F.
CAISARI. AVGVSTO
GERMANICO
PONTIF. MAX. TR. *pot*. VIII
*im*P. XVI. COS. IIII
P*at*RI. PATRI*æ* *ce*NS*ori*
EX TESTAME*n*. MESSI. L. F. M*n*. SENECAE
MILIT. COHOR. XIII. *ur*BANAE. ET
DEDICATIONI. EIVS. LEGAVIT. MVNICIPIB.
SINGVLIS. HS. IIII. N.

Fuit ille Messius Seneca, Lucii filius, ex tribu, ut videtur, Menenia. Ex testamento legavit dedicationi ejus statuæ municipibus singulis sestertios quaternos. Miror eruditos Academicos æstimasse quaternos illos sestertios uno, ut loquuntur, Carlino, id est, *Angl.* 4*d*. $\frac{1}{6}$. Quatuor sestertii æstimandi sunt, *Angl.* 8*d*. ac proinde uno ferme Tarino Neapolitano. Præcavebunt sane eruditi Academici ne egregium ac præstantissimum suum opus, quod in sequentibus voluminibus frequentem nummorum Romanorum mentionem habebit, æstimatione, quæ semisse fere minor est, labefactetur.

Initia rerum Claudii Principis narrata vide supra vol. IV. in Suppl. Annal. Libr. IX. et X.

DE NERONE.

NERONEM, ad Romani imperii ruinam genitum, ægre parturire visa est natura. 'In pedes procedere nascentem, contra naturam est... Neronem, paulo ante Principem, et toto principatu suo hostem generis humani, pedibus genitum parens ejus scribit Agrippina,' Plin. VII. 8.

Initiis tamen principatus emicuere quidam virtutum igniculi, quibus adulatur Seneca, Natural. Quæst. VI. 8. 'Centuriones duos, quos Nero Cæsar, ut aliarum virtutum, ita veritatis in primis amantissimus, ad investigandum caput Nili miserat, audivi narrantes, longum illos iter peregisse, cum a rege Æthiopiæ instructi auxilio, commendatique proximis regibus penetrassent. Ad ulteriora quidem, aiebant, pervenimus, ad immensas paludes, quarum exitum nec incolæ noverant, nec sperare quisquam potest, ita implicitæ aquis herbæ sunt, et aquæ nec pediti eluctabiles, nec navigio, quod, nisi parvum et unius capax, limosa et obsita palus non ferat. Ibi, inquit, vidimus duas petras, ex quibus ingens vis fluminis excidebat.' Verum centuriones, a Nerone missi, ut et priore sæculo Lusitani Missionarii Societatis Jesu, Astapi, nunc *Abawi*, fontes pro Nili fontibus perperam accepere. Vere Lucanus, X. 268.

'Quæ tibi noscendi Nilum, Romane, cupido,
Et Phariis, Persisque fuit, Macedumque tyrannis;
Nullaque non ætas voluit conferre futuris
Notitiam, sed vincit adhuc natura latendi.'

Vide et Cl. Danville, *Dissertation sur les sources du Nil; Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, vol. XXVI. p. 46.

Salubritatis incertum, an voluptatis, tunc inventum, aquam decoquere, et nivibus refrigerare. Pliu. XXXI. 3. 'Neronis Principis inventum est, decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare. Ita voluptas frigoris contingit sine vitiis nivis. Omnem utique decoctam utiliorem esse convenit: item calefactam magis refrigerari.'

A studiis non illiberalibus ad malas canendi artes deflexit Nero, curaque fuit Imperatoris Romani porro sectivo, plumbi lamina, ceterisque id genus inventis, vocem alere. Plin. XIX. 6. sect. 33. et XXXIV. 18.

Crevit infamia; nec pudor fuit canere, aurigare publice. Undequaque et quoquomodo paratæ sunt opes, ut dignum Principe spectaculum instrueretur. Vir consularis, cum maximus esset luxus murrhinorum vasorum, ***brittle vases made of a precious stone from the East***, murrhinum unum 'LXX. talentis,' *Angl.* 15,750*l.* emerat, 'capaci plane ad sextarios tres calice. Idem in reliquis generis ejus, quantum voraverit licet existimare ex multitudine, quæ tanta fuit, ut ea auferente liberis ejus Nerone Domitio, theatrum peculiare trans Tiberim hortis exposita occuparent,' Plin. XXXVII. 2.

Alias 'Visum est Neronis Principis spectaculis arenam circi chrysocolla sterni, cum ipse concolori panno aurigaturus esset,' Plinius, XXXIII. 5.

In hos usus vocatum quoque succinum; quantoque sumtu! 'Sexcentis fere M. pass. a Carnunto Pannoniæ, (extant Carnunti rudera inter Hainbourg. et Petronell,) abest littus id Germaniæ, ex quo invehitur (succinum) præcognitum nuper. Vidit enim eques Romanus, missus ad id comparandum a Juliano curante gladiatorium munus Neronis Principis, qui hæc commercia et littora peragravit, tanta copia invecta, ut retia arcendis feris podium protegentia succino nodarentur: arma vero, et libitina, totusque unius diei apparatus esset e succino. Maximum pondus is glebæ attulit XIII. librarum,' Plin. XXXVII. 3.

Cum multum temporis in spectandis gladiatorum ludis insumeret Nero, ne oculi lassitudine fatiscerent, eos viridi lenitate smaragdi recreabat. 'Quorum' enim smaragdorum 'corpus extensum est, eadem, qua specula, ratione supini imagines reddunt. Nero Princeps gladiatorum pugnas spectabat smaragdo,' Plin. XXXVII. 5.

In tanto Principis luxu, haud miror eum 'sceptra et personas histrionum et cubilia amatoria, unionibus' construxisse, Plin. XXXVII. 2.

His profecere, aut potius adulteratæ sunt artes. Tum enim cœpit pictura in linteo, cum antea ligna tantum tabulæve pingerentur: at statim fœdata picturæ nobilitas. 'Nostræ ætatis in-

saniam ex pictura non omittam. Nero Princeps jusserat colosseum se pingi CXX. pedum in linteo, incognitum ad hoc tempus. Ea pictura, cum peracta esset in Maianis hortis, accensa fulmine cum optima hortorum parte conflagravit. Libertus ejus cum daret Antii munus gladiatorum, publicas porticus investivit pictura, ut constat, gladiatorum ministrorumque omnium veris imaginibus redditis,' Plin. XXXV. 7.

Tum quoque, ' Nerone Principe, in Cappadocia repertus est lapis duritia marmoris, candidus atque translucens, etiam qua parte fulvæ inciderant venæ, ex argumento Phengites appellatus. Hoc construxerat ædem Fortunæ, quam Sejam appellant, a Servio rege sacratam, aurea domo complexus. Quare etiam foribus opertis interdiu claritas ibi diurna erat, alio quam specularium modo, tanquam inclusa luce, non transmissa,' Plin. XXXVI. 22. sect. 46.

' *Reperta*' quoque, Neronis Principatu, ' vitri ars, quæ modicos calices duos, quos appellant pterotos, H-S. sex millibus (Angl. 50*l.*) venderet,' Plin. XXXVI. 26. Vitrum illud diversum fuit a communi vitro, jam pridem noto : perfectius nempe, et candidius, quod crystallum imitaretur. Mansit tamen crystallo fama, ac pretium. Unde Plinius, XXXVII. 2. ' Nero, amissarum rerum nuntio accepto, duos calices crystallinos in suprema ira fregit. Hæc fuit ratio sæculum suum punientis, ne quis alius ex his biberet. Fragmenta sarciri nullo modo queunt. Mire ad similitudinem accessere vitrea, sed prodigii modo, ut suum pretium auxerint crystalli, non diminuerint.' Hi sunt duo scyphi, de quibus Suetonius in Ner. XLVII. ' Nuntiata ceterorum exercituum defectione, literas prandenti sibi redditas concerpsit, mensam subvertit, duos scyphos, gratissimi usus, quos Homericos a cœlatura carminum Homeri vocabat, solo illisit.'

Demum ' nuper in Dalmatia, Principatu Neronis,' inventum in summa tellure aurum, ' singulis diebus etiam quinquagenas libras fundens.' Plin. XXXIII. 4.

Dum recens inventa celebrabantur, artes obliterabantur vetere fama nobiles, uti fieri assolet, cum portentosa sectantur Principes. ' Omnem amplitudinem statuarum vicit ætate nostra Zenodorus, Mercurio facto in civitate Galliæ Arvernis, Auvergne, per annos decem, HS. $\overline{\text{CCCC}}$, (Angl. 333,333*l.* 6*s.* 8*d.*) manipretio. Postquam satis ibi artem approbaverat, Romam accitus est a Nerone,

ubi destinatum illius Principis simulacrum, colossum fecit, CX. pedum longitudine. . . Mirabamur in officina non modo ex argilla similitudinem insignem, verum et ex parvis admodum surculis, quod primum operis instar fuit. Ea statua indicavit interisse fundendi æris scientiam, cum et Nero largiri aurum argentumque paratus esset, et Zenodorus scientia fingendi cœlandique nulli veterum postponeretur . . . . Quantoque major in Zenodoro præstantia fuit, tanto magis deprehendi æris obliteratio potest,' Plin. XXXIV. 7.

Nec mirum fundendi æris scientiam periisse, cum ærea perfectissimæ artis monumenta Princeps auro deturparet. 'Fecit (Lysippus) Alexandrum Magnum multis operibus, a pueritia ejus orsus. Quam statuam inaurari jussit Nero Princeps, delectatus admodum illa. Dein cum pretio perisset gratia artis, detractum est aurum: pretiosiorque talis existimatur, etiam cicatricibus operis atque concisuris, in quibus aurum hæserat, remanentibus.' Plin. XXXIV. 8. Sect. 19. n. 6.

Hoc insano luxu, indignus qui divinæ artis miracula possideret, eorum tamen desiderio flagravit, et præter Olympicas statuas, quingentas æreas, tum Deum, tum hominum, imagines Delphis surripuit. Pausanias, V. 446. et X. 813.

Cetera Neronis luxus non persequar, ne infinitus sim. Dixerim tantum 'tricliniaria Babylonia,' *(the coverings of the eating couches,)* 'quadragies sestertio,' Angl. 33,333*l.* 6*s.* 8*d.* ei stetisse, Plin. VIII. 48. Eum trecentis talentis, Angl. 67,500*l.* 'Capidem unam (murrhinam) paravisse. Memoranda res tanti Imperatorem patremque patriæ bibisse!' Plin. XXXVII. 2.

Principis vitia in publicos mores transiere; pervulgataque unguentorum insania. 'Vidimus etiam vestigia pedum tingi: quod M. Othonem monstrasse Neroni Principi ferebant. Quæso ut qualiter sentiretur, juvaretque, ab ea parte corporis.' Plin. XIII. 3.

In hac fortunæ satietate, unica cura excogitare nova luxus genera. Fastiditis ergo in supellectile ligno et ebore, quæsita et adulterata testudo. 'Placuit deinde materiam et in mari quæri. Testudo in hoc secta. Nuperque portentosis ingeniis Principatu Neronis inventum, ut pigmentis perderet se, plurisque veniret imitata lignum. . . . Modo luxuria non fuerat contenta ligno: jam lignum enim e testudine facit.' Plin. XVI. 43.

Hæc fatali quadam necessitate gliscebant, cum Neronis servitia, opibus superba, opulentos quosque ad luxus æmulationem adigerent. 'Bina,' olim 'jugera populo Romano satis erant; nullique majorem modum attribuit (Romulus): quo servos paulo ante Principis Neronis contemtis hujus spatii viridariis, piscinas juvat habere majores.' Plin. XVIII. 2.

Quantæ autem forent servorum illorum opes monstrabit pretium hominis in servitio geniti. 'Armeniaci belli, paulo ante propter Tiridatem gesti, dispensatorum Nero HS. $\overline{\text{CXXX}}$. (Angl. 108,333*l.* 6*s.* 8*d.*) manumisit.' Vere Plinius, 'hoc pretium belli, non hominis fuit.' Plin. VII. 39.

Tantas inter opes, immensa fuit possidendi cupido: cui favebant Principes, ut unico crimine, vero fictove, plura raperent. 'Latifundia perdidere Italiam; jam et provincias. Sex domi semissem Africæ possidebant, cum interfecit eos Nero Princeps.' Plin. XVIII. 6. Hæc tamen ne de tota Africa accipias, sed de Africa, provincia Romana, seu Zeugitana, nunc *Tunis and part of Tripoli.*

Quanta autem foret Africæ fœcunditas novo experimento compertum. 'E modio (tritici), si sit aptum solum, quale est in Byzacio Africæ campo, centeni quinquageni modii' redduntur.... 'Misit Neroni (procurator ejus) CCCLX. stipulas ex uno grano.' Plin. XVIII. 10.

Extremo Neronis principatu, commercia Indica novum annonæ genus Italiæ attulere. Teste enim Plinio, XVIII. 7. num. 3. 'Milium intra hos decem annos ex India in Italiam invectum est, nigrum colore, amplum grano, arundineum culmo. Adolescit ad pedes altitudine septem, prægrandibus culmis: lobas vocant: omnium frugum fertilissimum. Ex uno grano terni sextarii gignuntur.' Milium illud nunc dicimus *Indian corn,* or *maize.* Recte observavit P. Lafiteau, *Mœurs des Sauvages Amériquains, comparées avec les mœurs des premiers temps.* Vol. II. p. 71.

At cum ita vigerent libidines, modica fuit legum cura. 'Factum' tamen 'est senatusconsultum, temporibus Neronis, octavo Calendas Septembres, Annæo Seneca et Trebellio Maximo consulibus,' suffectis, ut vulgo fertur, A. U. DCCCXIV. J. C. 61. 'cujus verba hæc sunt. Cum esset æquissimum in omnibus fideicommissariis hæreditatibus, si qua de his bonis judicia penderent, ex his eos subire, in quos jus fructusque transferetur, potius quam cuique

periculosam esse fidem suam: placet ut actiones, quæ in hæredem hæredibusque dari solent, eas neque in eos, neque his dari, qui fidei suæ commissum, sicut rogati essent, restituissent: sed his, et in eos, quibus ex testamento fideicommissum restitutum fuisset: quo magis in reliquum confirmentur supremæ defunctorum voluntates.' Digest. Libr. XXXVI. Tit. I. ad Senatusconsultum Trebellianum. Leg. I. ex Ulpiano.

Literæ, quæ a sæculo corrumpuntur magis, quam sæculum corrumpunt, communi peste fuere afflatæ. Eloquentia verbosa fuit et quæstuosa: Philosophia arguta magis, quam virilis: Poësis turgida potius, quam vivida: Tragœdiæ exigua laus, cum ætas nec virtutes ferret, nec punita vellet crimina: Comœdia nulla fuit, quæ semper esse desinit, cum validiora sunt vitia, quam ut, aut exprobrentur, aut emendentur. Viguit quidem Musice, sed effœminata, et impudicis modis fracta: placuit Pictura compendiaria ac monstrosa, quam dicimus Anglice, *the grotesque*.

Publica quoque placita sectata est Medicina, quæ sese hominum ingeniis æque ac morbis attemperat. Cum vana cuncta essent, et venalia, 'Q. Stertinius imputavit Principibus, quod H-S. quingenis annuis, (Angl. 20*l.* 16*s.* 8*d.*) contentus esset: sexcena enim, (Angl. 25*l.*) sibi quæstu Urbis fuisse, numeratis domibus, ostendebat. Par et fratri ejus merces a Claudio Cæsare infusa est: censusque, quanquam exhausti, operibus Neapoli exornata, hæredi H-S. CCC. (Angl. 250,000*l.*) reliquere, quantum ad eam ætatem Arruntius solus. Exortus deinde est Vectius Valens, adulterio Messallinæ Claudii Cæsaris nobilitatus, pariterque eloquentiæ assectator. Is eam potentiam nactus, novam instituit sectam. Eadem ætas Neronis Principatu ad Thessalum transilivit, delentem cuncta majorum placita, et rabie quadam in omnis ævi medicos perorantem: quali prudentia ingenioque, æstimari vel uno argumento abunde potest, cum monumento suo (quod est Appia via) iatronicen,' (id est, medicorum victorem,) ' se inscripserit. Nullius histrionum equarumque trigarii comitatior egressus in publico erat: cum Crinas, Massiliensis, (Marseilles,) arte geminata, ut cautior religiosiorque, ad siderum motus ex ephemeride Mathematica cibos dando, horasque observando, auctoritate eum præcessit. Nuperque centies H-S. (Angl. 83,333*l.* 6*s.* 8*d.*) reliquit, muris patriæ, mœnibusque aliis pæne non minori summa exstructis. Hi regebant fata, cum repente civitatem Charmis ex eadem Massilia invasit,

damnatis non solum prioribus medicis, verum et balineis: frigidaque etiam hybernis algoribus lavari persuasit. Mersit ægros in lacus. Videbamus senes consulares usque in ostentationem rigentes. Qua de re extat etiam Annæi Senecæ astipulatio. Nec dubium est omnes istos, famam novitate aliqua aucupantes, anima statim nostra negotiari.' Plin. XXIX. 1. sect. 5.

Thespesius quidam commentus est vidisse se in inferis animam Neronis, tot flagitiorum pœnas luentem, miris et horrendis vexatam tormentis, aureisque clavis confixam. Qui fabulam legere voluerit, adeat Plutarchum, Vol. II. 'De his qui sero a numine puniuntur.' p. 567.

Nos veriora utilioraque sectamur, tantæ tamque effrænæ libidinis causam repetituri: quam indicasse videtur Plutarchus, plerumque consultissimus ac sapientissimus. Vera tot malorum causa adulatio. *Τί δὲ Νέρωνι τραγικὴν ἐπήξατο σκηνὴν, καὶ προσωπεῖα καὶ κοθορνοὺς περιέθηκεν; οὐχ ὁ κολακευόντων ἔπαινος; οἱ δὲ πολλοὶ τῶν βασιλέων, οὐκ Ἀπόλλωνες μὲν, ἂν μινυρίσωσι, Διόνυσοι δὲ, ἂν μεθυσθῶσιν, Ἡρακλεῖς δὲ, ἐὰν παλαίσωσι, προσαγορευόμενοι, καὶ χαίροντες, εἰς ἅπασαν αἰσχύνην ὑπὸ τῆς κολακείας ἐξάγονται;* 'Quid Neroni scenam erexit tragicam, larvasque et cothurnos induit, quam adulantium laudes? Annon plerique reges, dum cantillarent, Apollines; dum ebrii essent, Bacchi; dum palæstram exercerent, Hercules salutati: iisque gaudentes nominibus, assentatione ad extremam sunt adacti turpitudinem?' Plutarch. Vol. II. 'De adulatoris et amici discrimine,' p. 56.

ANECDOTA
DE
PRINCIPIBUS GALBA, OTHONE, ET VITELLIO.

Breve ac ferale fuit horum Principum imperium, civium cædibus cruentatum. Inde Julianus, Imperator, *in Cæsaribus,* eos

dixit feras fuisse, quæ ne suo quidem generi parcerent. Φείδεται γὰρ οὐδὲ τῶν ἀναγκαιοτέρων ταῦτα τὰ θηρία.

Ob subitariam fluxamque eorum auctoritatem, monogrammata tum Galbæ, tum Othonis nonnullis Tiberii Neronisque nummis impressa reperiuntur. Quod sane factum, ut citius ac sine dispendio pararetur eorum moneta. Tales nummos vide apud Cl. Pellerin, *Mélange de Médailles*, vol. II. p. 37.

Haud inglorius tamen fuisset, si longior, Galbæ principatus. Multa sapienter fortiterque jam providerat. Vectigalia quoque imminuit. Remissam quadragesimam testantur ejus nummi ex ære magno et mediocri. SER. GALBA IMP. AVG. Laureatum Galbæ caput. In aversa parte: QVADRAGENS. REMISSAE. SC. Arcus triumphalis, cui equites impositi. Nummi alii habent: XXXX. REMISSAE. SC. Eodem plane sensu. De quadragesimæ abolitione vide Annal. XIII. 51.

Ob eas egregii principatus spes, et positum a Galba SIGNVM LIBERTATIS RESTITVTAE, nummos Galbæ restituere optimi Principes Vespasianus, Nerva, et Trajanus. Vide Cl. le Beau, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*. Vol. XXIV. p. 181. et seq.

Percelebris fuit et multorum eruditorum virorum conjectationibus jactatus Galbæ argenteus nummus, quem ita exhibebant: GALBA IMPERATOR. Caput Galbæ laureatum. In postica parte, REST. NVM. Caput muliebre monili ornatum. Alii interpretabantur, RESTITVTO NVMMO: alii, RESTITVTO NVMINE: alii, RESTITVTA NUMIDIA: alii, RESTITVTA NVMANTIA. Hæc omnia vana esse docuit Cl. Barthelemy. Seguinianus ille nummus, qui nunc in Gaza Regia asservatur, non habet REST. NVM. sed RESTITVTA: nec integer est, et in parte, quæ extat, affrictu detritus; unde literæ TVTA corruptæ sunt in NVM. At nummum plane similem, sed integrum, habet Cl. D' Enery, in quo manifeste scriptu, LIBERTAS RESTITVTA. Vide Cl. Barthelemy. *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*. Vol. XXVI. p. 547. et seq.

Tabulas honestæ missionis a Galba datas exhibet Cl. Muratori, Thes. Inscript. Vol. I. p. 306. et accuratius Cl. Gori, Inscript. Antiq. Vol. III. 144.

SER. GALBA. IMPERATOR. CAESAR. AVGVSTVS
PONTIF. MAX. TRIB. POT. COS. DES. II
VETERANIS. QVI. MILITAVERVNT. IN. LEGIONE. I.
ADIVTRICE. HONESTAM. MISSIONEM. ET. CIVITATEM. DEDIT. QVORVM NOMINA. SVBSCRIPTA SVNT. IPSIS. LIBERIS. POSTERISQVE. EORVM ET. CONVBIVM. CVM. VXORIBVS. QVAS. TVNC HABVISSENT. CVM. EST. CIVITAS. IIS. DATA AVT. SI. QVI. CAELIBES. ESSENT. CVM. IIS QVAS. POSTEA. DVXISSENT. DVMTAXAT. SINGVLI. SINGVLAS. &C.

Sic aliæ duæ tabulæ apud eundem Muratori, loc. cit.

De Othone, luxurioso Principe, pauca dixero. Satis sit monuisse eum fuisse ipsi Neroni libidinis ac luxus magistrum; et, cum omnia luxus genera anteoccupata reperisset, eo usque descendisse, ut unguentis vestigia pedum tingere monstraret. Quod jam monuimus inter *Anecdota* de Nerone.

Ineunte hoc sæculo, reperta in agro Brixelliano, *Brescello*, magna vis aureorum nummorum, qui ibi defossi fuisse creduntur, versa in exitium Othonis fortuna. Vide Cl. Muratori, *Annali d'Italia*. Vol. I. Anno LXIX.

Inter hos bellorum motus, novo cibo aucta est mensa Romana, teste Plinio, x. 49. 'Venere in Italiam Bebriacensibus bellis civilibus trans Padum et novæ aves (ita enim adhuc vocantur) turdorum specie, paulum infra columbas magnitudine, sapore gratæ.' Nova illa avis appellatur *Starna*, id est, externa; et perdicis species est, quam perdicem cineream, *a grey partridge*, dicimus. Vide eruditum Manelphum, Mensa Romana, c. 24. p. 84.

At quantulum hoc ad ventrem gulamque Vitellii! Inter popinas adultus, ut primum adeptus est imperium, totam principatus fortunam in ingluviem vertit. Qua quidem intemperantia 'novies millies sestertium, (Angl. 7,500,000*l.*) paucissimis mensibus intervertisse creditur.' Tacit. Hist. II. 95. Nec sane mirum, cum tam profundæ esset gulæ, ut 'epulas trifariam semper, interdum quadrifariam' dispertiret, 'in jentacula, et prandia, et cœnas, comissationesque: facile omnibus sufficiens vomitandi consuetudine.' Sueton. in Vitell. XIII.

Quam enormes fuerint tales epulæ æstimari potest, cum in unam

cœnam impenderit 'quadragies sestertium,' ἑκατὸν μυριάδας, Angl. 33,333*l.* 6*s.* 8*d.* Dio, LXV. p. 735. Immo celebrata sunt, ni forte ob versus rationem, numerum auxerit Sidonius Apollinaris, Carm. v. 324. 'Quina Vitellî Millia, famosi ventris damnata barathro.' Quina millia sunt Angl. 41,666*l.* 6*s.* 8*d.*

Si tantum opum cibis exhaustum vix intelligas, occurrat animo 'famosissima super ceteras cœna *Vitellio* data adventitia a fratre, in qua duo millia lectissimorum piscium, septem *millia* avium apposita traduntur.' Suet. loc. cit.

Quanta quanta fuerit hæc cœna, 'hanc quoque exsuperavit' Vitellius, teste Suetonio ibid. Vulgares nempe patinas, quasi ventre suo minores, aversatus, unam, quam ob immensam magnitudinem, clypeum Minervæ, Αἰγίδα Πολιούχου, dictitabat, $\overline{X}$ *HS.* Angl. 8,333*l.* 6*s.* 8*d.* licet foret fictilis, condidit: 'cui faciendæ fornax in campis exædificata erat.' Plin. XXXV. 12. Tum novo luxus monumento superbus, cœnam fecit, dedicaturus patinam, 'in qua scarorum jecinora, phasianorum et pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, murænarum lactes, a Carpathio usque, fretoque Hispaniæ, per navarchos et triremes petitarum commiscuit.' Sueton. in Vitell. XIII.

Cum ita se publicis opibus ingurgitaret, privatas adhuc inhiabat; *aliud*que *alii eadem die* epulum indicebat: 'nec cuiquam minus singuli apparatus quadringenis millibus nummum,' Angl. 3,333*l.* 6*s.* 8*d.* constabant. Sueton. loc. cit.

Sic exhaustæ plurimorum opes: multi quoque, quibus non idem erat aut edendi, aut vomitandi usus, enecti. Unde Vibius Crispus, cum ob morbum convivio aliquando non interfuisset, minime inficete dixit, ni ægrostasset, se periturum. Εἰ μὴ ἐνενοσήκειν, ἀπωλόμην ἄν. Suidas, verbo Βιτέλλιος.

Nec unquam requievit insaturabile Vitellii abdomen. Si iter faceret, passim exstruebantur convivia. Si navigaret, utebatur 'delicatissimis navigiis, variarum coronarum genere redimitis, inter profusissimos opsoniorum apparatus.' Sueton. in Vitell. x.

Cetera autem tanto luxui paria, majorisve impendii. Immensa enim erat odorum unguentorumque prodigentia. Et, ut omnia paucis verbis complectar, licet memoriam moresque Neronis summopere celebraret Vitellius, eum tamen reprehendere erat solitus, quod male habitasset, paucaque et vili supellectili fuisset usus: ᾐτιᾶτο αὐτὸν, κακῶς τε ᾠκηκέναι, καὶ σκευῇ ὀλίγῃ καὶ ταπεινῇ χρῆσθαι

λέγων. Dio, LXV. p. 735. Scilicet jam sordebat aurea domus! jam aurum, jam gemmæ, jam murrhina, jam naturæ artiumque miracula eviluerant! Adeo prona in luxu satietas!

Verum ergo extitisse unum hominem, cujus gulæ, si diutius vixisset, vix suffecisset imperium Romanum; cujus luxui impar fuisset. Quia semper vixit inter patinarum paludes, inde sub mortem, cum vera sunt nomina, dictus est *Patinarius*. Sueton. in Vitell. XVII.

DE VESPASIANO, TITO, ET DOMITIANO.

UBI primum Vespasianus pacem imperio attulit, id enixe curavit, quod Romanis semper gratissimum fuit, ut Roma magnificis operibus attolleretur. Præter Jovis ut Capitolini Pacisque templa, *amphitheatrum* exstruxit tam magnifice tantisque impensis, ut Cl. Barthelemy, peritissimus antiquitatis æstimator, cum stupendas, quæ adhuc supersunt, partes inviseret, solius fabricæ pretium, æstimatione per cubicos materiæ pedes facta, repererit esse Angl. *708,333l. 6s. 8d. Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, Vol. XXVIII. p. 583. Quid, si nunc cogitemus tantæ molis fundamenta, interiorem ambitum, cunctaque ornamenta ipsamque inferiorem amphitheatri partem, viginti duorum palmorum altitudine, sub ruderibus aggestisque terris latitantem? Manifestum sane erit Theodoricum regem merito scripsisse, Vespasianum, 'divitiarum profuso flumine, cogitasse ædificium fieri, unde caput urbium potuisset.' Cassiodor. Variat. v. 42. Tanta autem tamque incredibili celeritate immensum id opus confectum est, ut ipse Vespasianus ad tres gradus illud erexerit, editisque ludis dedicaverit. Duos gradus postea adjecit Titus, iterumque dedicavit. Domitianus ad clypea usque perduxit, penitusque perfecit, ut jam dixi supra. Tunc vere scripsit Martialis, I. 1.

'Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis,
    Assiduus jactet nec Babylona labor:
Nec Triviæ templo molles laudentur honores,
    Dissimuletque Deum cornibus ara frequens:
Aëre nec vacuo pendentia Mausolea
    Laudibus immodicis Cares in astra ferant.

Omnis Cæsareo cedat labor amphitheatro:
Unum pro cunctis fama loquatur opus.'

Ibi non veteres tantum opes explicuit architectura; novas quoque addidit, et bases Doricis columnis supposuit. Unde columnis non modo decus et elegantia, sed et soliditas ac firmamentum venit. Vide Cl. T. Major, *les Ruines de Pæstum, ou de Posidonie, dans la grande Grèce*, p. 27.

Operum quidem magnificentia commendetur Vespasianus, æque commendandus mihi videtur, quod iis plebeculam pascere studuerit. Curam, vigilantissimo Principe dignissimam, memorat Suetonius in Vespasian. c. 18. ' Mechanico grandes columnas exigua impensa perducturum in Capitolium pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulit, operam remisit, præfatus: Sineret se plebeculam pascere.'

Statuam Nili, ex basalte lapide, seu marmore, confectam, et a Vespasiano in Templo Pacis dicatam, celebrat Plinius, XXXVI. 7. ' Invenit eadem Ægyptus in Æthiopia, quem vocant basalten, ferrei coloris atque duritiæ. Unde et nomen ei dedit. Nunquam hic major repertus est, quam in templo Pacis ab Imperatore Vespasiano Augusto dicatus: argumento Nili, XVI. libris circa ludentibus, per quos totidem cubita summi incrementi augentis se amnis intelliguntur.' Diu creditum est illam ipsam statuam in cavædio Pontificiarum Vaticani palatii ædium nunc asservari. Quæ ibi asservatur, inventa est, teste Serlio, in thermis Constantini, in monte Quirinali: temporum injuria rubiginem contraxerat. Unde a recentioribus quibusdam scriptoribus ex basalte esse credita est. At constat eam esse ex marmore albo statuario. Manifestum itaque est non esse statuam a Vespasiano dicatam, sed antiquum ejus exemplum, et ad similitudinem statuæ ex basalte efformatum.

Idem fuit Tito Principi magnificentiæ studium; ejusque domum absolutissimis artium monumentis præfulsisse docet Laocoontis statua, quam celebrat Plinius, XXXVI. 5. n. 11. ' Nec multo plurium fama est, quorundam claritati in operibus eximiis obstante numero artificum, quoniam nec unus occupat gloriam, nec plures pariter nuncupari possunt, sicut in Laocoonte, qui est in Titi Imperatoris domo, opus omnibus et picturæ et statuariæ artis præponendum. Ex uno lapide eum et liberos draconumque mirabiles nexus de concilii sententia fecere summi artifices, Agesander et

Polydorus et Athenodorus Rhodii.' Egregium illud artis opus, quod nemo sine maxima admiratione inspexerit, nunc videre est in Pontificiis Vaticani palatii hortis. A Felice *de Fredis* inventum fuit sub Julio II. Pontifice maximo in thermis Titi. Nunc quidem diligenti contemplatione observatum est illud non ex uno lapide, id est, marmore, fuisse confectum, sed plus minus quatuor compaginibus esse ferruminatum. Quod, cum recens adhuc foret, ab artificibus occultari dissimularique potuit, nunc post tot sæcula aggestaque olim rudera, ipsamque demum exportationem, anxia tantum cura deprehenditur.

Hactenus magnificentiæ consuluerant egregii Principes Vespasianus et Titus. Portentosa libidinum miracula, quæ sub Caio Caligula et Nerone Romam attonuerant, æmulatus est Domitianus. Visaque sunt in Cæsarea domo Adonea, seu horti pensiles, quibus victam Assyriam gloriabatur Princeps, incredibilium cupitor. De his hortis vide Cl. Bianchini, *del Palazzo de Cesari*, Tab. VIII. Præter illos hortos videre erat alia immensæ prodigentiæ opera a Domitiano exstructa, porticum ante Cæsaream domum, basilicam, balneum, pellicum diætam ; in quæ singula, teste Plutarcho in Poplicola, p. 105., cadebat illud Epicharmi ad gurgitem dictum : 'Non benignus es, habes morbum, gestis tu largiens.' Nam in his non se religiosum, nec magnificum probabat Domitianus ; sed morbo tenebatur, gaudebatque cum in ædificia omnia profunderet ; et, ut Midas, omnia sibi aurea et gemmea cupiebat, Ὁ μέντοι θαυμάσας τοῦ Καπιτωλίου τὴν πολυτέλειαν, εἰ μίαν εἶδεν ἐν οἰκίᾳ Δομετιανοῦ στοὰν, ἢ βασιλικὴν, ἢ βαλανείον, ἢ παλλακίδων δίαιταν, οἷόν ἐστι τὸ λεγόμενον τοῦ Ἐπιχαρμοῦ πρὸς τὸν ἄσωτον, Οὐ φιλάνθρωπος τύ γ' ἐσσί· ἔχεις νόσον· χαίρεις δίδους· τοιοῦτον ἄν τι πρὸς Δομετιανὸν εἰπεῖν προήχθη, Οὐκ εὐσεβὴς, οὐδὲ φιλότιμος τύ γ' ἐσσί· ἔχεις νόσον, χαίρεις κατοικοδομῶν· ὥσπερ ὁ Μίδας ἐκεῖνος, ἅπαντά σοι χρυσᾶ καὶ λίθινα βουλόμενος γίνεσθαι.

Domitiani opera ejusque tempora plurimum illustrat Martialis in suis Epigrammatum libris, quibus Domitianum passim celebrat, eique adulatur.

In Gaza Serenissimi Aurelianensium Ducis extat egregia gemma. Achates est, *a precious agate*, cujus diameter duos ferme æquat pollices. In ambitu, sculpta sunt duodecim signa Zodiaci. In media, videtur pars posterior templi rotundi, ante quod in parte dextra sedet vir togatus, capite nudo, cui vir pariter togatus stans

offert coronam radiatam. Hos inter, juvenis quoque togatus stans, et multo minor, manus attollit, venerans. Hinc et inde ad pedes viri sedentis sunt duo vasa. Sedes et antiqua et affabre facta: posita est supra planum, quod sustinetur capite inter duas alas.

Multi multa, nec probabilia, excogitavere, ut hanc gemmam explicarent. Unus ad veritatem accessit Cl. Belley, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions,* Vol. XXVI. p. 475. Cum enim observasset extare nummum Domitiani, cusum, cum ludi sæculares facti sunt, qui quandam similitudinem cum gemma habebat, existimavit in nummo et in achate exhiberi Domitianum, qui suffimenta pro ludis sæcularibus populo distribueret. At alia est gemmæ mens, sublimis magis magisque divina, quam non deprehendit Cl. Belley, quod ad locum Panegyrici, quem Plinius Trajano dixit, non attenderit. Locus ille Plinii gemmam egregie explicat. Quod ut clarius percipiatur, et nummum et gemmam afferam.

Nummus est ex ære magno, nec rarus: IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. VIII. caput Domitiani laureatum. In postica parte, COS. XIIII. LVD. SAEC. S. C. Vir togatus sedet in suggestu, capite nudo: dextram porrigit viro togato stanti, et dextram porrigenti. Hos inter stat ante suggestum juvenis togatus, sed minor. Ante pedes viri sedentis sunt duo vasa. In recessu, videtur frons templi, aut basilicæ, quatuor columnis insignis. In imo suggestu scriptum est: SVF. P. D., id est, 'Suffimenta populo data.' Nempe cum adessent ludi sæculares, quindecimviri in Capitolio et in templo Palatino, sedentes in suggestu, suffimenta, lustrationis causa, populo dabant, faces scilicet, et sulphur et bitumen, ut docet Zosimus, II. p. 669. Ἐν τῷ Καπετωλίῳ καὶ ἐν τῷ νεῷ τῷ κατὰ τὸ Παλάτιον, οἱ δεκαπέντε ἄνδρες ἐπὶ βήματος καθήμενοι, τῷ δήμῳ διανέμουσι τὰ καθάρσια· ταῦτα δέ ἐστι δᾷδες καὶ θεῖον καὶ ἄσφαλτον. Hæc sunt suffimenta a quindecimviris data, quæ in hoc Domitiani nummo, sicuti in compluribus aliis ejus nummis aliæ ludorum sæcularium cærimoniæ, exhibentur. Immo videre est in Philipporum nummis ipsa etiam animalia, quæ per sæculares eorum ludos spectata sunt.

Gemma autem non ludos, ludorumve ritus, sed divinos honores, Domitiano oblatos et assertos, ostentat. Id significat corona radiata; idem loquuntur Zodiaci signa; nec aliter Virgilius, Ge. I. 32. Cæsarem laudat, oratque ut novum tardis sidus se mensibus

addat. Ita etiam artifex Zodiacum disposuit, ut retro post Domitianum viderentur signa Virgo et Libra, quæ intra se Domitianus reciperet, cum cœlos peteret. Carissima enim fuere Domitiano illa signa, qui ideo menses Septembrem et Octobrem ex suis appellationibus Germanicum et Domitianum transnominavit; ut videre est apud Suetonium in Domit. cap. 13., apud Plutarchum in Numa, p. 72., quod horum altero imperium suscepisset, altero natus esset. Divinitatis argumenta adhuc sunt in templo, in capite inter duas alas, in ipsa sede, antiqua et cum scabello, quæ Deorum est, non hominum. Liberalitate autem Domitiano partam esse divinitatem indicant duo vasa. Hæc autem omnia paucis complexus est Plinius in Panegyric. cap. 52. Cum enim Trajanum laudasset, quod pro se parcus, in publicum magnificus, urbem porticibus, delubris, exornaverat, maximum circi latus splendidissime refecerat, multa ibi loca addiderat populo, quem congiarii facilitate auxerat, ait: ‘ Horum unum si præstitisset alius, illi jamdudum radiatum caput, et media inter Deos sedes auro staret aut ebore, augustioribusque et grandioribus victimis invocaretur.’ Quæ, ut certo certius Domitianum notant, ita quoque gemmam Serenissimi Aurelianensium Ducis clarissime explicant.

DE NERVA ET TRAJANO.

De optimis illis Principibus, quorum tempora satis illustravi, pauca addidero. Satis sit observasse Romam nunquam fuisse, quam sub eorum Principatu, magnificentiorem ac feliciorem: illos magnificentiæ et felicitatis publicæ egregia sua studia liberalitate et clementia cumulasse. Quod, post tot Principes superbia, avaritia, crudelitate commaculatos, adeo suave gratumque visum est, ut id omnium vocibus fuerit celebratum, repertaque sint prope forum Nervæ complura marmora inscripta, POTISSIMA DOS IN PRINCIPE LIBERALITAS ET CLEMENTIA. Prædicantur adhuc in Trajano SANCTITAS DOMI, IN ARMIS FORTITVDO, VTROBIQVE PRVDENTIA. Aurel. Victor, in Epitome.

Iis virtutibus in immensum crevit sub auspicatissimo Trajani principatu Romana gloria; et quanto major gloria, tanto major fuit felicitas. Inde in veteribus monumentis passim occurrit, TRAIANVS RESTITVTOR ITALIAE, PROPAGATOR ORBIS TER-

RARVM, LOCUPLETATOR CIVIVM, PATER PATRIAE PRINCEPS OPTIMVS. ALTER quoque ROMULUS dicebatur, teste Dione, LXX. p. 800. At cum ejus nomen, ob multitudinem operum, quæ aut nova struxerat, aut reipublicæ temporibus insigniora, sed vetustate collapsa, refecerat, parietibus ubique inscriptum legeretur, plebs, cui vel laus maxima in jocum sæpe cessit, eum herbam parietinam, *the pellitory*, cognominavit. Ammian. Marcellin. XXVII. 2. Nec ingratum nomen fuit Principi, cui liberæ omnes voces placebant; adulationem tantum oderat: ideoque laudatus a Martiale, Epigram. x. 72.

‘ Frustra blanditiæ venitis ad me
Attritis miserabiles labellis:
Dicturus dominum, Deumque non sum.
Jam non est locus hac in urbe vobis:
Ad Parthos procul ite pileatos,
Et turpes humilesque, supplicesque
Pictorum sola basiate regum.
Non est hic dominus, sed Imperator,
Sed justissimus omnium senator:
Per quem de Stygia domo reducta est
Siccis rustica veritas capillis.
Hoc sub Principe, si sapis, caveto,
Verbis, Roma, prioribus loquaris.’

Suis verisque laudibus attollatur Trajani virtus, qua certe nullam illustriorem vidit imperium Romanum. At fabularum suarum pudeat Christianos quosdam scriptores, qui eum ab inferis, ob ejus clementiam et mansuetudinem, lacrymis et fletibus Divi Gregorii liberatum fuisse commenti sunt. Vide *Acta Sanctorum*, vol. II. mensis Martii, p. 136. 137. et 155.

Trajanus commentarios rerum suarum scripserat; qui si ad nos pervenissent, egregium suppeditassent historiæ argumentum: in iis ampla quoque fuisset eruditionis materia. Nullus enim principum, quos prisca Romanorum, Græcorum, aliorumve imperiorum ætas celebravit, majora gessit, quam Trajanus, plusve terrarum peragravit et illustravit.

Præter insignem columnam Trajani, quam sæpissime supra memoravi, erat ejus arcus in prima Urbis regione, teste P. Victore; anaglyphis aliisque ornamentis nobilitatus. At, cum Constantini

ætate periissent artes, eique tamen ob victorias arcus dicaretur, nova quidem et rudia structa sunt, quibus addita egregia decora ab arcu Trajani ablata. Hæc inter videtur anaglyphum, in quo Trajanus stat sacrificans cum suovetaurilibus. Erant quoque octo insignes statuæ, eximii operis, quorum capita clam nocte, jussu Laurentii de Medicis, amputata sunt, et Florentiam asportata. Post veterem illam exspoliationem, manebant adhuc marmora arcus Trajani, quibus clarissimus Michael-Angelus Buonarotti usus est, cum strueret elegantissimam basim, cui imposita est in area Capitolina equestris statua M. Aurelii.

'SIC MONUMENTORUM *vetus interit ætas,*
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.
Debemur morti nos, nostraque.'

Horat. Art. Poëtic. 61.

FRAGMENTUM

LIBRI XCI. HISTORIARUM

TITI LIVII PATAVINI.

SUPPLEMENTO ET ANNOTATIONIBUS ILLUSTRAVIT

GABRIEL BROTIER.

LIB. XCI.

TAMENINSEQVENTI	PITINCENDIIQ.SIMVL
IPSOPERVIGILANTEIN	ETRVINAEMETVTER
EODEMLOCOALIAEXCI	RITICONTREBIENSES
TATATVRRISPRIMALV	DEMVROTREPIDIEFFV
CEMIRACVLOHOSTIB	GERVNTETVTLEGATIMIT
FVITSIMVLETOPPIDI	TERENTVRADDEDENDA-
TVRRISQVAEMAXIMV-	VRBEMABVNIVERSA
PROPVGNACVLVMFVE	MVLTITVDINECONCLA
RATSVBRVTISFVNDA	MATVMESTEADEMVIR
MENTISDEHISCEREIN	TVSQVAEINRITANTE-
GENTIBVSRIMISETTV	OPPVGNAVERATVICTO
. . . .	REMPLACABILIOREM
IVS . . . . . IGNICOE	FECITOBSIDIBVSACCEI

TISPECVNIAEMODICA—
EXEGITSUMMAMARMA
QVEOMNIAADEMITTRAN
.VGASLIBEROSVIVOS
ADSEADDVCIIVSSITETFVGI
TIVOSQVORVMMAIOR
MVLTITVDOERATIPSIS
IMPERAVITVTINTERFI
CERENTIVGVLATOSDE
MVRODEIECERVNTCV—
MAGNAIACTVRAMILI
TVMQVATTVORETQVA
DRAGINTADIEBVSCON

R .
TEBRIAEXPVGNATARE
LICTOQVEIBI.L.INSTELO
. . . .
ADHIBERVMFLVME
COPIASADDVXITIBIHIBER
NACVLISSECVNDVMOP
PIDVMQVODCASTRAAE
LIAVOCATVRAEDIFICA
TISIPSEINCASTRISMA
NEBATINTERDIVCON
VENTVMSOCIARVMCI
VITATIVMINOPPIDOA

N
GEBATARMAVTFIERET

PROCOPIISCVIVSQPOPV
LIPERTOTAMPROVINCI
AMEDIXERATQVIBVS I—
SPECTISREFERRECETERA
ARMAMILITESIVSSITQVAE
AVTITINERIBVSCREBRIS
AVTOPPV . . . .
. . . .
FACTAERANTNOVA
MANEPERCENTVRIO
NESDIVISIT . . . . .
TVMQVOQ . . . SIN
STRVXIT ARMIS VESTI
MENTAQV. . . . .

N
. . . . IPE
DIVMDATVMFABROS
. . . . IN
DEQEXCIVERATQVIBVS

S
OFFICINABV.BITVMEN
. . . . RA
TIONEINITAQVIDINSIN
GVLOSDIESEFFICIPOSSET
ITAQOMNIASIMVLINSTRV
MENTABELLIPARABAN
TVRNEQVEMATERIAAR
TIFICIBVSPRAEPARATIS

ANTEOMNIBVSINIXO
GIVITIVM.VDIONEC
SVOQVISQOPERIARTI
FEXDEERATCONVO
CATISDEINDEOMNIVMPO
PVLORVMLEGATIONIB.
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . . . QVAS IPSE RES
. . . .
QVASQINOPPVGNAN
DISVRBIBVSHOSTIVM
GESSISSETEXPOSVITET
ADRELIQVABELLICOHOR
TATVSESTPAVCISEDOC
TOSQVATVMHSPANI
AEPROVINCIAEINTER
ESSETSVASPARTESSV
PERIORESESSEDIMIS
SODEINDECONVENTV
IVSSITQVAEOMNIB·
. . . .
IBI . . . .
RESVASPRINCIPIOVE
RIS·M·PERPERNAM
CVMVIGINTIMILIB·

PEDITVMEQVITIBVS
MILLEQVINGENTIS
INILVRCAONVMGEN
TEMMISITADTVENDA
REGIONISEIVSMARI
TIMAMORAMDATIS
PRAECEPTISQVIBVSITI
NERIBVSDVCERETAD
DEFENDENDASSOCIAS
VRBESQVASPONPEIVS
OPPVGNARETQVIB·
QVEIPSVMAGMEN
PONPEIEXINSIDII·
ADGREDERETVR
EODEMTEMPOREET
ADHERENNVLEIVM
QVIINISDEMLOCISE
RATLITERASMSIT
ETINALTERAMPROVIN

CIAMAD.L.HERTVLEIV—
PRAECIPIENSQVEMAD
MODVMBELLVMAD
MINISTRAREVELLETANTE
OMNIAVTITASOCIASCI
VITATESTVERETVRNEA
CIECVMMETELLODIMI
CARETCVINEQAVCTORI

TATENEQVIRIBVSPARES
SET NEIPSEQVIDEM
CONSILIVM . . . . .
. . VERSVS . . . . .
NEQVEIN . . . . . .
SVRVMEVMCREDEBAT
SITRAHERETVRBELLV-
HOSTICVMMAREABTER
GOPROVINCIASQOMNES
INPOTESTATEHABERET
NAVIBVSVNDIQCOM
MEATVSVENTVROSIPSI
AVTEMCONSVMPTISPRIO
REAESTATEQVAEPRAEPA
RATAFVISSENTOMNIV-
RERVMINOPIAMFORE
PERPERNAMINMARITIMA-
REGIONEMSVP . . . .
VTEAQVAEINTEGRAAD
HVCABHOSTIS . . . .
RIPOSSETETSIQVAOCCA
SIODETVRINCAVTOSPER
TEMPVSADGRESSVRVM
IPSECVMSVOEXERCITV
HIBERONESETAVTALCO
N
RESPROGREDISTATVIT
AQVIB.G . . . . . .

MEMCVM . . . . OPPVG
NARENTVRCELTIB.
VRBESINPLORATAME
SEOPEM . . . .
. . . MISSOSQQVIITI
NERAEXERCITVIROMAN-
MONSTRARENT
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
MARITIMAMNEORAM
VTPONPEIVMABILERCA
ONIAETCONTESTANIA
ARCEATVTRAQ.SOCIAGE
TEANAN·ADMETELLVMET
RVSITANIAMSECONVER
TAT HAECSECVMAGI
TANSSERTORIVSPRAE

TERHIBERVMAMNEM
R
PERPACATOSAGOSQVIE
TVMEXERCITVMSINE
VLLIVSNOXADVXITPRO
FECTVSINDEINBVRSAO
NVMETCASVANTINORV-
ETGRACCVRITANORVM
FINESEVASTATISOMNIB.
PROCVLCATISQVESEGITI
BVSADCALAGVRIMNA
SICAMSOCIORVMVRBE.
BENITTRANSGRESSVS
QAMNEMPROPINQVM
VRBIPONTEFACTOCASTRA
POSVIT POSTERODIE'M
MASIVMQVAESTOREM
INARVACOSETCERINDO
NESMISITADCONSCRI
BENDOSEXIISGENTIB.
MILITESFRVMENTVM
QVEINDECONTREBIAM
. . . LEVCADAAPPELLA
TVRCONPORTANDVMPRAE
TERQVAMVRBEMOPPOR-
TVNISSIMVSEXBERO
NIBVSTRANSITVSERAT

INQVAMCVMQVEREGIO
NEMDVCEREEXERCITV-
STATVISSETET.C.INSTE
LVMPRAEFECTVMEQVI
TVMSEGOVIAMETIN
VACREORVMGENTEM
ADEQVITVMCONQVISI
TIONEMMISITIVSSV-
CVMEQVITIBVSCONTRE
BIAESESEOPPERIRIDI
MISSISIISIPSEPROFEC
TVSPERVMCONVMA
GRVMDVCTOEXERCI
TVINCONFINIOVIRO
NVMPOSVITCASTRAPOS
TERODIECVMEQVITIB.
PRAEGRESSVSADITINE
RAEXPLORANDAIVSSO
PEDITEQVADRATOAGMI
NESEQVIADVAREIAM
VALIDISSIMAMREGIO
NISEIVSVRBEMVENIT
HAVDINOPINANTIB.
. . . ADVENERAT
VNDIQEQVITIBVSET
SVAEGENTISETAVTRIC

FRAGMENTUM

LIBRI XCI. HISTORIARUM

TITI LIVII PATAVINI.

BREVIARIUM.

CONTREBIA a Sertorio expugnata. Is, in hyberna ducto exercitu, conventum sociarum civitatum agit, et ad reliqua belli cohortatur. Principio veris M. Perpernam in Ilurcaonum gentem mittit. Herennuleium et Hertuleium docet quemadmodum bellum sit administrandum. Ipse ad Calagurim Nasicam, sociorum urbem, venit: M. Masium mittit in Arvacos et Cerindones, C. Instelum Segoviam et in Vacreorum gentem: mox profectus per Umconum agrum, Vareiam validissimam urbem petit.

Hæc gesta,

A. U.	A. C.		
DCLXXVIII.	75.	Coss.	Cn. Octavio, C. Scribonio Curione.
DCLXXIX.	74.	Coss.	L. Octavio, C. Aurelio Cotta.

NOCTE tamen insequenti, ipso pervigilante, in eodem loco alia excitata turris prima luce miraculo hostibus fuit: simul et oppidi turris, quæ maximum propugnaculum fuerat, subrutis fundamentis

dehiscere ingentibus rimis, et tum *erumpente validius ardescere* igni cœpit: incendiique simul et ruinæ metu territi Contrebienses de muro trepidi effugerunt; et, ut legati mitterentur ad dedendam urbem ab universa multitudine conclamatum est. Eadem virtus, quæ irritantes oppugnaverat, victorem placabiliorem fecit. Obsidibus acceptis, pecuniæ modicam exegit summam, armaque omnia ademit. Transfugas liberos vivos ad se adduci jussit; et fugitivos, quorum major multitudo erat ipsis, imperavit ut interficerent. Jugulatos de muro dejecerunt. Cum magna jactura militum, quatuor et quadraginta diebus Contrebia expugnata; relictoque ibi L. (*forte potius* Caio) Instelo, *præfecto equitum*, ad Hiberum flumen copias adduxit. Ibi hybernaculis secundum oppidum, quod Castra Ælia vocatur, ædificatis, ipse in castris manebat, interdiu conventum sociarum civitatum in oppido agebat. Arma ut fierent, pro copiis cujusque populi per totam provinciam edixerat: quibus inspectis, referre cetera arma milites jussit, quæ aut itineribus crebris, aut oppug*nationibus variisque præliis labe*facta erant. Nova mane per centuriones divisit *militi:* tum quoq*ue ipsos* instruxit armis, vestimentaque *addita; et operarum* impendium datum. Fabros *enim advocaverat*, indeque exciverat quibus officinabus bitumen *excoqueretur*, ratione inita quid in singulos dies effici posset.

Itaque omnia simul instrumenta belli parabantur. Neque materia artificibus, præparatis ante omnibus, *in ministerium tardior;* nec suo quisque operi artifex deerat. Convocatis deinde omnium populorum legationibus, *summatim prioris belli eventus recensuit, laudatisque civitatum consensu et militum virtute*, quas ipse res *consilio providisset*, quasque in oppugnandis urbibus hostium gessisset, exposuit; et ad reliqua belli cohortatus est paucis edoctos quantum Hispaniæ provinciæ interesset suas partes superiores esse. Dimisso deinde conventu, jussis, quæ omnib*us conducerent, quibusque* sibi *possent res serva*re suas, principio veris M. Perpernam cum viginti milibus peditum, equitibus mille quingentis in Ilurcaonum gentem misit ad tuendam regionis ejus maritimam oram; datis præceptis, quibus itineribus duceret ad defendendas socias urbes, quas Po*m*peius oppugnaret, quibusque ipsum agmen Po*m*peii ex insidiis aggrederetur.

Eodem tempore et ad Herennuleium, qui in iisdem locis erat, literas misit, et in alteram provinciam ad L. Hertuleium, præci-

piens, quemadmodum bellum administrare vellet; ante omnia ut ita socias civitates tueretur, ne acie cum Metello dimicaret, cui neque auctoritate neque viribus par esset; ne ipse quidem consilium *inierat ad*versus *eum eundi*, neque in *præsentiarum incursurum* eum credebat, si traheretur bellum: hosti, cum mare ab tergo provinciasque omnes in potestate haberet, navibus undique commeatus venturos: ipsi autem, consumtis priore æstate, quæ præparata fuissent, omnium rerum inopiam fore: Perpernam in maritimam regionem sup*erventurum*, ut ea, quæ integra adhuc, ab hostis *vi tuta*ri posset, et, si qua occasio detur, incautos per tempus aggressurum. Ipse cum suo exercitu Hiberones et Autalcones progredi statuit, a quibus *gratiam querebatur infa*mem: cum *nuper* oppugnarentur Celtib*erorum* urbes i*m*ploratam es*s*e opem *ab Metello*, missosq*ue* qui itinera exercitui Romano monstrarent. *Quam perfidiam ultum ire volebat Sertorius, ut insigni exemplo ceterorum fidem retineret. Illos cum pro flagitii gravitate mulctasset, variis distrahitur curis, ambiguus quonam bellum vertat, utrum fidos Romanis populos incurset,* maritimamne oram, ut Po*m*peium ab Ilercaonia et Contestania arceat, utraque socia gente, an ad Metellum et Lusitaniam se convertat.

Hæc secum agitans Sertorius præter Hiberum amnem per pacatos agros quietum exercitum sine ullius noxa duxit. Profectus inde in Bursaonum et Casuantinorum et Graccuritanorum fines, evastatis omnibus proculcatisque segetibus, ad Calagurim Nasicam sociorum urbem *v*enit, transgressusque amnem propinqu*u*m urbi, ponte facto, castra posuit. Postero die M. Masium quæstorem in Arvacos et Cerindones misit ad conscribendos ex iis gentibus milites, frumentumque inde Contrebiam, *quæ* Leucada appellatur, *comport*andum, præter quam urbem opportunissimus ex Beronibus transitus erat, in quamcumque regionem ducere exercitum statuisset; et C. Instelum, præfectum equitum Segoviam et in Vacreorum gentem ad equitum conquisitionem misit, jussumque cum *equitibus* Contrebiæ sese opperiri. Dimissis iis, ipse profectus per Umconum agrum, ducto exercitu in confinio Vironum posuit castra. Postero die cum equitibus prægressus ad itinera exploranda, jusso pedite quadrato agmine sequi ad Vareiam validissimam regionis ejus urbem venit. Haud inopinantibus *Vareianis* advenerat, undique equitibus et suæ gentis et Autrig*onum accitis*.

NOTÆ

IN FRAGMENTUM LIBRI XCI.

TITI LIVII.

FRAGMENTUM. Egregios labores eruditi viri Benjamini Kennicotti in edendis Bibliis Hebraicis laudaveram, nec tum spes fuit eos in Romanæ historiæ utilitatem cessuros. Id tamen felici literarum fato contigit, cum Cl. V. Paulus Jacobus Bruns Vaticanam Bibliothecam anno 1772. inviseret, antiquos qui ibi asservantur sacræ Scripturæ codices lustraturus, ut studiis Cl. Kennicotti inserviret. Dum enim eos recensebat, illi oblatus est codex Latinus, designatus No. 24. in Bibliotheca Palatino-Vaticana, qui libros Tobiæ, Jobi et Esther complectebatur. Animadvertit Cl. Bruns codicem illum esse ex eorum numero, quos, ut utamur Ciceroniano verbo in Epistolis ad Familiares, VII. 18. appellare possumus palimpsestos, id est, iterum scriptos. Nempe parsimoniæ causa, et ob membranarum raritatem, antiquorum librorum scriptura pumice delebatur, extritisque illis membranis novi libri inscribebantur. Porro cum Cl. Bruns in Tobiæ, Jobi et Esther codicem incidisset, eumque palimpsestis membranis constare deprehendisset, curiositate sua dignum ratus est quæ prius fuerant scripta in fugacibus literarum vestigiis investigare. Observavit primum in multis membranarum illarum paginis scriptas olim fuisse Ciceronis orationes, quas typis editas habemus. Oculos ejus gratius detinuit titulus

aliis membranis minutissimo charactere exaratus LIB. XCI. TITI. LIVII. Librum enim illum in Titi Livii editionibus deesse compertum habebat. Curiositatem ejus adhuc accendebat, quod pars illa Livii in his membranis unciali, ut loquuntur, charactere, ac proinde antiquissimo, fuisset olim exarata. Aciem ergo oculorum intendit, ut extritam illam Livii partem, quanta posset perspicacitate et diligentia, legeret ac describeret. Illam postea anno 1773. Hamburgi typis edidit: confisus non defore, qui præstantissimum Romanæ et Hispanæ antiquitatis monumentum pro rei gravitate illustrarent. Exemplar Hamburgianæ editionis, Londino missum, nactus, illud statim et Supplemento explevi; et annotationes, quibus opus erat maxime ad veterem Geographiam explicandam, addidi.

Titi Livii. Tanta est apud literarum et historiæ peritos T. Livii commendatio, ut summum sit omnium desiderium, quod magna scriptorum ejus parte careant. Superiore sæculo quammaximam lætitiam iis attulit Joannes Horrion, Societatis Jesu, cum Librum XXXIII. T. Livii, quem in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis Bambergæ repererat, Paderbornæ edidit anno 1617. Pars libri XCI. licet exigua, quam Cl. Bruns nuper invenit in Bibliotheca Vaticana, industriam exstimulare animosque addere debet, ut Bibliothecarum foruli ipsique codices palimpsesti diligentissime inspiciantur, ne quid adhuc lateat magna cum laude et omnium gratulatione proferendum. Ne veteribus quidem Monialium Bibliothecis abstinendum videtur, cum feratur priore sæculo fuisse manu scriptos T. Livii codices in Abbatia Fontis-Evraldi, *Fontevrault*, qui propolæ turpiter sunt venumdati. Is, quod turpius funestiusque fuit, eorum membranis usus est in ludicris palmulis, Angl. *battledores*, obtegendis; quibus passim divenditis, cum tum maxime lusoriarum pilarum exercitationes vigerent, compertum fuit in iis codicibus contentos fuisse T. Livii libros, qui decades octavam, decimam et undecimam conficiebant; ut videre est apud Colomiès, *Bibliothèque choisie*, p. 33. Nondum forte tamen desperandum de integro Livio adinveniendo. Illum enim extare in Bibliotheca Turcarum Imperatoris admonuit Petrus della Valle. Ut inde erueretur sæpe allaboratum est sub regibus Ludovico XIII. Ludovico XIV. et Ludovico XV. munificis literarum patronis. At vanus cassusque hactenus recidit labor; responsumque semper est a Turcis, quibus eum quærendi cura imposita est, talem librum in Palatii, Angl. *the Seraglio*, Bibliotheca non reperiri.

Dolendum certe est quod illa inquisitio Turcis tantum fuerit commissa, Francis vero nunquam permissa. Præterea audivi T. Livium non in Palatina, sed in sanctæ Sophiæ Bibliotheca delitescere: dictum quoque mihi est eum non extare Latine, sed Græce. Magna quidem erit Latinitatis jactura, si Græca tantum Livii interpretatio maneat, at ingens adhuc foret ipsius interpretationis utilitas, cum, quod potissimum est, historiæ materiam, gestorum seriem, Livianamque narrationem sit allatura. Quod monitum volui, ut Principes, quibus literarum honor ac dignitas cordi sunt, videant quid per suos legatos hac in re tentare valeant. Operæ quoque pretium simul foret, si per Turcicam diffidentiam licet, Imperatorem exorare, ut titulos veterum suorum librorum Latinorum ac Græcorum, Arabicarum etiam interpretationum, communicatos vellet. Eoque magis instandum, quod ejus Bibliotheca, jam passa incendia, iis sit obnoxia. Hæc paulo fusius sum prosecutus, ob publicam utilitatem, et ut T. Livii fata spesque notescerent. Nunc ad Fragmentum libri XCI. illustrandum propero.

Nocte insequenti. Supplevi *nocte;* idque postulabat, quod mox sequitur, 'prima luce miraculo hostibus fuit.' *Nocte* erat sane scriptum in superiore pagina.

Ipso pervigilante. Ipso Sertorio pervigilante.

Tum erumpente validius ardescere igni. Si quis attenderit quæ supersint literæ, vacuumque spatium, is haud diffitebitur hunc esse Livii sensum.

Contrebienses. Contrebia, urbs citerioris Hispaniæ, seu Tarraconensis, nunc *Santa-Vert, in La Mancha.*

L. (forte potius Caio) Instelo, præfecto equitum. Is mihi videtur esse C. Instelus, præfectus equitum, qui infra memoratur. Proclivis autem fuit error, ut L. pro C. maxime in unciali charactere, ac detrito legeretur. Si L. Instelus legendus est, quæ sit ejus dignitas militaris ignoratur.

Hiberum flumen. Nunc *the Ebro* dicitur; de quo Plinius, III. 3. 'Iberus amnis navigabili commercio dives, ortus in Cantabris, haud procul oppido Juliobrica, (nunc *Fuentes, on the Ebro,*) per CCCCL. M. pass. fluens: navium per CCLX. M. a Varia oppido, (nunc *Logroño, in Old Castile,* de quo infra adhuc dicetur,) capax, quem propter universam Hispaniam Græci appellavere Iberiam.' Videre est apud eruditum Florez, *Medallas de España,*

Tab. LII. n. 12. rarissimum insignemque nummum, in quo caput hominis ex ore aquam projicientis: infra HIBERVS. Inde constat tum antiqua orthographia, cui favet codex Vaticanus, tum Hispanum fluminis symbolum.

Oppidum, quod Castra Ælia vocatur. Oppidum illud uni Livio memoratum, propinquum fuit Hibero flumini: ita sane dictum, ab Ælio aliquo qui castra ibi condiderit. In Oscæ, nunc *Huesca, in Arragon,* nummis memoratur C. AELIVS II VIR, id est, 'C. Ælius duumvir.'

Quæ aut itineribus. Hæc Cl. Bruns sine ulla distinctione cum sequentibus 'nova mane &c.' conjungebat. Quod quam vitiosum sit satis indicat rerum verborumque series.

Oppugnationibus variisque præliis labefacta. Ita supplendum monstrant et superstites literæ, et vacuum ipsum spatium. Arma autem itineribus, oppugnationibus, præliis deteri, labefieri notum ac compertum est. Nec de itineribus mirum videatur, cum in iis sæpe cædendæ essent materiæ, aliaque præstanda, quæ passim occurrunt in anaglyphis Columnæ Trajanæ.

Divisit militi. Supplendum, ut patet, *militi* vel *militibus.* Placet magis *militi,* ne ambigua sint quæ sequuntur.

Tum quoque ipsos. Ipsos quoque centuriones armis instruxit. Quæ manent literæ, Supplementum satis indicant.

Vestimentaque addita. Nec difficile quoque fuit Supplementum, per se satis obvium.

Et operarum impendium. Fabros enim advocaverat. Id, ut opinor, et loco et narrationi accommodatum videbitur.

Bitumen excoqueretur. Aut *excoqueretur,* aut *eliquaretur* supplendum. Sertorius machinarum scientia et usu peritissimus, ut videre est apud Plutarchum in ejus vita, adversus hostes et bitumine et malleolis et falaricis utebatur, maxime cum incendendæ essent eorum turres. De his machinamentis Vegetius, de Re militari, IV. 18. 'Quod si oppidani exire non audeant, majores balistas, malleolos vel falaricas cum incendio destinant, ut perruptis coriis, vel centonibus, intrinsecus flamma condatur. Malleoli velut sagittæ sunt, et ubi adhæserint, quia ardentes sunt, universa conflagrant. Falarica autem, ad modum hastæ, valido præfigitur ferro: inter tubum et hastile, sulphure, resina, bitumine, stuppisque convolvitur infuso oleo, quod incendiarium vocant, quæ balistæ impetu destinata, perrupto munimine ardens figitur ligno,

turritamque machinam frequenter incendit.' Falarica usos esse Saguntinos docet Livius, XXI. 8. 'Falarica' autem 'erat Saguntinis, missile telum, hastili oblongo, et cetera tereti; præterquam ad extremum, unde ferrum extabat: id sicut in pilo, quadratum stuppa circumligabant, linebantque pice. Ferrum autem tres in longum habebat pedes, ut cum armis transfigere corpus posset.' Antiqua arma in Celtiberia reperta exhibet Serenissimus Princeps Hispaniæ, D. Gabriel, in egregio suo opere, Sallustio, p. 303.

In ministerium tardior. Locus omnino corruptus ab ipso vetere librario, si quidem in codice Vaticano legitur *inixogivitium-udio.* Ni tamen me mea fallit conjectura, ad Livii sensum proxime accedunt, quæ reposui. Erunt forte qui conjiciant, *in hoc servitium tardior.* At displicet *servitium* hoc sensu usurpatum, nec Livianum est.

Summatim prioris belli....militum virtute. Hæc conveniunt iis quæ antecedunt, et loco, qui in codice legi non potest.

Consilio providisset. Hæc quoque satis indicantur rerum serie.

Omnibus conducerent, quibusque sibi possent res servare. Antecedentia et reliquæ literæ hæc indigitant.

Viginti milibus. Libri veteres, Inscriptiones, ut et hic codex Vaticanus Livii, sæpe habent *milibus, milia.* Sed et ipse quoque mox habet *mille.*

Ilurcaonum. Ilurcaones oram maritimam ad ostia fluminis Hiberi, *the Ebro,* habitabant: nunc *the southern part of Catalonia, and the northern part of Valencia.* Forte melius scriberetur *Ilercaonum.* Ipse Livius, XXII. 21. dixit *in agro Ilercaonensium;* et ipse mox infra in Fragmento memorat Ilercaoniam. In Plinio, III. 3. legitur regio *Ilergaonum.* Multa est apud antiquos scriptores in scribendis nominibus varietas. Iidem enim Julio Cæsari, de Bello civili, I. 59. dicuntur *Illurgavonenses.* Ptolemæo, II. 6. Ἰλερκάονες.

Pompeius. In codice Vaticano librarius scripsit *Ponpeius, Ponpeii, inploratam.* Vitia sunt pronuntiationis et scripturæ, quæ ex nummis et lapidibus corrigere pronum est.

L. Hertuleium. Perperam Epitome Liviana libr. XCI. habet, *Herculeius;* Fragmenta Sallustii, *Hirtuleius.* Verum nomen prodit antiquissimus hic Livii codex, ut recte observavit Cl. Bruns.

In alteram provinciam. In Hispaniam ulteriorem; videturque

Hertuleius fuisse in Lusitaniæ finibus, *Portugal,* quæ pars erat Hispaniæ ulterioris.

Inierat adversus eum eundi, neque in præsentiarum incursurum. Quæ superant in MS. codice, locusque ea suggerunt.

Superventurum. Jam pars verbi occurrit in MS. codice. Id quoque innuit, quod mox sequitur, 'incautos....aggressurum.'

Ab hostis vi tutari. Supplevi quæ indicabant reliquæ literæ.

Hiberones et Autalcones. Hi populi Citerioris Hispaniæ veteribus scriptoribus non memorantur. At cum Metello ad Celtiberos tendenti iter monstraverint, manifestum est eos habitasse in ea parte Hispaniæ, quam nunc dicimus *the eastern part of Old Castile, and part of Alava and Navarre.* Et ut videtur ex nominibus Hiberones Hibero flumini propiores, Autalcones Celtiberis. Opinor Livium scripsisse *ad Hiberones et Autalcones progredi. Ad* exciderit aut vitio librarii, aut extrita scriptura. Immo suspicor non fuisse scriptum *Hiberones,* sed *ad Berones.* In extritis enim literis falli potuit Cl. Bruns. Manet forte veteris nominis memoria in oppido quod nunc dicitur *Briones,* et Hibero flumini vicinum est, supra *Logroño.*

Gratiam querebatur infamem. Id et loco et veteris scripturæ vestigiis convenire mihi videtur. Pro *querebatur,* si quis malit, *reposcebat,* haud repugnabo.

Nuper oppugnarentur. Supplevi *nuper;* quod cum historia consensit.

Celtiberorum urbes. Non difficile fuit Supplementum, cum maxima pars in codice Ms. extaret. Celtiberi autem, Celtis, seu Gallis, et Hiberis mixti, unde iis nomen, illudque apud Hispanos bellorum studiis celebratissimum. Laudantur a Silio Italico, III. 340. 'Venere et Celtæ sociati nomen Hiberis. His pugna cecidisse decus.' Eam Hispaniæ partem tenuere, quam nunc dicimus *the western part of New Castile, and a great part of Arragon.*

Esse opem. In Ms. *ese;* ut jam alias monui, aut librarii vitio, aut detrita scriptura.

Ab Metello. Id necessario fuit supplendum. Metellus enim Occidentalem Hispaniæ partem tenebat; Pompeius autem Orientalem. Unde unus Metellus implorare opem poterat, ut subveniret Celtiberis.

Quam perfidiam ultum ire .... populos incurset. Magnus hic ob

extritam scripturam hiatus, quem convenienter loco et tempori explevisse mihi videor.

Contestania. Contestania, seu Contestanorum regio, erat infra Ilercaoniam ; et oram maritimam Hispaniæ, Orientem versus occupabat, ubi nunc *a great part of Valencia, and part of Murcia.*

Lusitaniam. Perperam aut librarius scripsit, aut Cl. Bruns legit *Rusitaniam.* Certo certius legendum *Lusitaniam,* cujus pars magna nunc *Portugal.*

Bursaonum. Bursaones Plinio, III. 3. dicuntur *Bursaonenses.* Erant e centum quinquaginta duobus populis, qui Cæsaraugustam, nunc *Saragossa,* juris causa, conveniebant. Principem eorum urbem Βούρσαδα, Ptolemæus, II. 6. Celtiberorum urbibus accenset. Videntur habitasse Hispaniæ partem, quam nunc dicimus *la Mancha.*

Casuantinorum. Cum Plinius, III. 3. in hoc populorum tractu memoret *Cascantenses ;* et Ptolemæus, II. 6. urbem Κάσκαντον, nunc *Cascante, in Navarre,* trans Hiberum fluvium ; crediderim Casuantinos a Livio memoratos eosdem esse ac Cascantenses : aut incompertum qui sint illi *Casuantini.*

Graccuritanorum. Urbs princeps Graccuritanorum erat Graccuris, nunc *Agreda, in Old Castile.* De hac urbe Festus : ‘ Gracchuris urbs Hiberæ regionis, dictæ a Graccho Sempronio, quæ antea Illurcis nominabatur.’ Nec aliter Epitome Livii, libr. XLI. ‘ Tib. Sempronius Gracchus proconsul Celtiberos victos in deditionem accepit : monumentumque operum suorum, Gracchurim oppidum in Hispania constituit.’ Veterem nominis orthographiam retinuit MS. codex Vaticanus, ut constat ex nummis inscriptis MUNICIP. GRACCVRIS, id est, ‘ municipium Graccuris.’

Calagurim Nasicam. Calaguris Nasica, nunc *Calahorra, in Old Castile.* Hujus urbis nummus ex ære mediocri perrarus extat apud eruditum Florez, *Medallas de España,* Tab. XI. num. 9. p. 259. Ex una parte caput hominis nudum ; ex altera parte, bos. Supra, CALAGVRRI. infra, IVLIA. Nempe Calagurris Julia Nassica municipium erat, forte ita dictum a Cornelio Scipione Nasica. Plinius, III. 3. memorat *Calaguritanos,* ‘ qui Nassici cognominantur.’ Fuit et Calaguris Fibularia; unde Plinius loc. cit. appellat *Calaguritanos,* ‘ qui Fibularenses cognominantur.’ Illa Calaguris debet esse *Lahorra, in Navarre.*

Amnem propinquum urbi. Amnis ille est Hiberus.

Venit. In MS. *benit.* Nempe ex vitiosa pronuntiatione librarii, quæ adhuc frequens est in Hispania, Aquitania, &c. Inde similis error frequens occurrit in veteribus Inscriptionibus.

Arvacos. Plinio, III. 3. et IV. 20. appellantur *Arevaci.* Celtiberis vicini erant, Occidentem versus; immo et pars Celtiberorum: unde dicebantur Arevaci Celtiberi, nunc *the eastern part of Old Castile.* Nomen ducebant ab Areva fluvio, nunc *the river Arlençon,* qui urbem *Burgos* alluit. *Arevacis nomen dedit fluvius Areva.* Plinius, III. 3.

Cerindones. Populus soli Livio nominatus; et certe Arevacis vicinus. In hoc situ Plinius memorat Pelendones, partem quoque Celtiberorum. Quatuor populis constabant Pelendones, quorum unus videntur fuisse Cerindones. Plinius, III. 3. 'Pelendones Celtiberorum, quatuor populis: quorum Numantini,' nunc *the Ruins of Numantia, in Old Castile, near the town of Soria.* In vetere Inscriptione apud Gruterum, CXI. 5. PELLENDONES. AREVACON.

Contrebiam. Urbs illa diversa est a Contrebia, quam a Sertorio expugnatam initio fragmenti vidimus. Contrebia, quæ appellabatur Leucada, debuit esse Calaguri Nasicæ vicina, Occidentem versus, si quidem præter hanc urbem opportunissimus erat ex Beronibus transitus.

Beronibus. Ptolemæo, II. 6. Βήρωνες. Hiberum fluvium accolebant. Inter eorum oppida erat Tritium, nunc *Tricio, near Riaza.* Jam monui Beronum nomen manere in oppido *Briones.*

Segoviam. Nunc quoque *Segovia, in Old Castile.*

Vacreorum. Pronum est divinare emendandum esse *Vaccæorum.* At cum Plinius, III. 3. memoret Vaccæos, quorum XVIII. erant civitates, quas inter appellat Intercatienses, Pallantinos, Lacobricenses, Caucenses: earum quoque e numero potuerunt esse Vacrei. Vaccæi autem, quorum pars certe fuere Vacrei, eam Hispaniæ partem tenebant, quam nunc dicimus *part of Old Castile in the province of Leon,* ubi urbes *Palencia, Valladolid, Salamanca.*

Contrebiæ. Contrebiæ, nunc *Taracona,* quam Sertorius expugnaverat, ut dictum est initio Fragmenti.

Per Umconum agrum. Umcones, ut patet ex ipso Sertorii itinere, fuere cis Hiberum flumen, supra urbem Calagurim Nasicam, ubi nunc *the southern part of Navarre,* Orientem versus.

Vironum. Umconibus vicini erant Virones, et Hiberum flumen accolebant; nunc *the southern part of Navarre,* Occidentem versus.

Vareiam. Vareia, urbs erat Vironum, nunc *Logroño, in Navarre,* Hibero flumini apposita.

Haud inopinantibus Vareianis. Supplevi *Vareianis,* ut locus ipse postulabat.

Suæ gentis. Gentis Vironum, quorum urbs validissima erat Vareia. Ptolemæus, II. 6. Virones omisit; et Vareiam Beronibus attribuit.

Et Autrigonum accitis. In MS. codice *et Autric.* Supplevi, et Autrigonum *accitis.* Licet Cl. Bruns legerit AVTRIC. Certe fuit scriptum AVTRIG. Ptolemæo, II. 6. dicuntur Αὐτρίγονες; et juxta Plinium, III. 3. Autrigonum decem erant civitates. Habitabant Hispaniæ partem quam appellamus *the northern part of Old Castile.* Decem civitatum una fuit Virovesca, nunc *Birbiesca.*

Cl. Bruns, cum hoc T. Livii Fragmentum edidit, Inscriptionem de bello Sertoriano protulit, quam Barcinone repertam fert MS. codex Marcanovæ, qui Venetiis in Bibliotheca Illustr. Cornaro asservatur.

D. M. S.

BELLO SERTORIANO
VVLNERE SVSCEPTO
A KALAGVRITANO NITIA
QVEM MANV EXTEMPLO
FODI. ACQVIRENDAE
VALITVDINIS GRATIA
BARCINONAM PECII.
ESCVLAPIO VOTA VOVI.
TEMPLVM INGRATO VT
FIERET STATVI. MORTE
INMATVRA ME INTERCI
PIENTE. ET AB VALITVDI
NE. ET AB AVRA ADVLE
SCENTEM MISERABILI
TER DESTITVTVM VIDES
EQVITVM. MAGISTER. SP. POMPEANVS.

Licet Marcanova curiosus fuerit veterum monumentorum accumulator, illa Inscriptio, nescio quid recens et adulterinum spirare mihi videtur. Suspecta quoque visa est, Scaligero Inscriptio altera, quam tamen ex erudito Resendio, ut inventam apud Exarramam fluvium in Lusitania, habet Gruterus, p. 16. num. 2.

I. O. M.

OB PVLSOS A Q. SER
TORIO METELLVM
ADQ. POMP.
IVN. DONACE
CORON. ET SCEPTRVM
EX ARG. MVNVS
ADTVLIT
FLAMINICAE PHIA
LAM CAELATAM
HIERODVLIS COE
NAM DEDIT.

Certæ et indubitatæ fidei monumentis illustratur ac commendatur antiquitas: suspectis spuriisque obscuratur et deteritur.

APPENDIX

CHRONOLOGICA.

APPENDIX hæc Chronologica summam, qua Cornelius Tacitus in scribenda historia usus est, artem reteget. Tristia enim et sæva tempora cursaturus, ita totius ævi Romani molem complexus est, ut assidua temporum, rerum, hominum, eventuumque comparatione, et ab historia tædium amoverit, et legentium animos ad scelerum odia, studia virtutis, atque eximiam in adversis ac secundis rebus prudentiam erexerit. Multos quoque juvabit nosse, quomodo Tacitus præcipuas variasque populi Romani res spectaverit. Potuissem equidem altius veterem memoriam repetere, et quæ de Mose, Bocchori, Rhamse, Cyro, aliisque populorum antiquitatibus memorat, colligere. At hæc disjecta nimis, jamque innotescunt, nec in tantas patent utilitates. Sit ergo satis Romana tantum tempora relegere, eaque usque ad Trajani finem continuare.

A. U. 1. A. C. 752.—Romulus Urbis Romæ conditor. Tacit. Annal. IV. 9.

Pomœrium Urbis a Romulo positum. Annal. XII. 24.

Urbem Romam a principio reges habuere. Annal. I. 1.

Romulus, ut libitum, imperitat. Annal. III. 26.

A. U. 2. A. C. 751.—Romulus patres legit. Eæ patriciorum familiæ, dictæ postea *majorum gentium*. Annal. XI. 25.

A. U. 6. A. C. 747.—Ædem Statoris Jovis vovet Romulus. Annal. XV. 41.

A. U. 7. A. C. 746. Capitolium a T. Tatio Urbi additum. Annal. XII. 24.

Tatius, retinendis Sabinorum sacris, sodales Tatios instituit. Annal. I. 54. Hist. II. 95.

A. U. 16. A. C. 737.—Romulus tantum sapientia valet, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habeat. Annal. XI. 24.

A. U. 39. A. C. 714.—Quirinus Deum numero additus. Annal. IV. 38.

A. U. 40. A. C. 713.—Numa religionibus et divino jure populum devincit. Annal. III. 26.

Numæ regia. Annal. XV. 41.

A. U. 85. A. C. 668.—Sacra piaculaque ex legibus Tulli regis instituta. Annal. XII. 8. III. 26.

A. U. 115. A. C. 638.—Reperta quædam ab Anco divini juris. Annal. III. 26.

A. U. 140. A. C. 613.—Equorum certamina a Thuriis accita. Annal. XIV. 21.

A. U. 141. A. C. 612.—Capitolium vovet Tarquinius Priscus rex, bello Sabino; jacitque fundamenta, spe magis futuræ magnitudinis, quam quo modicæ adhuc populi Romani res sufficerent. Hist. III. 72.

A. U. 177. A. C. 576.—Servius Tullius sanctor præcipuus legum fuit, quis etiam reges obtemperarent. Annal. III. 26.

Templum Lunæ a Servio Tullio sacratum. Annal. XV. 41.

A. U. 183. A. C. 570.—Servius Tullius, sociorum studio, Capitolium exstruere aggreditur. Hist. III. 72.

A. U. 225. A. C. 528.—Tarquinius Superbus, capta Suessa Pometia, Capitolium exstruit: haud perfecit. Sed gloria operis libertati reservata. Hist. III. 72.

A. U. 244. A. C. 509.—Tarquinii exacti. Annal. XI. 22.

A. U. 245. A. C. 508.—Libertatem et consulaum L. Brutus instituit. Annal. I. 1.

Brutus patrum numerum supplet. Eæ familiæ *minorum gentium* appellatæ. Annal. XI. 25.

A. U. 247. A. C. 506.—Horatius Pulvillus, iterum consul, Capitolium dedicat, ea magnificentia, quam immensæ postea populi Romani opes ornarent potius, quam augerent. Hist. III. 72.

Urbs Porsenæ dedita, Tuscisque dati obsides. Hist. III. 72. Annal. XI. 24.

A. U. 250. A. C. 503.—Attus Clausus, origine Sabina, gentis Claudiæ auctor. Annal. IV. 9. XI. 24.

Patricii Claudii ab Atto Clauso continui duravere sine ulla adoptione, usque ad Domitium a Claudio, Principe, adoptatum. Annal. XII. 25.

A. U. 256. A. C. 497.—Dictaturæ ad tempus sumtæ. Annal. I. 1.

A. U. 258. A. C. 495.—A. Postumius, dictator, Libero Liberæque et Cereri ædem juxta Circum maximum vovet. Annal. II. 49.

A. U. 277. A. C. 476.—Cremerensis clades. Hist. II. 91.

A. U. 300. A. C. 453.—Adversus patrum factiones multa populus parat, tuendæ libertatis et firmandæ concordiæ causa. Accita quæ usquam legum egregia. Annal. III. 27.

A. U. 303. A. C. 450.—Creati decemviri, et compositæ duodecim tabulæ, finis æqui juris. Annal. III. 27.

Vetus Urbi fœnebre malum, et seditionum discordiarumque creberrima causa. Duodecim tabulis sanctum, ne quis unciario fœnore amplius exerceret; cum antea ex libidine locupletium agitaretur. Annal. VI. 16.

Decemviralis potestas haud ultra biennium. Annal. I. 1.

A. U. 307. A. C. 446.—Quæstores creati Valerius Potitus et Æmilius Mamercus, ut rem militarem comitarentur. Annal. XI. 22.

A. U. 310. A. C. 443.—Tribunorum militum consulare jus non diu valuit. Annal. I. 1.

A. U. 364. A. C. 389.—Alliensis clades. Hist. II. 91.

Capta a Gallis Roma. Annal. XI. 24.

XIV. Calendas Sextiles captam Urbem Senones inflammant. Annal. XV. 41.

Post Gallica incendia, Urbs nulla distinctione passim erecta. Annal. XV. 43.

A. U. 390. A. C. 363.—Histriones a Tuscis acciti. Annal. XIV. 21.

A. U. 407. A. C. 346.—Unciarium fœnus, rogatione tribunicia, ad semuncias redactum. Annal. VI. 16.

A. U. 412. A. C. 341.—Vetita versura. Annal. VI. 16.

Post multis plebis scitis obviam itum fœneratorum fraudibus. Sed toties repressæ, miras per artes rursum oriebantur. Annal. VI. 16.

A. U. 423. A. C. 330.—Arbela, castellum insigne fama; quod postremo inter Darium atque Alexandrum prælio Persarum illic opes concidere. Annal. XII. 13.

A. U. 430. A. C. 323.—Mors Alexandri Magni. *Ejus virtutum fatorumque cum Germanici virtutibus fatisque comparatio.* Annal. II. 73.

A. U. 433. A. C. 320.—Caudina clades. Annal. XV. 13.

Samnitium jugum subeunt Romani. Annal. XI. 24.

A. U. 476. A. C. 277.—Fabricius consul senatusque Romanus venenum in Pyrrhum regem vetant produntque. Annal. II. 88.

A. U. 485. A. C. 268.—Duplicatus quæstorum numerus, stipendiaria jam Italia, et accedentibus provinciarum vectigalibus. Annal. XI. 22.

A. U. 490. A. C. 263.—Primum bellum Punicum. Spei ædem hoc bello vovet Atilius. Annal. II. 49.

A. U. 494. A. C. 259.—Jani templum apud forum olitorium a C. Duillio structum, qui primus rem Romanam prospere mari gessit, triumphumque navalem de Pœnis meruit. Annal. II. 49.

A. U. 512. A. C. 241.—Aulum Postumium, consulem, sed flaminem Dialem, in Siciliam ad classem proficiscentem, ad sacra retinet L. Metellus pontifex maximus. Annal. III. 71.

A. U. 536. A. C. 217.—Secundum bellum Punicum. Hannibal in Italiam ingruit. Annal. III. 34.

Cremona condita. Hist. III. 34.

A. U. 541. A. C. 212.—Oppiæ leges, quis constricta fœminarum licentia. Annal. III. 33.

Bellum Macedonum. Icta cum Romanis Lydorum fœdera. Annal. IV. 55.

A. U. 550. A. C. 203.—Lex Cincia, qua cavetur ne quis ob causam orandam pecuniam donumve accipiat. Annal. XI. 5. et XV. 20.

Marcus Lepidus Ptolemæi liberis tutor in Egyptum missus. Annal. II. 67.

A. U. 553. A. C. 200.—Syphacem P. Scipio triumphans populo Romano ostendit. Annal. XII. 38.

A. U. 559. A. C. 194.—Smyrnæi primi omnium, templum urbis Romæ statuunt: magnis quidem jam Romani imperii rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica urbe, et validis per Asiam regibus. Annal. IV. 56.

A. U. 562. A. C. 191.—Bellum Syriacum. Byzantii copias mittunt in Antiochum. Annal. XII. 62.

A. U. 564. A. C. 189.—L. Scipio, pulso Antiocho, fidem atque virtutem Magnetum decorat. Annal. III. 62.

A. U. 583. A. C. 170.—Bellum Persei, Macedonum regis. Quo in bello studia urbium Asiæ in populum Romanum. Annal. IV. 55.

Byzantii copias mittunt in Regem Persen. Annal. XII. 62.

A. U. 587. A. C. 166.—L. Paulus Æmilius triumphat, ducto ante currum Perse Macedonum rege. Annal. XII. 38.

A. U. 604. A. C. 149.—Servius Galba a Catone censorio accusatus. Annal. III. 66.

A. U. 605. A. C. 148.—Magistratuum avaritia parit Calpurnia scita de repetundis. Annal. XV. 20.

Tertium bellum Punicum. P. Scipio, quamvis flagrante adhuc Pœnorum bello, apud Siciliam Romanum militaremque cultum exuit, ut externorum morum æmulatione animos devinciat. Annal. II. 59.

A. U. 606. A. C. 147.—Byzantiorum ictum cum Romanis fœdus, qua tempestate bellatum adversus regem Macedonum, cui, ut degeneri, Pseudophilippi vocabulum impositum. Annal. XII. 62.

A. U. 608. A. C. 145.—Possessa Achaia Asiaque, ludi curatius Romæ editi. Annal. XIV. 21.

L. Mummius primus Græci certaminis spectaculum in Urbe præbet. Annal. XIV. 21.

A. U. 610. A. C. 143.—Aqua Marcia ad Urbem deducta. Annal. XIV. 22.

A. U. 617. A. C. 136.—Numantina clades. Annal. XV. 13.

A. U. 621. A. C. 132.—Dissensione ordinum, et apiscendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava latæ leges. Annal. III. 27.

Tiberius Gracchus turbator plebis. Annal. III. 27.

Discordiæ consulum apud tribunos, agrariæ frumentariæque leges, plebis et optimatium certamina. Annal. IV. 32.

L. Cotta a Scipione Africano accusatus. Annal. III. 66.

A. U. 623. A. C. 130.—Bellum Aristonici. Byzantii copias mittunt in Aristonicum. Annal. IV. 55. et XII. 62.

Ubi subacto orbe, et æmulis urbibus regibusve excisis, securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter patres plebemque

certamina exarsere. Modo turbulenti tribuni, modo consules prævalidi, et in Urbe ac foro tentamenta civilium bellorum. Hist. II. 38.

A. U. 632. A. C. 121.—Semproniis rogationibus equester ordo in possessione judiciorum locatur. Annal. XII. 60.

C. Gracchus turbator plebis. Annal. III. 27.

A. U. 641. A. C. 112.—Cimbrorum arma primum audita sunt, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone consulibus. De Mor. German. cap. 37.

Papirius Carbo consul a Germanis fusus. ibid.

A. U. 645. A. C. 108.—P. Rutilius a M. Scauro accusatus. Annal. III. 66.

Rutilius et Scaurus suam ipsi vitam postea narravere, fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati. Vit. Agric. cap. 1.

A. U. 646. A. C. 107.—Aurelius Scaurus a Germanis captus. De Mor. German. cap. 37.

A. U. 647. A. C. 106.—Cassius a Germanis victus cæsusque. De Mor. German. cap. 37.

A. U. 648. A. C. 105.—Serviliæ leges senatui judicia reddunt. Annal. XII. 60.

A. U. 649. A. C. 104.—Servilius Cæpio et Cn. Manlius a Germanis fusi. De mor. German. cap. 37.

A. U. 652. A. C. 101.—Piraticum bellum. Annal. XII. 62.

Hoc bello a Byzantiis adjutus Antonius. Annal. XII. 62.

A. U. 653. A. C. 100.—Germani a C. Mario in Italia victi: at non impune. De Mor. German. cap. 37.

A. U. 654. A. C. 99.—Saturninus turbator plebis. Annal. III. 27.

A. U. 658. A. C. 95.—Ptolemæus, Cyrenarum rex, cui cognomentum Apionis fuit, agros populo Romano cum regno relinquit. Annal. XIV. 18.

A. U. 660. A. C. 93.—P. Rutilium, legibus pulsum, civem sibi Smyrnæi addidere. Annal. IV. 43.

A. U. 662. A. C. 91.—L. Crasso et Domitio censoribus rhetores cludere ludum impudentiæ jussi sunt. Dialog. de Orat. cap. 35.

A. U. 663. A. C. 90.—Turbator plebis, nec minor largitor, nomine senatus, Drusus: corrupti spe, aut illusi per intercessionem socii. Inde bellum Italicum. Annal. III. 27.

A. U. 666. A. C. 87.—Mithridaticum bellum. Athenienses socii sunt Mithridatis adversus Syllam. Annal. II. 55.

Jussu regis Mithridatis apud cunctas Asiæ insulas et urbes trucidantur Romani. Annal. IV. 14.

Coi, fidem suam tum testati, cives Romanos templo Æsculapii induxere. Annal IV. 14.

Multa eorundem in populum Romanum merita, sociæque victoriæ. Annal. XII. 61.

Gravissimo in discrimine exercitus, ob asperitatem hyemis et penuriam vestis, cum id Smyrnam in concionem nuntiatum foret, omnes, qui astabant, detraxere corpori tegmina, Romanisque legionibus miserunt. Annal. IV. 56.

Bellum civile. Multæ et diversæ leges. Annal. III. 27. Marius et Sylla de judiciorum jure præcipue bellant. Annal. XII. 60.

E plebe infima C. Marius, et nobilium sævissimus L. Sylla, victam armis libertatem in dominationem vertunt. Hist. II. 38.

Cn. Pompeius octavodecimo ætatis anno civilia bella sustinet. Annal. XIII. 6.

Cn. Pompeius Mario Syllaque occultior, non melior. Et nunquam postea nisi de principatu quæsitum. Hist. II. 38.

A. U. 667. A. C. 86.—Haud longa Cinnæ dominatio. Annal. I. 1.

Prælio, quo apud Janiculum adversus Cinnam pugnatum est, Pompeianus miles fratrem suum, dein, cognito facinore, seipsum interficit. Tanto acrior apud majores, sicut virtutibus gloria, ita flagitiis pœnitentia fuit. Hist. III. 51.

Cornelii Merulæ, flaminis Dialis, cædes. Sex et septuaginta annis nemo post eum suffectus. Annal. III. 58.

A. U. 670. A. C. 84.—L. Sylla, pulso Mithridate, fidem atque virtutem Magnetum decorat. Annal. III. 62.

A. U. 671. A. C. 83.—Ardet Capitolium civili bello, sed fraude privata. Annal. VI. 12. et Hist. III. 72.

Arsere et Sibyllini libri. Quæsita Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam, et Italicas colonias carmina Sibyllæ, una seu plures fuere; datumque sacerdotibus negotium, quantum humana ope potuissent, vera discernere. Annal. VI. 12.

Capitolium iisdem rursus vestigiis situm exstruendi curam victor Sylla suscipit. Hist. III. 72.

A. U. 672. A. C. 81.—L. Sylla dictator, abolitis vel conversis prioribus legibus, plura addit; et tribunorum plebis licentiam tollit. Annal. III. 27.

Lege Syllæ viginti quæstores creati supplendo senatui, cui judicia tradiderat. Annal. XI. 22.

A. U. 673. A. C. 80.—Pomœrium Urbis a L. Sylla auctum. Annal. XII. 23.

A. U. 675. A. C. 78.—Haud longa Syllæ dominatio. Annal. I. 1.

A. U. 676. A. C. 77.—Sylla moritur. Hoc solum felicitati ejus negatum, quod Capitolium non dedicaverit. Hist. III. 72.

Lutatius Catulus, consul, Capitolium dedicat; ejusque nomen, inter tanta Cæsarum opera, usque ad Vitellium mansit. Hist. III. 72.

Turbidæ Lepidi rogationes, ut acta mortui Syllæ rescinderentur. Annal. III. 27.

A. U. 680. A. C. 73.—Sertorii atque Mithridatis ingentibus bellis labat respublica. Annal. III. 73.

A. U. 681. A. C. 72.—Cyziceni circumsessi haud minus sua constantia, quam præsidio Luculli, Mithridaten regem pellunt; ideoque libertatem adepti. Annal. IV. 36.

Servile bellum. Spartaco tamen, post multas consularium exercituum clades inultam Italiam urenti, haud datum ut pacto in fidem acciperetur. Annal. III. 83. et XV. 46.

A. U. 684. A. C. 69.—Tribunis plebis reddita licentia. Annal. III. 27.

Tum non modo in commune, sed in singulos homines latæ quæstiones; et corruptissima republica multæ leges. Annal. III. 27.

A. U. 685. A. C. 68.—L. Lucullus Armeniam penetrat, et itinera aperit. Annal. XV. 27.

Lex Roscia de equitum Romanorum loco apud theatrum. Annal. XV. 32.

A. U. 687. A. C. 66.—Cn. Pompeio, Piraticum bellum gesturo, multum a populo Romano potestatis datum. Annal. XV. 25.

Piratico bello Antonium adjuvant Byzantii. Annal. XII. 62.

A. U. 691. A. C. 62.—Romanorum primus Cn. Pompeius Judæos domuit; templumque jure victoriæ ingressus est. Muri Hierosolymorum diruti; delubrum mansit. Hist. V. 9.

A. U. 696. A. C. 57.—Germani a Julio Cæsare in Gallia victi. De Mor. German. cap. 37.

A. U. 699. A. C. 54.—Primus omnium Romanorum Julius Cæsar, cum exercitu Britanniam ingressus, quanquam prospera

pugna terruerit incolas, ac littore potitus sit, potest videri eam ostendisse posteris, non tradidisse. Vit. Agric. cap. 13.

Cn. Pompeius mansuram theatri sedem ponit; ideoque incusatus a senioribus. Annal. XIV. 20.

Antea subitariis gradibus, et scena in tempus structa, ludos edi solitum. Vetustioribus adhuc temporibus, stans populus ludos spectabat, ne si consideret, theatro dies totos ignavia continuaret. Annal. XIV. 20.

Pompeii Crassique potentia cito in Cæsarem cessura. Annal. I. 1.

A. U. 701. A. C. 52.—Crassus a Parthis trucidatus. Annal. II. 2. et de Mor. German. cap. 37.

Cassius debellati exercitus Romani reliquias servat; ipse postea Parthorum victor. Inde familia Cassia per illas gentes celebrata. Annal. XII. 2.

A. U. 702. A. C. 51.—Galli Julium Cæsarem apud *Alesiam* obsident. Annal. XI. 23.

Victore Cæsare, nullum breviore spatio, quam adversus Gallos confectum est bellum. Annal. XI. 24.

Cn. Pompeius, tertium consul, corrigendis moribus delectus. At gravior remediis, quam delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor. Annal. III. 28.

A. U. 706. A. C. 47.—Pharsalica pugna. Quæ armis tuebatur, armis amittit Cn. Pompeius. Annal. III. 28.

Pompeii potentia in Cæsarem cedit. Annal. I. 1.

Exin continua per viginti annos discordia: non mos, non jus: deterrima quæque impune; ac multa honesta exitio sunt. Annal. III. 28.

A. U. 707. A. C. 46.—Lex dictatoris Cæsaris de modo credendi possidendique intra Italiam. Annal. VI. 16.

Cæsar seditionem exercitus verbo uno compescit, *Quirites* vocando, qui sacramentum ejus detrectabant. Annal. I. 42.

A. U. 708. A. C. 45.—Dictator Cæsar lege Cassia patricios sublegit. Annal. XI. 25.

A. U. 709. A. C. 44.—Consul uno die fuit Caninius Rebilus, C. Cæsare dictatore, cum belli civilis præmia festinarentur. Hist. III. 37.

A. U. 710. A. C. 43.—Repentina vis dictatorem Cæsarem opprimit. Hist. III. 68.

Cæsar Octavianus nonodecimo ætatis anno civilia bella sustinet. Annal. XIII. 6.

Is, adolescens privatus, veteranos cupidine dominandi concitos per largitiones inflammat, exercitum parat, corrumpit consulis legiones, simulat Pompeianarum gratiam partium. Annal. I. 10.

A. U. 711. A. C. 42.—Cæsis Hirtio et Pansa consulibus, utriusque copias Octavius occupat; extorquet invito senatu consulatum, armaque, quæ in Antonium acceperat, contra rempublicam vertit. Annal. I. 10.

Triumviratus: proscriptio civium: divisiones agrorum. Annal. I. 10.

Cicero interficitur. Ab ejus interitu mutata eloquentia. Dialog. de Orat. cap. 24.

A. U. 712. A. C. 41.—Philippensis acies. Bruto et Cassio cæsis, nulla jam publica arma. Annal. I. 2. et III. 76.

A. U. 714. A. C. 39.—Perusinum bellum. Annal. V. 1.

Brundisinum fœdus. Annal. I. 10.

Stratonicenses Parthorum irruptionem, nihil mutata in populum Romanum constantia, perferunt. Annal. III. 62.

Regnum Judææ ab Antonio Herodi datum. Hist. V. 9.

A. U. 715. A. C. 38.—Pax inter Sex. Pompeium ac triumviros pacta. Annal. V. 1.

Pacorus, Judæa potitus, a P. Ventidio interficitur; et Parthi trans Euphraten redacti. Hist. V. 9.

Amisso Pacoro, infra Ventidium dejectus Oriens. De Mor. German. cap. 37.

A. U. 716. A. C. 37.—Cæsar, cupidine formæ, aufert Tiberio Neroni uxorem Liviam, incertum an invitam; adeo properus, ut ne spatio quidem ad enitendum dato, penatibus suis gravidam induxerit. Annal. V. 1.

Consulti per ludibrium pontifices, an concepto, necdum edito partu, rite nuberet. Annal. I. 10.

A. U. 717. A. C. 36.—Tarentinum fœdus. Annal. I. 10.

Agrippa Ubiorum gentem, Rheno transgressam, in fidem accipit. Annal. XII. 27.

Experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocantur, ut arceant, non ut custodiantur. De Mor. German. cap. 28.

Judæos C. Sosius subigit. Hist. V. 9.

A. U. 718. A. C. 35.—Lepidus, postquam socordia senuit, specie

quoque amicitiæ, legionibus exuitur. Annal. I. 2. 9. et 10.

Cæsar bellis civilibus Cilnium Mæcenatem, equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam præponit. Annal. VI. 2.

A. U. 719. A. C. 34.—Sextus Pompeius, pacis imagine deceptus, apud Siciliam opprimitur. Annal. I. 2. et 10.

A. U. 723. A. C. 30.—Actiaca victoria. Annal. I. 3.

Cæsar vultu et aspectu Actiacas legiones Brundisii turbantes exterret. Annal. I. 42.

A. U. 724. A. C. 29.—Antonio per libidines pessum dato, eoque interfecto, Cæsar, posito triumviri nomine, cuncta discordiis civilibus fessa, nomine *Principis*, sub imperium accipit. Annal. I. 2. et 9.

Luxus mensæ, a fine Actiaci belli, ad ea arma quis Ser. Galba rerum adeptus est, per annos centum profusis sumtibus exerciti. Annal. III. 55.

Princeps Augustus lege Sænia patricios sublegit. Annal. XI. 25.

Mauros Juba rex accipit, donum populi Romani. Annal. IV. 5.

Phraates, Parthorum rex, cuncta venerantium officia ad Augustum vertit; partemque prolis firmandæ amicitiæ mittit: haud perinde Romanorum metu, quam fidei popularium diffisus. Annal. II. 1.

A. U. 725. A. C. 28.—Augustus, inter alia dominationis arcana, seponit Ægyptum, vetitis, nisi permissu, ingredi senatoribus aut equitibus Romanis illustribus: ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam, claustraque terræ ac maris, quamvis levi præsidio, adversum ingentes exercitus insedisset. Annal. II. 59.

C. Oppius, Cornelius Balbus, Matius, Vedius, aliaque equitum Romanorum, sub Augusto Principe, prævalida nomina. Oppius et Balbus primi Cæsaris opibus potuere conditiones pacis et arbitria belli tractare. Annal. XII. 60.

Statilius Taurus, Marcius Philippus, Corn. Balbus hostiles exuvias, aut exundantes opes, ornatum ad Urbis et posterum gloriam conferunt. Annal. III. 72.

Augustus sibi atque urbi Romæ templum apud Pergamum sisti non prohibet. Annal. IV. 5.

A. U. 726. A. C. 27.—Sexto suo consulatu Cæsar Augustus, potentiæ securus, quæ triumviratu jusserat, abolet; datque jura, quis pace et Principe uteremur. Annal. III. 28.

A. U. 731. A. C. 22.—Piso, qui civili bello resurgentes in

Africa partes acerrimo ministerio adversus Cæsarem juverat; mox Brutum et Cassium secutus, concesso reditu, petitione honorum abstinebat, delatum ab Augusto consulatum accipit. Annal. II. 43.

Marcellus, flagrantibus plebis studiis, intra juventam, morte ereptus. Annal. II. 41.

M. Agrippæ Mitylenense secretum. Annal. XIV. 53.

A. U. 733. A. C. 20.—Augustus M. Agrippam generum sumit. Annal. I. 3. et Hist. I. 15.

Ejus filii Caius ac Lucius in familiam Cæsarum postea inducti. Ibid.

A. U. 734. A. C. 19.—Datus rex Armeniis a Cæsare Tigranes, deductusque in regnum a Tiberio Nerone. Annal. II. 3.

A. U. 736. A. C. 17.—M. Agrippa socius tribuniciæ potestatis deligitur. Annal. III. 56.

A. U. 737. A. C. 16.—Ludi sæculares ab Augusto editi. Annal. XI. 11.

A. U. 738. A. C. 15.—Lolliana clades. Annal. I. 10.

A. U. 742. A. C. 11.—M. Agrippa vita concessit. Annal. I. 3.

Sulpicius Quirinius, impiger militiæ, et acribus ministeriis, consulatum, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphi adeptus. Annal. III. 48.

A. U. 743. A. C. 10.—Germani a Druso in suis sedibus perculsi. De Mor. Germ. cap. 37.

A. U. 745. A. C. 8.—Drusus extinctus magnam sui apud Populum Romanum memoriam relinquit: credebatur enim, si rerum potitus foret, libertatem redditurus. Annal. I. 3. et 33.

Is aggerem coërcendo Rheno inchoaverat. Annal. XIII. 53.

A. U. 746. A. C. 7.—Pomœrium Urbis ab Augusto auctum. Annal. XII. 23.

Germani a Tiberio in suis sedibus perculsi, ac sæpe postea fusi. De Mor. Germ. cap. 37.

Mæcenas, Augusti amicitia præcipuus, moritur. Provecta tamen ætate speciem magis in amicitia Principis, quam vim tenuit, fato potentiæ raro sempiternæ. Annal. III. 30.

A. U. 747. A. C. 6.—Tiberii de Germanis triumphus. Annal. I. 4. et 34. II. 26.

Cum Germanis Tiberius, Germanicus, aliique duces rursum bellavere: multaque invicem damna. Non Samnis, non Pœni, non Hispaniæ, Galliæve, ne Parthi quidem sæpius admonuere: quippe

regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. De Mor. Germ. cap. 37.

A. U. 748. A. C. 5.—Jussu Augusti Armeniis impositus rex Artavasdes; post non sine clade Romana dejectus. Annal II. 3.

Defuncto Agrippa, Augustus Tiberium Neronem *potestatis* tribuniciæ socium delegit, ne successor in incerto foret. Annal. III. 56.

A. U. 749. A. C. 4.—Tiberius, ab uxore sua Julia spretus, Rhodum abscedit: ibique iram, et simulationem, secretas libidines meditatur. Annal. I. 4. et 53.

A. U. 750. A. C. 3.—Post mortem Herodis, Simon quidam in Judæa regium nomen invadit. Is a Quintilio Varo, obtinente Syriam, punitus: et gentem coërcitam liberi Herodis tripartito rexere. Hist. V. 9.

A. U. 752. A. C. 1.—Caius Cæsar componendæ Armeniæ *deligitur*. Is Ariobarzanem, origine Medum, ob insignem corporis formam, et præclarum animum, volentibus Armeniis præfecit. Annal. II. 4.

Caio Cæsari obtinenti Armeniam datus rector Sulpicius Quirinius. Annal. III. 48.

Ut valida Augusto in rempublicam fortuna, ita domi improspera fuit. Julia, ejus filia Tiberiique uxor, ob impudicitiam Pandataria insula, mox oppido Rheginorum, qui Siculum fretum accolunt, clausa. Annal. I. 53. et III. 24.

Julus Antonius, ob adulterium Juliæ, morte punitus. Annal. IV. 44.

Sempronius Gracchus, Juliæ pervicax adulter, amotus Cercinam Africi maris insulam. Annal. I. 53.

A. U. 755. J. C. 2.—Lucium Cæsarem euntem ad Hispanienses exercitus mors, vel Liviæ dolus, opprimit. Annal. I. 3.

A. U. 757. J. C. 4.—Caium Cæsarem remeantem Armenia, et vulnere invalidum, mors fato propera, vel novercæ Liviæ dolus, abstulit. Annal. I. 3.

Tum in Tiberium cuncta vergere: filius, collega imperii, consors tribuniciæ potestatis assumitur. Annal. I. 3. Hist. I. 15.

A Tiberio quoque, super propriam stirpem, Germanicus assumtus. Annal. XII. 25.

A. U. 759. J. C. 6.—Capito Ateius principem in civitate locum studiis civilibus obtinet. Consulatum ei acceleravit Augustus, ut

Labeonem Antistium iisdem artibus præcellentem anteiret. Annal. III. 75.

A. U. 760. J. C. 7.—Livia senem Augustum devinxerat adeo, uti nepotem unicum Agrippam Postumum in insulam Planasiam projiceret. Annal. I. 3.

A. U. 761. J. C. 8.—Julia, Augusti neptis, convicta adulterii, projicitur in insulam Trimetum, haud procul Apulis littoribus. Annal. IV. 71.

D. Silanus, ejus adulter, amicitia Augusti prohibetur; exiliumque sibi demonstrari intelligens, fugit. Annal. III. 24.

Augustus, commotus Cassii Severi libidine, qua viros fœminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat, primus cognitionem de famosis libellis, specie legis majestatis, tractat. Annal. I. 72.

Apud veteres fuit quoque lex majestatis; sed alia in judicium veniebant. Si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, *denique* male gesta republica majestatem populi Romani minuisset, facta arguebantur, dicta impune erant. Annal. I. 72.

A. U. 762. J. C. 9.—Augustus legem Papiam Poppæam incitandis cœlibum pœnis et augendo ærario sancit. Annal. III. 25.

Bellum Dalmaticum a Tiberio confectum. Ornospades haud inglorius auxiliator, eoque civitate Romana donatus. Annal. VI. 37.

Variana clades. Tres cum Varo legiones periere. Victor Arminius. Annal. I. 10. 59. et 62. de Mor. German. cap. 37.

A. U. 765. J. C. 12.—Tiberii de Pannoniis ac Dalmatis triumphus. Annal. I. 4. et 34.

Caius, Germanici et Agrippinæ filius, in castris nascitur: eum, in contubernio legionum eductum, militari vocabulo *Caligulam* appellant, quia plerumque ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum induebatur. Annal. I. 41.

A. U. 766. J. C. 13.—Augustus, cum Tiberio tribuniciam potestatem a patribus rursum postularet, quanquam honora oratione, quædam de habitu vultuque et institutis ejus jecerat, quæ velut excusando exprobraret. Inde fama ne Tiberium quidem caritate, aut reipublicæ cura ascitum: sed quoniam arrogantiam sævitiamque ejus introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quæsivisse. Annal. I. 10.

A. U. 767. J. C. 14.—Gravescere cœpit valetudo Augusti: et quidam scelus uxoris suspectabant. Tiberius properis matris

literis accitur: neque satis compertum, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam, an exanimem repererit. Excessisse Augustum et rerum potiri Tiberium fama eadem fert. Annal. I. 5.

HACTENUS veterem memoriam relegimus. Res autem Tiberii, Caii Caligulæ, Claudii, Neronis, Galbæ, Othonis, Vitellii, ipsaque Vespasiani initia, ab anno U. C. DCCLXVII. ad annum U. C. DCCCXXIV. Annalium, Historiarum, Supplementorum, Appendicisque libris, satis innotuere. At, ut brevitati simul et utilitati consulam, Vespasiani, Titi Domitiani, ac Nervæ res, quas cognoscere interest, in Appendice Chronologica summatim complectar. Et ne in hac Cæsarum historia desit exemplum optimi Principis, addidero res Trajani, Latinis Augustæ historiæ scriptoribus intactas, æterna tamen memoria dignissimas, quibusque vetus ætas nihil habet ad splendorem illustrius, ad documentum præstantius. Hæc igitur nostra Appendix florentissimi adhuc imperii Romani annos quadraginta continet, ab anno nempe U. C. DCCCXXV., Jesu Christi 72.; ad annum Urbis conditæ DCCCLXX., Jesu Christi 117.

VESPASIANUS.

A. U. 825. J. C. 72.—Vespasiano Augusto IV. Tito Cæsare II. consulibus. Invaluerant duo præcipua bellorum civilium mala, legum oblivio, et adversus dominantes audacia. In hac imperii pace, utrique subvenit Vespasianus. Urbi leges, regnatrici domui munimenta addita. Quo præcaverentur militares motus, prætoriarum cohortium præfecturam Titus accepit:[1] magnum equestris ordinis ornamentum, et paterni imperii tutamentum. Coërcita autem fœminarum licentia, pœna ancillas fore, quæ se alieno servo jungerent.[2] Repressa quoque creditorum sævitia; et interdictum ne filiorum familias fœneratoribus exigendi crediti jus unquam esset, ne post patrum quidem mortem.[3] Simul reficiebatur pulcherrimum ac vetustissimum imperii monumentum. Nempe tria millia ærearum tabularum, quibus continebantur, pæne ab exordio

1 *Accepit*] Plinius, in præfat.

2 *Jungerent*] Sueton. in Vespas. XI. Vide dicta Annal. XII. 53.

3 *Mortem*] Sueton. ibid. Id jam statuerat Claudius, ut dictum est Annal. XI. 13.

Urbis, senatusconsulta, plebiscita de societate, fœdere, privilegio cuicumque concessis, quæ, incenso Capitolio, conflagraverant, undique investigatis exemplaribus, reposita.[1] Ad conciliandos populi animos, datum a Tito congiarium.[2] Hæc popularitatis studia aversabatur Helvidius Priscus,[3] Thraseæ genere, et severioris philosophiæ placita sectatus. Integræ libertatis cupitor, querebatur publicum servitium civilibus Vespasiani studiis certius, quam priorum Principum vitiis, induci. Inde acerbior quævis principatus acta carpebat, sententiarum quoque, quas Princeps in senatu afferret, assiduus obtrectator. Vespasianus tales sui contumelias diu tulit, Helvidii integritatem, et Thraseæ, cui ipse amicus fuerat, virtutem reveritus. Ne tamen infringeretur auctoritas, Helvidium monuit, ut vel contumaciam exueret, vel sileret.[4] Contra ille in dies pervicacior et infensior, primum exilio, dein morte, vel invito Principe, multatus est. Philosophi, ut procacia ingenia, Urbe summoti. Musonius, favore Muciani, commune discrimen solus effugit. Demetrius et Hostilius, majoris petulantiæ, in insulas relegati.[5] Interim Petilius Cerialis, confecto bello Germanico, in Britanniam fuerat missus. Decessore suo Vettio Bolano validior terrorem statim intulit, Brigantum civitatem aggressus. Multa prælia, et aliquando non incruenta: magnam Brigantum partem aut victoria amplexus est, aut bello.[6]

A. U. 826. J. C. 73.—Fl. Domitiano Cæsare II. M. Valerio Messalino consulibus, ut cresceret favor congiarium a Domitiano datum. In eo visi senes, qui se a Divo Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant.[7] Grandævos alios multos prodidit census, qui tum peragebatur; et ne singulis moremur, res est confessa in regione Italiæ octava[8] centenum annorum censos fuisse homines LIV. centenum denum homines XIV. centenum vicenum quinum homines duos, centenum tricenum homines quatuor, centenum tricenum quinum aut septenum, totidem, cen-

1 *Reposita*] Sueton. in Vespas. VIII.

2 *Congiarium*] Memoratur in Titi nummis.

3 *Helvidius Priscus*] Laudatus Annal. XVI. 28. et 35. Ejus mores, offensæ gloriæque initium, Hist. IV. 5.

4 *Vel sileret*] De his plura Arrianus in Epictet. I. 2.

5 *Relegati*] Dio, LXVI. p. 751.

6 *Aut bello*] Tacit. Vit. Agric. cap. 17. et Hist. IV. 68. et seq.

7 *Narrabant*] Tacit. Dialog. de Orat. cap. 17.

8 *Regione Italiæ octava*] Inter Ariminum, *Rimini*, et Placentiam, *Placenza*.

tenum quadragenum homines tres.[1] Id tanto curiosius observatum, quod mortalitas in longi ævi spes sit semper intenta, et ætas Principis ad senium vergeret. Placuit in eadem censura explorari magnitudinem Urbis, quam ex tantulis initiis virtus Romana in immensum extulerat. Compertum mœnia ejus collegisse ambitu pass. XIII M CC.[2] Ejusdem spatium mensura currente a milliario in capite Romani fori statuto ad singulas portas numero triginta septem effecisse passuum per directum XXX M DCCLXV. Ad extrema vero tectorum cum castris prætoriis ab eodem milliario, per vicos omnium viarum numerata fuisse paulo amplius septuaginta millia passuum. Quo si quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æstimationem concipiat, fateaturque nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari.[3] Ne magnificentia ulli cederet, advectæ undique opes exteræ, novaque in dies attollebantur monumenta. Hæc augebat Vespasianus, refectis, quæ labarent, tacito quidem suo nomine, sed servata veterum inscriptionum gloria, cum ipse additis novis splendidissimisque operibus satis inclaresceret. Atque ut Urbis splendori ex civium moribus ac dignitate accederet decus, senatum et equitem recensuit: summoti indignissimus quisque; et honestissimi Italicorum ac provincialium allecti.[4] Ita amplissimos ordines sub prioribus Principibus cæde varia exhaustos, veterive contaminatos negligentia, purgavit supplevitque, ut, cum ducentas gentes in senatu vix reperisset, mille composuerit.[5] Et ne paupertas probro esset, consulares inopes quingenis sestertiis[6] annuis sustentavit.

A. U. 827. J. C. 74.—Vespasiano Augusto V. Tito Cæsare III. consulibus. Peracto censu, conditum est lustrum imperii supremum.[7] Tum Princeps Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, Tracheam Ciliciam, et Commagenem in provinciarum formam redegit.[8] Succensuit quidem Apollonius; et acrius, quam

1 *Homines tres*] Hæc omnia Plinius, VII. 49.

2 *Pass.* XIII M CC.] De hac urbis Romæ magnitudine disseruimus supra.

3 *Comparari*] Hæc et superiora Plinius, III. 5.

4 *Provincialium allecti*] Sueton. in Vespasian. IX.

5 *Mille composuerit*] Aurel. Victor. de Cæsaribus.

6 *Quingenis sestertiis*] Sueton. in Vespasian. XVII. Quingena autem sestertia sunt Angl. 4166*l*. 13*s*. 4*d*.

7 *Imperii supremum*] Censorinus, de Die natali. cap. 18. De censu lustroque Romanorum dictum ad Annal. XI. 25.

8 *Redegit*] Sueton. in Vespasian. VIII. Euseb. in Chronic. et Aurel. Victor. in Epitome. Perperam autem in

philosophum decebat: Neronem laudans, quod libertatem Græcis dedisset, Vespasianum qui eam tolleret, literis increpavit.[1] At ipse postea edoctus quas curas pro republica recte et consulte ordinanda Princeps sustineret, posuit iras, et in publicæ lætitiæ partem laudesque venit. Una tunc fœmina, Cænis nomine,[2] famam Vespasiani inumbrabat: Antoniæ quondam liberta, fidem ita probaverat, ut secretioribus adhibita jussaque nuntiare Tiberio, quæ adversus eum pararet Sejanus: post Vespasiani voluptatibus, antequam Flaviam Domitillam uxorem duceret, innexa. Is, privatus adhuc, amissa uxore, Cænidem in contubernium revocavit, atque etiam Princeps pæne justæ uxoris loco habuit. Cænis in id fastigium evecta, nihilque in auctoritate magnificum, nisi immensas opes, reputans, fortunam ad lucra vertit: provinciarum et exercituum præfecturas, magistratus, sacerdotia, ipsaque Principis responsa venalia proponebat. Tanta fœditas laudes Principis obruisset, ni inexplebilem fœminæ cupidinem finisset mors. Tum si quid adhuc obtrectationis ex tributorum vectigaliumque magnitudine supererat, Vespasianus publica necessitate[3] et Principalibus impensis, quæ in Urbis totiusque imperii decus ac magnificentiam unice cederent, fuit excusatus. Hoc anno[4] feliciter se exeruit agricolarum industria. Cum enim prægelidæ hyemis acerbitate spes tota segetum interiisset, reperti in agro Treverico[5] qui adversis temporum obluctati, mense Martio campos resarrientes novam sementem telluri credidere. Natura, labore vinci læta, agrestem patientiam uberrimis messibus pensavit.

A. U. 828. J. C. 75.—Vespasiano Augusto VI. Tito Cæsare IV. consulibus, templum Pacis,[6] quo nullum in Urbe fuit majus pulchriusque, dicatum est: ibi, ceteras inter opes undique terrarum advectas, posita templi Hierosolymitani spolia.[7] Simul attol-

Suetonio *Thraciam Ciliciam*, pro *Tracheam Ciliciam* legitur, ut patet ex Victore; idque jam aliis observatum. Inde facile intelligas cur Flaviopolis, urbs Ciliciæ, initium æræ suæ in nummis ab hoc anno ceperit. Nummos vide apud Cl. Pellerin, *Premier Supplément aux Recueils de Médailles*, p. 34. Trachea Cilicia nunc Turcis dicitur *Itch-iil*.

1 *Literis increpavit*] Quas vide apud Philostratum, Vit. Apollon. v. 41.

2 *Cænis nomine*] Sueton. in Vespasian. III. Dio, LXVI. p. 751.

3 *Publica necessitate*] Quam Neronis libidines et civilia bella tantam induxerant, ut Vespasianus, cum imperium capesseret, professus sit 'quadringenties millies, (Angl. 333,333,333*l.* 6*s.* 8*d.*) opus esse, ut respublica stare posset.' Sueton. in Vespasian. XVI.

4 *Hoc anno*] Plin. XVIII. 20.

5 *Agro Treverico*] Nunc *Treves.*

6 *Templum Pacis*] Dio, LXVI. p. 752. Sueton. in Vespasian. IX.

7 *Spolia*] Vide supra in Appendice ad librum Historiarum, v. 52.

lebatur ingens magnificentiæ et luxuriæ miraculum, amphitheatrum,[1] Divo Augusto quondam meditatum, tranquillioribus servatum temporibus. Architectura, libere exspatiata, et undequaque spectabilis, suas omnes opes explicuit. Admirationem auxit in hujus monumenti decora tractum colosseum Neronis simulacrum, sed *damnatis* ejus sceleribus, venerationi Solis dicatum.[2] Hac operum audacia Urbs se priscis Orientis et Ægypti prodigiis æquabat, cum Vespasianum ad belli curas retrahere voluit Vologeses, Parthorum rex. Is nuntiabat 'Alanos,[3] barbaram gentem, fugatis regibus Pacoro et Tiridate, Mediam Armeniamque populari: Parthis jam imminere: inde Romanorum agros incursaturos.' 'Adversus communem hostem arma sociari: alterutrum de Vespasiani filiis ducem belli mitti' flagitabat.[4] Designabaturque Domitianus, et juvenili impetu, et fraternæ gloriæ æmulatu in hæc præceps. At Vespasianus, filii naturam, dominationis avidam, reveritus, *lætusque* Arsacidarum fastigium barbara vi imminui, hanc belli aleam detrectavit;[5] prætexens Romanos ab externis domesticisque præliis recentiores, novis periculis non objectandos. Iratus Vologeses superbas mittit epistolas, quibus inscripserat:[6] 'Arsaces rex regum Flavio Vespasiano.' Modestiore responso, quod hujusmodi *fuit*, 'Arsaci, regi regum, Fl. Vespasianus,' adeo *irritata* Vologesis ferocia, ut Syriam occupare statim pararet. Adversus barbarum impetum restitit interrita Trajani,[7] Syriæ præsidis, constantia; et virtus jam vivida ejus filii, qui puer admodum[8] in maximas spes adolescebat. Parthorum superbia metu solo cohibita, Vologeses in pacem coactus est.[9] Decreta Trajano, qui hoc decus antiquis

1 *Amphitheatrum*] Sueton. ibid. Hujus amphitheatri pars magna adhuc extat, et dicitur *il Colosseo*. Accipimus ex MS. Vindobonensi edito supra, Vespasianum illud ad tres gradus erexisse; editisque ludis, dedicavisse; deinde a Tito rursus dedicatum, adjectis duobus gradibus. Domitianus illud ad clypea usque perduxit, penitusque perfecit.

2 *Dicatum*] Plin. XXXIV. 7.

3 *Alanos*] Supra Tanaim et paludem Mæotidem habitabant Alani. Joseph. Bell. Jud. VII. 7. n. 4.

4 *Mitti flagitabat*] Sueton. in Domitian. II.

5 *Detrectavit*] Dio, LXVI. p. 752.

6 *Inscripserat*] Dio, ibid.

7 *Trajani*] Ad hunc Trajanum, Trajani Imperatoris patrem, pertinet præstantissimus e Museo Pembrockiano nummus, quem erudite explicavit *Cl.* Belley, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, Vol. XXX. p. 271. et seq.

8 *Puer admodum*] Plin. in Panegyric. XIV.

9 *Coactus est*] Victor de Cæsaribus, et in Epitome.

natalibus addidit, triumphalia ornamenta;[1] editique ludi, quos fere funestavit Cynicorum malignitas. Ii pulsi, ut philosophorum vulgus, clam in Urbem irrepserant: publicis moribus tanto iratiores, quanto diutius coërcita maledicentia, rebantur se opportunam populum Romanum insectandi occasionem nactos. Diogenes, ut nomine, sic re, veterem famam æmulatus, in plebem, spectaculis intentam, conviciis invehitur. Effræna procacitas verberibus multata.[2] Heras, supplicio invitatus magis, quam territus, atrocius criminari audet. Iterata licentia rei capite expiata.[3] Silentibus bellis, in hac pacis tranquillitate, et cum studia liberalitate[4] Principis refoverentur, juvit expendere[5] quomodo Urbs, quæ tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque effloruisset, ea laude ita tunc esset orbata, ut vix nomen ipsum oratoris retineret. Hac quidem de re disseruere M. Aper, Julius Secundus, Curiatius Maternus et Vipstanius Messala, ingenii fama tum insignes. Singula rei momenta rite perpensa; et quæ olim studia alerent, quæ deinde vel ipsa ingenia pessum dederint tractata. In confesso tamen fuit eloquentiam alumnam esse licentiæ ac libertatis: nullos unquam fuisse oratores in iis civitatibus, quæ severissimis legibus uterentur: bono sæculi sui utendum: sapientissimi uniusque Principis pacem contumaci arrogantique eloquentia meliorem esse atque utiliorem. Hæc cum Tacitus juvenis admodum[6] audiisset, postea literis tradidit, et utilitati publicæ consecravit.

A. U. 829. J. C. 76.—Vespasiano Augusto VII. Tito Cæsare V. consulibus. Domitianus ab externis bellis hactenus retractus, ne vel successu elatus, vel Orientis societate audax, fortunam præsumeret, adversus Sarmatas missus est,[7] ex quis gloriæ spes, nullus novarum rerum metus. Recepit signa ante capta, victorque in Urbem rediit. Interim visa Titi virtus

1 *Triumphalia ornamenta*] Plin. in Panegyric. IX. et XVI.

2 *Multata*] Dio, LXVI. p. 752.

3 *Expiata*] Dio, ibid.

4 *Liberalitate*] De qua vide Tacitum in Dialog. de Orat. IX. et Suetonium in Vespasian. XVIII.

5 *Juvit expendere*] Habitusque Dial. de Oratoribus.

6 *Juvenis admodum*] Tac. Dialog. de Orat. I. Inde patet Quintilianum, qui alterum et tricesimum ætatis annum attigerat, non esse hujus dialogi auctorem. Contra vero juvenis admodum Tacitus, tunc octodecim circiter annos natus.

7 *Missus est*] Hanc expeditionem testantur nummi multi, hoc anno cusi. CAESAR AVG. F. DOMITIANVS. Caput Domitiani. In aversa parte Sarmata genuflexus signum militare restituit. Infra cos. V., id est, 'consul quintum.' Hoc anno consul quintum suffectus fuit Domitianus.

elanguescere. Otia tamen fallebat studiis; et de acontia,[1] quæ hoc anno apparuit, præclaro carmine perscripsit. At hæc leviora adversus animum juventutis fervore, et novæ fortunæ licentia æstuantem. Parta quidem bellis gloria diu fuit gliscentibus vitiis velamen. Erupere tandem luxu, libidine, et impotentiori in dies amore Berenices,[2] quæ non modo Romam venerat, et in palatium fuerat recepta,[3] sed et ei Titus nuptias pollicitus ferebatur.[4] Urbs, barbarum dedecus exosa, verebatur adhuc ne cetera Neronianæ aulæ mala redirent. Tum enim Titus ad mediam noctem comessationes cum profusissimo quoque familiarium extendebat; inter exoletorum et spadonum greges frequens. Fœda quoque rapacitate constabat eum in cognitionibus patris nundinari præmiarique solitum.[5] Invisa et sævitia, cum suspectum quemque, et oppositum sibi, violenter opprimeret.[6] Hæc in majus ferebantur, vel ipsis patris virtutibus, qui nec suspicione, nec metu ad perniciem cujusquam compulsus est: immo monentibus amicis cavendum esse Metium Pomposianum, quod vulgo crederetur genesim habere imperatoriam, consulem eum fecit, spondens 'quandoque beneficii memorem futurum.'[7] Ea tamen haud perinde fuere in Tito Cæsare naturæ vitia, quam morbida luxuriantis fortunæ tabes, quæ, optima ejus indole, in melius post susceptum principatum statim cessit, ut mox sumus dicturi.[8] Hadrianus,[9] postea rerum potiturus, hoc anno Romæ natus est IX. Calendas Februarias.

A. U. 830. J. C. 77.—Flavio Vespasiano VIII. Tito Cæsare VI. consulibus, annus, ut civilibus rebus inturbidus, ita cœli inclementia fuit insignis. Notatum est papilionum proventum ter repetito frigore fuisse extinctum, advenasque volucres ad VI. Calendas Februarii spem veris attulisse, mox sævissima hyeme conflictatas.[10] Quod autem luctuosius, carbunculus,[11] peculiare olim Narbonensis provinciæ malum, qui L. Paullo et Q. Marcio censoribus,[12] primum

1 *Acontia*] Acontias stellas, (seu, ut verius loquimur, cometas) Romani dixere, ob jaculi formam. Plin. II. 25.

2 *Berenices*] De qua dictum Hist. II. 2.

3 *Recepta*] Dio, LXVI. p. 752.

4 *Ferebatur*] Sueton. in Tit. VII.

5 *Solitum*] Sueton. ibid.

6 *Opprimeret*] Aurel. Victor. in Epitome.

7 *Memorem futurum*] Sueton. in Vespasian. XIV.

8 *Dicturi*] Infra ad A. U. 832.

9 *Hadrianus*] Spartian. in Hadrian. I.

10 *Conflictatas*] Plin. XVIII. 25.

11 *Carbunculus*] Morbum illum adhuc dicimus *carbuncle*.

12 *Censoribus*] Censores fuere A. U. 590.

in Italiam venerat, hoc anno fœde sæviit, duosque consulares exanimavit, Julium Rufum[1] et C. Læcanium Bassum:[2] illum medicorum inscientia sectum; hunc pollice lævæ manus avulso acu a semetipso, tam parvo vulnere, ut vix cerni posset.[3] His acerbitatibus cum Urbs esset intenta, C. Plinius, ob studiorum claritudinem Vespasiano familiaris,[4] naturæ historiarum triginta septem libros edidit;[5] opus diffusum, eruditum, nec minus varium, quam ipsam naturam:[6] quod utinam majore delectu, minori credulitate fuisset collectum, nec fœdatum insanabili librariorum imperitia, aut incuria. In hoc tamen suo squalore, maximum humani ingenii, naturæ, atque artis promtuarium semper habebitur. Cn. Julius Agricola, cum Vespasianus senatum lectissimis viris suppleret, inter patricios ascitus, dein, egregie administrata pæne per triennium Aquitania provincia laudem assecutus, in Urbem revocatus est ut suffectus foret consul. Fama quoque erat provinciam ei Britanniam destinari. Ibi Julius Frontinus, Petilio Ceriali, decessori suo, quem supra memoravimus,[7] haud impar, validam et pugnacem Silurum gentem subegerat; super virtutem hostium, locorum quoque difficultates eluctatus.[8] Saborensibus[9] in Hispania permissum, ut oppidum sub Principis nomine exstruerent.

A. U. 831. J. C. 78.—L. Ceionio Commodo, Decimo Novio Prisco consulibus, Vespasiani clementia, vel sua inter pericula hactenus illæsa, insolito casu est infracta; quem ut exponam, res altius repetenda. Julius Sabinus, apud Gallos opibus præcipuus, et falsa Divi Julii stirpe vanus, Cæsarem se salutari jusserat. Sequanos, Romanis fidos, bello provocare ausus, uti jam supra relatum est.[10] Contra fuit fortuna: ipse cum popularibus suis Lingonibus fusus. Captivos, maxime duces, et Sabino intimos,

1 *Julium Rufum*] Quem consulem A. U. 830. vidimus in Supplemento Annal. XVI. 49.

2 *Læcanium Bassum*] Consulem A. U. 817. jam memoratum supra Annal. XV. 33.

3 *Cerni posset*] Hæc et superiora Plinius, XXVI. 1.

4 *Familiaris*] Plin. Epist. III. 5.

5 *Edidit*] Et dicavit Tito sexies consuli. Vide Plinii epistolam, Historiæ naturalis libro primo præfixam.

6 *Quam ipsam naturam*] Hæc totidem verbis Plin. Epist. III. 5.

7 *Supra memoravimus*] Vide annum 825.

8 *Eluctatus*] Tacit. Vit. Agric. IX.

9 *Saborensibus*] Tabula ænea reperta Cagneti prope Malacam, nunc *Malaga*, populorum illorum sedem ibi fuisse indicat. Inscriptionem vide apud Gruterum, p. 164. n. 1. et Marianam, Hist. Hispaniæ, IV. 4.

10 *Relatum est*] Tacit. Hist. IV. 67.

manebant supplicia, rebellionis pœna. Multi aut fuga, aut voluntaria morte, infamiæ se subduxere. Sabinus,[1] amore uxoris suæ Eponinæ, nec fugam, nec mortem tentare sustinuit; at arte usus est, ut famam exitii sui vulgaret. Nempe concessit in *villam*, in qua sibi certum esse vitam finire simulat; ideoque dimissis servis, duos tantum libertos sibi fidissimos retinet. Iis secreti consciis, subterraneam specum, condendis thesauris clam olim paratam, subit: mox incensa villa, Martialem, e duobus libertis alterum, mittit, qui Eponinæ nuntiet maritum veneno occubuisse, ejusque corpus flammis haustum: certus, quanto atrocior foret uxoris luctus, tanto citiorem manifestioremque fore mortis suæ fidem. Eponina, luctu amens, tres dies totidemque noctes muliebribus lamentis et ejulatibus absumserat, cum Sabinus, veritus ne longior tristitia dilectam uxorem obrueret, Martialem remittit, qui maritum vivere, artem locumque secessus doceat, moneat tamen ut per doloris imitamenta adultam viduitatis famam nutriat. Eponina, quo re lætior, eo specie tristior, lacrymas, questus, ceteraque lugentium atra ingeminat; ac tandem obscuro noctis usa, in mariti amplexus ruit; alloquioque recreata, domum repetit, ad notas artes paratior. Sic exacti septem menses, cum *spes illuxit* esse *in* Urbe veniæ locum. Huc statim proficiscitur cum marito, quem mutato habitu, tonso capillo, galericuloque capiti adaptato, ita componit, ut gratiæ, si sit locus, non injuriæ, si metus ingrueret, pateat. Ibi, ut miseris plerumque evenit, comperto læta ab amicis temere promissa, tristia imminere, in Gallias redit, et maritum sua in specu recondit. Sævientis fati solatia fuere, mutuus amor, meliorum temporum vota, grataque vel summa in miseria fœcunditas. Plurima enim arte et uterum et parturientis necessitates occultans, Eponina aucta est duobus liberis virilis sexus, qui in tanto cariores spes adolevere, quanto calamitosior erat parentum fortuna. Sabinus his artibus latebrisque vitam per novem annos traduxerat, cum tandem eum vivere auditum est. Statim ipse ejusque uxor ac liberi comprehensi, Romamque vecti, ante Vespasianum sistere se jussi sunt. Viso Principe, Sabinus obmutuit, rebellionis flagitio pressus. Eponina, sexu, amore, conscientia animosior, rumpit silentia, preces intendit, testatur ' se peperisse ut plures haberet,

1 *Sabinus*] Egregium illud historiæ fragmentum debemus Plutarcho, in Amatorio, p. 770. et 771. quem ducem hic maxime sequimur.

qui efflagitarent veniam.'[1] Vespasianus, insontes liberos intuens, illacrymavit; iisque datum vivere.[2] At Sabinus lege majestatis, non illa nova et sub prioribus Principibus reperta, sed vetere, qua perduelles puniuntur,[3] mortis damnatus est. Tracta quoque in mariti ruinam Eponina, forte consiliorum societate et virilibus curis nocens visa. Nulla jam spe vitæ, cassisque quos per tot annos sustinuerat laboribus, ferox fœmina preces in iras vertit, Vespasianoque insultans, profitetur 'vitam morte sibi libenter mutari: se feliciorem vel in obscuris terræ visceribus, quam ipsum in principatus splendore, vixisse.'[4] Multi, fœminæ fortitudinem mirati, ejus malis indoluere: vulgus autem, cuncta, maxime quæ Principes spectant, interpretari solitum, mox secutam Vespasiani, haud lentam Titi mortem, dein Domitiani scelera cædemque, et totius Flaviæ gentis excidium, hujus supplicii pœnas fuisse, ut sero, sic asseveranter, jactitavit.[5] Hæc cum in Urbe diversis rumoribus agitarentur, lætiores de Britannia nuntii venere. Julius Agricola,[6] quanquam media jam æstate in insulam transgressus, Ordovicum civitatem, quod haud multo ante ejus adventum alam in suis finibus agentem obtrivisset, ingenti clade affecerat; cæsaque prope universa gente, Monam insulam, a Suetonio Paullino improspere olim tentatam, petiit, hostesque ita terruit, ut petita pace, deditaque insula, clarus ac magnus statim haberetur. Ipse, ne laureatis quidem gesta prosecutus, dissimulatione famæ famam auxit. Tres urbes in Cypro insula terræ motu corruere.[7]

1 *Veniam*] Dio, LXVI. p. 752.

2 *Datum vivere*] Horum alter postea in Ægypto occubuit; alterum secum nuper fuisse Delphis, nunc *Castri*, testatur *Plutarchus*, loc. cit.

3 *Puniuntur*] Vide Tacit. Annal. I. 72.

4 *Vixisse*] Argumentum, quo vix ullum tragœdia habet, eventuum varietate *splendidius*, et ad movendos animos validius, tractandum suscepere apud nos Cl. Richer. *Sabinus et Eponine, Tragédie, par M. Richer. Paris. Prault.* 1735. apud Italos Cl. Bartoli, *Epponina, Tragedia di Giuseppe Bartoli. in Torino. Mairesse.* 1767. Idem argumentum retractaturos manet ampla gloriæ seges.

5 *Jactitavit*] Idem peccavit Plutarchus, loc. cit. Melior locupletiorque testis Suetonius in Vespasian. XV. 'Non temere quis punitus insons reperitur. . . . neque (Vespasianus) cæde cujusquam unquam lætatus, justis suppliciis illacrymavit etiam et ingemuit.'

6 *Julius Agricola*] Tacit. Vit. Agric. XVIII.

7 *Corruere*] Paul. Oros. VII. 9. Id quidem biennio ante refert Eusebius in Chronic. At non ita probabiliter. Altum enim hac de re silentium apud Plinium, qui singulares hujus temporis res diligentissime annotavit.

A. U. 832. J. C. 79.—Vespasianus Augustus IX. Titus Cæsar VII. consules, continuis ferme magistratibus imperium firmare intendebant. Hæc dominationis studia Alienum Cæcinam et Eprium Marcellum in novas res impulere. Compertis consiliis, Titus, patris caritate suoque periculo in vindictam *præceps*, Cæcinam vocatum ad cœnam, ac vixdum e triclinio egressum confodi jussit: sane urgente discrimine, cum etiam chirographum ejus præparatæ apud milites conjurationis deprehendisset.[1] Hunc finem habuit Cæcina, ante Vitellii proditor.[2] Marcellus autem a senatu interrogatus damnatusque, sectis novacula faucibus,[3] vitam multis sub Nerone fœdatam flagitiis, nunc perfidis adversus Principem amicum[4] consiliis infamem finivit.

Tum quidem fuit securitas. At Principis valetudo[5] motiunculis levibus in Campania tentari cœpit: vulgata statim portenta: 'Mausoleum Cæsarum derepente patuisse: crinitam *stellam*[6] *in* cœlo visam.' Hæc quidem irrisit Princeps: 'alterum ad Juniam Calvinam[7] e gente Augusti pertinere' dictitans: 'alterum ad Parthorum regem, qui capillatus esset.' In urbem tamen regressus, Cutilias[8] ac Reatina rura, ubi æstivare quotannis solebat, petiit. Hic, super urgentem valetudinem, creberrimo *frigidæ aquæ* usu intestina vitiavit. Fesso tunc corpore, et imminente vitæ periculo, cœlestibus honoribus, quos adulatione Romana et Titi filii sui industria[9] proximos præsentiscebat, illudens, 'ut,' inquit, 'puto, Deus fio.'[10] Interim ad imperatoria munia intentus, ipsas etiam legationes audiebat cubans. Has inter curas, alvus repente usque ad defectionem soluta. Ne mors inertem cubantemque opprimeret, consuluit; ratus 'Imperatorem stantem mori opor-

1 *Deprehendisset*] Sueton. in Tit. VI. Minime autem audiendus Aurelius Victor, in Epitome. 'Cæcinam consularem adhibitum cœnæ, vixdum triclinio egressum, ob suspicionem stupratæ Berenices uxoris suæ, jugulari jussit.'

2 *Proditor*] Hist. II. 100.

3 *Novacula faucibus*] Dio, LXVI. p. 752.

4 *Principem amicum*] Vide Dialog. de Orat. VIII.

5 *Principis valetudo*] Hæc et seq. Suetonius in Vespasian. XXIV.

6 *Crinitam stellam*] Sueton. in Vespasian. XXIII. Sic autem Romanis dictos fuisse cometas jam monuimus.

7 *Juniam Calvinam*] Augusti abneptem, Silani et Lepidæ filiam, de qua diximus supra in Stem. Cæs. n. 62.

8 *Cutilias*] In agro Reatino erant Cutiliæ aquæ, et Cutiliæ *lacus*, nunc *lago di Contigliano*. Vide Plinium, III. 12. Reate autem, nunc *Rieti*.

9 *Industria*] Ut novæ domui favorem et reverentiam conciliaret.

10 *Deus fio*] Sueton. in Vespasian. XXIII.

tere.'[1] Dum consurgit, ac nititur, inter manus sublevantium extinctus est IX. Calendas Julii, annum agens ætatis sexagesimum ac nonum, superque mensem ac diem septimum:[2] Princeps animi magnitudine, consiliorum prudentia, parcimonia simul et magnificentia super priorum Principum laudes evectus: sequentibus exemplo fuit et incitamento.[3] Primus Cæsarum vitam fato implevit.[4]

TITUS.

QUOD quoque in imperio novum, filius patri successit. Titus enim Imperator consalutatus est; promissumque militi donativum: fratre iras non occultante, et diu cunctato an duplum donativum donaret.[5] Inde assiduæ ejus querelæ relictum se participem imperii, sed fraudem testamento adhibitam.[6] Quæ odia, dum viveret pater, clam exercita, tum manifesta, crevere semper, donec imperio potitus est. Vespasiano autem funus pro more ductum; exin cœlestes honores[7] decreti.

Titus, summam rerum adeptus, nihil retinuit pristinæ luxuriæ: sed amicos elegit optimos:[8] Berenice in Judæam regredi jussa:[9] dimissi delicatorum gratissimi. Et Princeps totus patuit virtutibus. Beneficia a superioribus concessa Principibus, quæ ex instituto Tiberii omnes Cæsares aliter rata non habuerant, quam si eadem iisdem et ipsi tribuissent, primus præterita omnia uno confirmavit edicto, nec a se peti passus.[10] Par ejus in ceteros comitas, liberalitasque, et obstinata cura, ne quem unquam sine spe dimitteret. Admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur, quam præstare posset: 'Non oportere,' respondit, 'quenquam a sermone Principis tristem discedere.' Et quondam recordatus super cœnam, quod nihil cuiquam toto die præstitisset,

1 *Oportere*] Sueton. in Vespas. XXIV.

2 *Septimum*] Sueton. ibid.

3 *Incitamento*] Cum immensus ante fuisset mensarum luxus, Vespasianus astricti moris, quo postea victitatum, præcipuus auctor fuit. Vide Annal. III. 55.

4 *Implevit*] Tiberius, Caius Caligula, Claudius, Nero, Galba, Otho, Vitellius, violenta morte perierant. Suspecta quoque in Augusti fine Livia, ut dictum est Annal. I. 5. Minime autem audiendus Hadrianus aliique, qui Vespasianum veneno, quod Titus ei in convivio dederat, fuisse necatum dixere. Vide Dionem, LXVI. p. 753.

5 *Donaret*] Sueton. in Domit. II.

6 *Adhibitam*] Sueton. ibid.

7 *Cœlestes honores*] Inde in nummis veteribusque monumentis frequens DIVVS VESPASIANVS.

8 *Elegit optimos*] Sueton. in Tit. VII.

9 *Jussa*] Aurel. Victor. in Epitome. Sueton. loc. cit.

10 *Peti passus*] Sueton. in Tit. VIII.

memorabilem vocem edidit: 'Amici, diem perdidi.' Ne quid etiam paternæ labis hæreret, cum Vespasianus et pecuniæ visus fuisset cupidior, et deceptus in insontium neces consensisset, ipse ne concessas quidem ac solitas collationes recepit;[1] pontificatum quoque maximum ideo 'se' professus 'recipere, ut puras servaret manus:' nec auctor posthac cujusquam necis, nec conscius, quamvis interdum ulciscendi causa non deesset, sed 'periturum se potius, quam perditurum' adjuravit.[2] De majestatis crimine nunquam egit, neque agi permisit, dictitans 'neque injuriam neque contumeliam sibi fieri posse, quod nihil reprehensione dignum patraret: falsa, si qua spargerentur, sibi curæ non esse.'[3] Tum omnes Titum mirari, celebrare; iis vero, qui eum, nondum Principem, timuissent, pudor. Dum in hac admiratione venerationeque Urbs acquiescebat, luctum attulit atrox et continuus tremor terræ, quem secuta est horrenda Vesuvii montis conflagratio.[4] Pulcherrima Campaniæ ora misere fœdata: obrutæ duæ urbes Herculanium et Pompeii:[5] vasta hominum strages, quos inter periere Agrippa ejusque mater Drusilla.[6] At, studiorum fama, mors C. Plinii,[7] quem supra memoravimus, fuit insignitior. Is forte tum Miseni erat, classemque imperio præsens regebat. Miraculo nubis, quæ in similitudinem formamque arboris e summo Vesuvio primum visa erumpere excitus, huc properat, noscendæ naturæ avidus. Dum pergit, gliscit periculum, cineribus, pumicibus, ambustisque lapidibus late depluentibus. Interritus, inter incendia, montem petit: sulphureis flammis crassioreque caligine spiritu obstructo, exanimatus est.[8] Tanta autem fuit ignium vis, ut cineres in Africam, Syriam, et Ægyptum fuisse delatos vulga-

1 *Recepit*] Sueton. in Tit. VII.

2 *Adjuravit*] Sueton. in Tit. IX.

3 *Non esse*] Dio, LXVI. p. 754.

4 *Conflagratio*] De qua vide Plinii epistolas VI. 16. et 20. inter Testimonia Veterum supra relatas. Multa quoque habet Dio, LXVI. p. 755. et seq.

5 *Herculanium et Pompeii*] Dio, ibid. ait duas illas urbes, populo sedente in theatro, fuisse obrutas. At videtur eum fugisse, continuo terræ motu exterritum. Ibi enim nulla reperta corpora. Hac autem nostra ætate utraque urbs e suis ruinis emersit, certissimarum præstantissimarumque antiquitatum fœcundissima, quarum partem multa cum laude totiusque literarii orbis plausu sub Regiis auspiciis publicavere eruditi Academici Herculanenses.

6 *Drusilla*] Josephus Antiq. Jud. XX. 7. n. 2. Felicis uxor fuit *Drusilla*, filius Agrippa.

7 *C. Plinii*] Qui historiæ naturalis libros scripsit, ut modo diximus ad annum 830.

8 *Exanimatus est*] De ejus morte ad Tacitum scriptæ sunt epistolæ Plinii, VI. 16. et 20.

tum.[1] Ubi hæc Romæ audita, ab omnibus trepidatum est. Princeps ad miserorum solatia et levamenta curas omnes vertit. E consularium numero ducti, qui Campaniam spectarent et refoverent:[2] bona oppressorum, quorum hæredes non extabant, restitutioni afflictarum civitatum attributa.[3]

A. U. 833. J. C. 80.—Tito Augusto VIII. Domitiano Cæsare VII. consulibus, nec sanguinis communione, nec societate honorum, nec Principis indulgentia placabatur Domitiani animus, dominationis cupidine atrox. At is modo insidias fratri struere, modo solicitare exercitus, fugam quoque meditari.[4] Contra Titus, in dies clementior, nec sævire, nec succensere, ne in minore quidem honore fratrem habere, sed imperii consortem successoremque palam testari; secreto tantum lacrymis et precibus orare, 'ut tandem mutuo erga se animo vellet esse.'[5] Hæc Titi clementia intra domum non stetit. Duos quoque patricii generis convictos in affectatione imperii nihil amplius, quam 'ut desisterent,' monuit: 'principatum fato dari: si quid præterea desiderarent, se tributurum.' Confestim ad alterius matrem, quæ procul aberat, cursores suos misit, qui anxiæ salvum filium nuntiarent: mox ipsos familiari cœnæ adhibuit; et insequenti die, gladiatorum spectaculo, circa se ex industria collocatis,[6] oblatos sibi mirmillonum gladios,[7] quasi ad explorandam aciem, uni atque alteri commisit. Iis perculsis, constantiamque mirantibus, nefaria conjurationum consilia in obsequium cessere.

At quanto melior Princeps, tanto gravioribus malis conflictabatur res Romana. Eo enim profecto,[8] ut Campaniam inviseret, sævissimum post Neronis flammas incendium per triduum totidemque noctes[9] Romæ exarsit. Præter insulas domosque, ædes Serapidis et Isidis,[10] Septa, Neptuni templum, thermæ Agrippæ,

1 *Vulgatum*] Dio, LXVI. p. 756.
2 *Refoverent*] Sueton. in Tit. VIII.
3 *Attributa*] Sueton. ibid.
4 *Meditari*] Sueton. in Tit. IX. in Domit. II.
5 *Vellet esse*] Sueton. in Tit. IX. Vide et Aurelium Victorem, in Epitome.
6 *Collocatis*] Hæc omnia, et totidem ferme verbis Suetonius, loc. cit.
7 *Mirmillonum gladios*] Aurel. Victor, loc. cit. Mirmillones autem gladiatores erant, vulgo dicti secutores, qui adversus retiarios pugnabant. Vide Juvenalem, Sat. VIII. 200.
8 *Profecto*] Dio, LXVI. p. 756.
9 *Totidemque noctes*] Sueton. in Tit. VIII.
10 *Serapidis et Isidis*] Hæc et seq. Dio, ibid. Inde autem patet ignem maxime sæviisse in nona Urbis regione. Ibi enim sita ferme omnia hæc monumenta; ut videre est apud P. Victorem, de Regionibus Urbis.

Pantheon, Diribitorium, theatrum Balbi, scena Pompeii, Octaviæ opera et Bibliothecæ, templum Jovis Capitolini, junctæque Junonis et Minervæ ædes, igni hausta. Tetrior adhuc incubuit lues. Tanta enim fuit vis pestilentiæ,[1] ut per multos dies in rationem Libitinæ ferme dena millia funerum venirent. Titus, his malis haud victus, pietatem auxit: nec modo Principis solicitudinem, sed et parentis affectum unicum præstitit: eversas incendio fortunas suis sustentavit opibus: publica reparavit Urbis damna; et ne prior magnificentia desideraretur, cuncta prætoriorum suorum ornamenta operibus et templis destinavit; præpositique complures ex equestri ordine, quo quæque maturius peragerentur. Medendæ autem valetudini, leniendisque morbis, quæ ei cura magis anxia, nullam divinam humanamque opem non adhibuit, inquisito omni sacrificiorum remediorumque genere.[2]

Inter hæc temporum adversa exhorruit delatores mandatoresque,[3] intestinum malum, nec sub patris principatu, vigente Eprio Marcello,[4] satis coërcitum, sævire ausos. Ut securitati publicæ prospiceret, eos acriter corripuit, assidueque in foro flagellis ac fustibus cæsos, partim subjici in servos ac vænire imperavit, partim in asperrima insularum avehi. Et ne rediret audacia, sed perpetuo coërceretur, vetuit inter cetera, de eadem *re pluribus legibus* agi, quærive de cujusquam defunctorum statu ultra certos annos.[5]

Sic parata imperii tranquillitate, ut præteritorum malorum memoria aboleretur, amphitheatrum,[6] duobus gradibus a Tito auctum, thermisque juxta celeriter exstructis, dedicatum est. Ibi editum munus apparatissimum largissimumque; et uno die quinque millia omne genus ferarum confecta: mox immissa aqua, equi, tauri, ceteraque animalia, nova præbuere spectacula:[7] deinde Cor-

1 *Pestilentiæ*] Sueton. in Tit. VIII. Aurel. Victor, in Epitome. Hanc quidem pestilentiam Eusebius in Chronic. ejusve librarii sub Vespasiani principatu retulere; sed perperam, ut constat ex Suetonio et Victore, Plinii quoque silentio, qui, cum horum temporum morbos diligenter annotaverit, tam atrocem luem non omisisset.

2 *Genere*] Sueton. ibid.

3 *Mandatoresque*] Sueton. ibid. Mandatores dicebantur, qui aliis mandabant, ut delationes exercerent.

4 *Eprio Marcello*] Olim delationibus famoso, postea apud Vespasianum Principem amicitia et auctoritate præcipuo. Vide Dial. de Orat. VIII.

5 *Certos annos*] Sueton. ibid. Quot annos Titus determinaverit non compertum. Postea Nerva quinquennium edicto statuit.

6 *Amphitheatrum*] Sueton. in Tit. VII. Ms. Vindobon. ut jam dictum supra.

7 *Spectacula*] Dio, LXVI. p. 757.

cyrensium Corinthiorumque classes pugnavere.[1] Iterati postea ludi in veteri naumachia:[2] præter gladiatores, ferarumque cædes, et navale prælium, quo tria millia hominum certavere, exhibita obsidio; atque ut magnarum rerum memoria voluptas cresceret, Athenienses,[3] Syracusanos aggressi, expugnatoque muro ad id structo, eos superavere. Ludorum pompa munificentia Principis, e theatro dona spargentis, exhilarata. Inter hæc hilaria faustaque imperii auspicia, VII. Idus Decembris vota pro restitutione et dedicatione Capitolii nuncupata.[4]

A. U. 834. J. C. 81.—L. Flavio Silvano Nonio Basso,[5] Asinio Pollione Verrucoso consulibus, quidam Terentius Maximus,[6] Asia oriundus, Neroni corporis habitu, citharæ cantusque artibus non absimilis, se esse Neronem erat mentitus; concitaque popularium manu, ad Euphratem contenderat: ibi regis Parthorum, Tito infensi, studiis attollebatur. Irritum fuit mendacium, vanaque novarum rerum tentamina, non Urbe tantum, sed et imperio, in obsequio veneratione que Principis, qui deliciæ et amor humani generis[7] appellabatur, defixis. In hac pacis securitate, vota pro Titi salute nuncupabantur. At infausti amores populi Romani. Et super Domitiani odium, valetudo Principis assiduo balneorum usu[8] labefactata ingravescebat. Seu suæ, seu communis mortalitatis sensu, in spectaculorum fine, populo coram ubertim flevit:[9] mox Sabinos petiit aliquanto tristior, ob læva quæ evenerant portenta: ad primam statim mansionem febri corripitur: cum inde lectica transferretur, suspexisse dicitur, dimotis plagulis, cœlum: multum conquestus, 'eripi sibi vitam immerenti: neque enim extare ullum suum factum pœnitendum, excepto duntaxat uno.' Id quale fuerit, neque ipse tunc prodidit, neque cuiquam facile succurrit.[10] Vanum autem scrutari, quod non licet assequi. Ubi Titus in

1 *Pugnavere*] Dio, ibid. Repetitis e vetere historia ludorum argumentis, oculos animosque gratius detinebant.

2 *Veteri naumachia*] Sueton. in Tit. VII. Augustus naumachiam illam trans Tiberim struxerat, ut videre est Annal. XII. 56.

3 *Athenienses*] Dio, loc. cit.

4 *Nuncupata*] Ut constat ex egregio monumento Fratrum Arvalium, quod vide apud Cl. Muratori, Thesaur. Inscript. Antiq. Vol. I. p. 312. De eo plura eruditus Philippus a Turre, Monumenta veteris Antii, cap. 7. p. 95.

5 *Nonio Basso*] Hujus consulis nomina docuit modo laudatum Fratrum Arvalium monumentum.

6 *Terentius Maximus*] Zonaras, Vol. I. p. 578.

7 *Humani generis*] Aurel. Victor, in Epitome.

8 *Balneorum usu*] Plutarchus, de Valetudine tuenda, Vol. II. p. 123.

9 *Ubertim flevit*] Sueton. in Tit. X.

10 *Succurrit*] Suetonius, loc. cit. Vide et Dionem, LXVI. p. 758.

villa, qua pater obierat, decubuit, morbus invaluit. Domitianus, morarum impatiens, eum, remedii specie, lavacro nive pleno mergi[1] deserique[2] jubet: mox ipse propere Romam petit, castra occupat, et promisso, quod frater dederat, donativo,[3] Imperator salutatur. Extinctus est Titus Idibus Septembris, altero et quadragesimo ætatis anno,[4] eandem brevi imperio, quam Augustus longiore, claritatem assecutus. Utrique mortis opportunitatem obtigisse multi memorabant,[5] quod ille brevitate vitæ ventura vitia effugisset, hic juventutis mala senectute emendasset. Ingens fuit in urbe Titi desiderium, ut in domestico luctu cunctis publice mœrentibus. Præcipuus dolor senatus, qui amantissimum ordinis sui Principem amittebat.

DOMITIANUS.

DOMITIANUS defunctum Titum nullo præterquam consecrationis honore dignatus est:[6] ausus et in senatu jactare 'et patri se et fratri imperium dedisse, illos sibi reddidisse.'[7] Haud illæta tamen fuere principatus initia, Principe adversus cupiditatem, et avaritiam,[8] satis firmo. Senatus, novi imperii facilitate utendum ratus, postulavit 'ne senatorem Princeps puniret, sed reos senatus judiciis permitteret.'[9] Renuit Domitianus, seu iras jam recondebat, seu fratris clementiam exosus. Manebat enim odium etiam post fata; Titumque assidue vel obliquis orationibus vel edictis[10] carpebat: immo vetuit natalem ejus diem[11] celebrari.

A. U. 835. J. C. 82. Domitiano Augusto VIII. T. Flavio Sabino consulibus. Princeps, ut patre fratreque videatur melior, omnes reipublicæ partes emendare aggreditur. A se orsus, ne ulla hæreat cupiditatis suspicio, relictas sibi hæreditates ab iis, quibus liberi erant, non recipit:[12] omnes circa se largissima liberalitate

1 *Mergi*] Dio, LXVI. p. 757.

2 *Deserique*] Sueton. in Domit. II.

3 *Donativo*] Dio, loc. cit. Donativa illa a Tito et Domitiano data ad exemplum Claudii et Neronis largitionum, de quibus dictum ad Annal. XII. 69. et in Suppl. Annal. IX. 12.

4 *Ætatis anno*] Sueton. in Tit. XI.

5 *Memorabant*] Dio, LXVI. p. 754.

6 *Dignatus est*] Sueton. in Domit. II.

7 *Reddidisse*] Sueton. in Domit. XIII.

8 *Avaritiam*] Sueton. in Domit. IX.

9 *Permitteret*] Dio, LXVII. p. 759.

10 *Orationibus vel edictis*] Sueton. in Domit. II.

11 *Natalem ejus diem*] Dio, loc. cit. Honos postea restitutus, ut constat ex veteribus Kalendariis ad diem 30. Decembris III. Kal. Januar. N. DIVI TITI CMXXIIII. Id est, 'Natalis Divi Titi, Circenses missus viginti quatuor.'

12 *Non recipit*] Hæc et seq. Sueton. in Domit. VIII.

prosequitur, nihil prius aut acrius monitos, quam 'ne quid sordide facerent.' Inde in foro assiduus, pro tribunali jus dicit; et extra ordinem ambitiosas centumvirorum sententias rescindit: magistratus Urbicos et provinciarum prætores ita coërcet, ut neque modestiores unquam, neque justiores extiterint. Fiscales calumniæ magna calumniantium pœna repressæ; egregiaque vox Principis audita: 'Princeps, qui delatores non castigat, irritat.'[1] Ut licentiam infringat, probrosis fœminis usum lecticæ, jusque capiendi legata atque hæreditates adimit. Infensus quoque ingeniorum audaciæ, famosa scripta, vulgoque edita, quibus primores viri ac fœminæ notabantur, abolet non sine auctorum ignominia. Simul priorum Principum magnificentiam æmulabatur. Templa monumentaque, quæ incendium nuper hauserat,[2] refecta. Ne omissa quidem incensarum bibliothecarum cura: ut repararentur, exemplaria undique petita; missique Alexandriam, qui describerent, emendarentque.[3] Capitolium autem tantis opibus restitutum, ut in aurea ejus opera duodecim millia talentorum[4] impensa. Prope Capitolium, Jovi Custodi[5] exstructum templum ingens. Palatio quoque addita Domitiani domus, quæ inter tanta opera præfulgeret.[6] At resurgentem Caii Neronisque prodigentiam mirantibus inerat metus, ne rediret quoque sævitia. In eam enim præceps erat Domitianus; cæsique Ælius Lamia,[7] et Flavius Sabinus.[8]

A. U. 836. J. C. 83.—Domitiano Augusto IX. Q. Petilio Rufo II. consulibus, Domitia, uxor Principis, Augustaque recens consalutata,[9] Paridis histrionis amore fœdabatur. De ejus cæde consultatum.[10] Urso vitam deprecante, repudiata est. Paris, in via Flaminia cæsus, adulterii pœnas luit. Multi, qui, ob scenicarum

1 *Irritat*] Sueton. in Domit. IX. Quod quoque edicto declaratum ait Dio, LXVII. p. 759.

2 *Nuper hauserat*] Ut dictum est anno superiore. Ob Urbem restitutam et ornatam Domitianus laudatur a Martiale, Epigramm. v. 7.

3 *Emendarentque*] Sueton. in Domit. XX.

4 *Duodecim millia talentorum*] Plutarch. in Poplicola p. 105. Duodecim millia talentorum sunt Angl. 2,700,000*l.*

5 *Jovi Custodi*] Vide Hist. III. 74.

6 *Præfulgeret*] Domitianum omnia aurea gemmeave ibi voluisse docet oculatus testis Plutarchus, loc. cit.

7 *Ælius Lamia*] Vir consularis, cujus uxorem Domitianus jam abduxerat. Sueton. in Domit. X.

8 *Flavius Sabinus*] Maritus Juliæ Augustæ, et Domitiani patruelis.

9 *Consalutata*] Sueton. in Domit. III.

10 *Consultatum*] Dio, LXVII. p. 759.

artium memoriam, ejus tumulum floribus condecorabant, interfecti.[1] Tum Princeps in amorem Juliæ,[2] divi Titi filiæ, prorupit. At, intra breve tempus, impatiens discidii, Domitiam, quasi efflagitante populo, reduxit.[3] Haud fracta[4] tamen Juliæ potentia ac libido. Super has cupidines, et ædificiorum impensas, quibus vix par fuisset imperium, in immane creverant spectaculorum sumtus. Iis brevi exhaustæ opes; et Principis libidines inopia accensæ. Sic cœpit tristissimum illud sæculum, quo, resolutis reipublicæ vinculis, turbata omnia et in contrarium versa. Curia trepida fuit et elinguis. In castris nulla ducibus auctoritas, nulla militibus verecundia.[5] Inter hæc immotus Agricola grande dedit constantiæ exemplum. Hactenus Britannia belli pacisque artibus obtenta, cunctisque gentibus cis Bodotriam compositis, Hiberniæ imminens eam facili certæque victoriæ destinabat. At propius graviusque discrimen ingruebat ab amplis civitatibus trans Bodotriam sitis. Agricola hac æstate eas exercitu classeque aggressus, simul terra, simul mari bellum impulit, ut latius faceret terrorem, et subitis occurreret. Populi Caledoniam incolentes, aperiri suos recessus indignati, paratu magno arma cepere. Agricola, ne superante numero, et peritia locorum circumiretur, diviso in tres partes exercitu, incessit. Hostis, occasione usus, nonam legionem, ut maxime invalidam, nocte aggressus, inter somnum ac trepidationem irrupit. Quod ubi Agricolæ compertum, opem tulit, et Britannos ita terruit, ut nisi paludes et sylvæ fugientes texissent, debellatum illa victoria foret. Successu ferox exercitus penetrandam Caledoniam fremebat. Dux cautior restitit, ut certam et incruentam victoriam pararet. Eadem æstate cohors Usipiorum,[6] per Germanias conscripta, et in Britanniam transmissa, conscensis tribus liburnicis, aufugit. Hac, illac rapti, et ad id inopiæ adacti, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur, Britanniam circumvecti sunt. At amissis per inscitiam regendi navibus, a Suevis Frisiisque intercepti ac venumdati indicio tanti casus inclaruere.

A. U. 837. J. C. 84.—Domitiano Augusto X. et T. Aurelio

1 *Interfecti*] Dio, ibid. Post mortem Domitiani, ut videtur, Paridis epitaphium edidit Martialis, Epigramm. XI. 14. De hoc histrione plura vide apud Juvenalem Sat. VII. 87. et seq.

2 *Juliæ*] Dio, loc. cit. Julia Augusta, Titi filia, uxor Flavii Sabini.

3 *Reduxit*] Sueton. in Domit. III.

4 *Haud fracta*] Dio, ibid.

5 *Militibus verecundia*] Hæc queritur Plinius, Ep. VIII. 14. horum temporum testis.

6 *Cohors Usipiorum*] Tacit. Vit. Agric. XXVIII.

Sabino[1] consulibus, quæsita belli materia, ut Princeps triumphalia civilis belli Judaicæque victoriæ, quæ dudum æmulabatur, decora præmineret. Petita Germania. At ne gentes domesticis tumultibus divisæ, in unum sociarentur, si vis Romana magno paratu ingrueret, Domitianus profectionem suam censu obtexuit Galliarum.[2] Tum inopinato bello affusus, Cattos terruit.[3] Mox, ne viso quidem hoste,[4] emtis tantum per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur,[5] Romam repetit, præeunte fama Germaniam captam.[6] Ut falsa fuit victoria, ita in Urbe major adulatio. Super solitos honores, Principi consulatus in decennium a senatu decretus,[7] perpetuaque[8] potestas censoria data: additum ut, quoties in senatum veniret, quatuor et viginti lictoribus vesteque triumphali uteretur. Dum Princeps Urbsque fortunæ illudebant, Agricola summa de re in Britannia decertabat. Is ubi ad montem Grampium pervenit,[9] astitere hostes, superioris anni clade non fracti, et, sociatis omnium civitatum viribus, validiores. Calgacus, virtute et genere præstans, eos allocutus, spe libertatis, servitutis metu, majorum memoria, posterorum cura inflammat. Suum quoque militem Agricola rerum ante gestarum gloria victoriæque necessitate accendit. Post statim ad arma discursum: ambigua diu pugna: cum tandem, immissis equitum alis, quas Agricola ad subita belli retinuerat, Britanni in fugam versi, et ab insequentibus trucidati. Cæsa hostium ad decem millia. Romanorum trecenti quadraginta cecidere, in quis Aulus Atticus, præfectus cohortis, juvenili ardore et ferocia equi hostibus illatus. Exacta jam æstate, cum spargi bellum nequiret, Agricola in fines Horestorum exercitum deduxit. Ibi acceptis obsidibus, præfecto classis circumvehi Britanniam præcepit; et in extremum hunc terræ famæque recessum est inquisitum.

1 *T. Aurelio Sabino*] Ita vetus lapis apud Theodorum ab Almelowen, in præfat. ad Fastos, n. XIV.

2 *Galliarum*] Frontin. Strategem. I. 1. n. 8.

3 *Cattos terruit*] Sueton. in Domit. VI. Vide et Statium, I. Sylvarum, I. 27.

4 *Hoste*] Dio, LXVII. p. 760.

5 *Formarentur*] Tacit. Vit. Agric. XXXIX.

6 *Germaniam captam*] Inde in nummis Domitiani, ex ære magno. IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. GERM. COS. X. capite laureato. In aversa parte, GERMANIA CAPTA. Stat imperator post trophæum, cum clypeo; retro captivus sedet.

7 *Decretus*] Dio, LXVII. p. 760.

8 *Perpetuaque*] Dio, ibid. Testes quoque nummi quamplurimi inscripti, CENS. POT. vel CENS. PER. id est, 'censoria potestate,' vel 'censor perpetuus.'

9 *Pervenit*] Hæc pluribus Tacit. Vit. Agric. XXIX. et seq.

A. U. 838. J. C. 85.—Domitiano Augusto XI. T. Aurelio Fulvo[1] consulibus. Princeps, in Urbem redux,[2] triumphum egit; et ut præmiis fidem virtutis militaris faceret, quartum addidit stipendium militi, aureos ternos.[3] Hæc alii solita adulatione *attollebant*: plures irridebant: pari utrimque discrimine,[4] cum *Domitianus* conscientia mendacii laudes non ferret, et insita vanitate contumelias odisset. Omnibus pariter infensus, secretoque palatii, aut in Albano suo[5] conditus, atroces iras meditatur. Inde in deterius ruente principatu, delatores, hactenus repressi, licentius irrupere. Ursus, talia Principis dedecora haud æquo animo ferens, in discrimen adductus.[6] At quam ipse Domitiæ, hanc illi salutem attulit Julia.[7]

Invidum autem Principis animum acrius ussere literæ, ab Agricola missæ, quibus res in Britannia gestæ nuntiabantur.[8] Recurrebat enim falsi triumphi pudor. Suberat et indignatio *veram* et magnam victoriam, tot millibus hostium cæsis, *ingenti fama* celebrari. Formidolosum videbatur privati hominis nomen supra Principis attolli, militaremque gloriam occupari. Odium tamen reposuit, donec impetus famæ et favor exercitus languesceret. Nam etiam tum Agricola Britanniam obtinebat. *Igitur triumphalia* ornamenta, et illustris statuæ honorem, et *quidquid pro triumpho* datur, multo verborum honore cumulata, decerni in senatu jubet: addique insuper opinionem: Syriam provinciam Agricolæ destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi consularis, et majoribus reservatam. Agricola, tradita successori suo quieta tutaque provincia, Romam revertit. At ne notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio, noctu in Urbem, noctu in

1 *T. Aurelio Fulvo*] T. Aurelius Fulvus fuit paternus avus Antonini Pii, qui postea imperavit. Vide Julium Capitolinum, in Antonino Pio, cap. 1.

2 *Redux*] Adventum Domitiani ejusque triumphum testantur nummi hoc anno cusi, cum Domitianus esset cos. XI. seu 'consul undecimum,' in quis inscriptum, ADVENT. AVGVSTI, vel GERMANIA CAPTA. Alii quoque nummi exhibent Domitianum in quadrigis triumphantem.

3 *Aureos ternos*] Sueton. in Domit. VII. Ante Domitianum dabantur militibus noveni aurei, Angl. 9*l.* Domitianus addidit quartum stipendium, datique sunt duodeni aurei, Angl. 12*l.* Vide et Zonaram, Vol. I. p. 580. De stipendio militari dictum Annal. I. 17.

4 *Discrimine*] Dio, LXVII. p. 760.

5 *Albano suo*] Ibi fuit Domitiani villa. Vid. Vit. Agric. XLV.

6 *Adductus*] Dio, LXVII. p. 760.

7 *Julia*] Dio, ibid. Julia, Titi filia, de qua jam dictum ad A. U. 836.

8 *Nuntiabantur*] De his plura Tacitus in Vit. Agric. XXXIX. et seq.

palatium, ita ut præceptum erat, venit: exceptusque brevi osculo, et nullo sermone, turbæ servientium immixtus. Impendebat et ruina, ni militare nomen aliis virtutibus temperasset; modestiaque parta securitas.

Interim intestinis bellis fervebat Germania. Catti, triumphati, non victi, Cheruscos gentem Romanis fidam erant aggressi; pulsusque regno Chariomerus,[1] Cheruscorum rex. Is quidem, sociis in auxilium excitis, regnum recuperavit: at mox desertus, obsides Romam misit, qui opem orarent. Data tantum pecunia; Cheruscique, longa pace imbelles, a Cattis attriti sunt.[2] Tracti ruina Cheruscorum Fosi,[3] contermina gens. Suevis[4] autem, quod a Lygiis vexarentur, auxilium petentibus, missi centum equites, onus potius, quam vires adversus hostem. Unde irritati Suevi cum Jazygibus adversus pacem Romanam, trajecto Danubio, consilia iniere. Masyus[5] quoque, Semnonum rex, et Ganna, post Veledam magnæ apud eos auctoritatis fœmina, cum Romam venissent, honorifice excepti, in patriam remissi sunt. Sic quæ olim, dum vigebant artes Romanæ, ad debellandam suisque armis vincendam Germaniam fuissent quæsita, ultro oblata tum spernebantur cum pari reipublicæ probro ac detrimento.

A. U. 839. J. C. 86.—Domitiano Augusto XII. Ser. Cornelio Dolabella consulibus, licet Urbs sua luxuria jam fatisceret, excogitata nova ludorum nomina ad Græcorum exemplum. Igitur exstructis odeo[6] stadioque, institutum quinquennale certamen,[7] Capitolino Jovi triplex, musicum, equestre, et gymnicum. Ibi non poësi[8] tantum, certatum etiam et prosa oratione[9] Græce Latineque. Laudes Jovis Capitolini, perpetua materia.[10] In stadio cucurrere et virgines. Super hæc ludicra, quotannis celebrabantur in Albano Quinquatria Minervæ,[11] cui Princeps colle-

1 *Chariomerus*] Dio, LXVII. p. 760.

2 *Attriti sunt*] Tacit. de Mor. German. XXXVI.

3 *Fosi*] Tacit. ibid.

4 *Suevis*] Dio, LXVII. p. 761. Suevi autem non ii sunt, qui interiorem Germaniam habitabant, sed ii quos Drusus inter flumina Marum et Cusum locaverat: Annal. II. 63. et XII. 29.

5 *Masyus*] Dio, ibid.

6 *Odeo*] Sueton. in Domit. V. Odeum ædificium fuit ad musicos concentus musicaque certamina edenda exstructum.

7 *Quinquennale certamen*] Sueton. in Domit. IV. Censorin. de Die natali, c. 18.

8 *Poësi*] Statius, III. Sylvarum, V. 31. et V. Sylvarum, III. 231.

9 *Prosa oratione*] Sueton. loc. cit.

10 *Perpetua materia*] Quintilianus, Institut. Orat. III. 7.

11 *Quinquatria Minervæ*] Sueton. ibid. De quinquatribus dictum Annal. XIV. 4.

gium instituerat; ex quo sorte ducti magisterio fungerentur, redderentque eximias venationes et scenicos ludos. Ibi quoque oratorum ac poëtarum[1] certamina. Interim malum, reipublicæ exitiale, in exercitibus gliscere cœperat. Sordebat nempe vetus disciplina, orbis terrarum victrix: ducumque cura in leviores agilioresque artes conversa, studium armorum, a manibus ad oculos,[2] ad voluptatem a labore transferebatur: nec exercitationibus veteranorum aliquis, cui decus muralis aut civica corona, sed Græculus magister assistebat. Aderat et pessimum exemplum, mollitia Principis adeo fracti et enervis, ut si navigaret, nec pulsum, nec fragorem remorum ferret, sed ad singulos ictus formidine horresceret. Unde repertum, ut procul ab omni sono inconcussus et immotus, religato revinctoque navigio, non secus ac piaculum aliquod, traheretur.[3] Cetera ad hanc luxus speciem corrupta et imbellia. Nec ulla jam reipublicæ cura. Sed si qua forte consilia, de libidine gulaque[4] inita. Anxia tantum Principis solicitudo, ne ulla emineret virtus. Multæ tamen hostium minæ. Invalido Agricolæ successore,[5] animos resumserant Britanni; jamque celebrabatur rex Arviragus[6] Plus adhuc terroris inferebant Daci,[7] quorum amicitiam priores Principes pecunia foverant. Ubi exhaustum a Domitiano ærarium liberalitati non suffecit, hostilia ingruere;[8] duceque Diurpaneo,[9] quem Decebalum[10] appellabant, cœptum atrox bellum. Inter hæc Romani nominis opprobria,

1 *Poëtarum*] Ter in iis certaminibus coronatus est Statius, ut ipse testatur, III. Sylvarum, v. 28.

2 *A manibus ad oculos*] Plinius in Panegyric. XIII. horum quoque temporum testis.

3 *Traheretur*] Plinius in Panegyric. LXXXII.

4 *Gulaque*] Huc pertinet consilium de rhombo Albana in villa habitum, centumque et amplius versibus graphice descriptum a Juvenale, Sat. IV. 37. 'Cum jam semianimum laceraret Flavius orbem Ultimus,' &c. Totus hic locus omnino legendus, ut homines moresque hujus temporis noscantur. Vide et Plinium in Panegyric. LIV.

5 *Successore*] Sallustio Lucullo, quem Domitianus 'postea interfecit, quod lanceas novæ formæ appellari Luculleas passus esset.' Sueton. in Domit. X.

6 *Arviragus*] Cujus ruinam Fabricius Vejento, cum de rhombo actum est, vaticinabatur; teste Juvenale, Sat. IV. 123. 'De temone Britanno Excidet Arviragus.'

7 *Daci*] Dacia, nunc *Transylvania, Wallachia* et *Moldavia*. Bellum hoc a Tacito fuisse diligentissime conscriptum testatur Orosius, VII. 10.

8 *Ingruere*] Jornandes, de Rebus Geticis, cap. 13.

9 *Diurpaneo*] Duras, Dacorum rex, regnum Diurpaneo sponte reliquerat, teste Dione, LXVII. p. 761. qui bellicas virtutes Diurpanei valde commendat.

10 *Decebalum*] Decebalus videtur fuisse commune regibus Dacorum nomen.

tertiodecimo Kalendas Octobres natus est Antoninus Pius,[1] cui studia virtutis et publica felicitas, cum imperio potitus est, immortale decus peperere.

A. U. 840. J. C. 87.—Domitiano Augusto XIII. Aulo Volusio Saturnino consulibus. Hactenus Princeps se super patris fratrisque laudes extulerat, Græcamve vanitatem erat æmulatus: nunc ad Orientis libidines superbiamque divertit; et infra se humanos honores ratus, divinos usurpavit.[2] Talis arrogantiæ initium fecit, cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam,[3] iis verbis: 'Dominus Deusque noster sic fieri jubet.' Quod statim ita pervulgatum, ut ne scripto quidem ac sermone cujusquam aliter appellaretur. Tum ad id superbiæ compositus est principatus: statuasque sibi in Capitolio non nisi aureas et argenteas poni permisit, ac ponderis certi.[4] Janos[5] arcusque cum quadrigis et insignibus triumphorum passim per regiones Urbis exstruxit. Inde in omnium fortunas eo licentius irruit, quod operum ac munerum impensis, auctoque stipendio exhaustus, et ad relevandos castrenses sumtus[6] inconsulte amputatis militum numeris, obnoxium se barbaris animadverteret. In prædam cessere bona vivorum ac mortuorum: usquequaque, quolibet et accusatore et crimine corripiebantur. Satis erat objici qualecumque factum dictumque adversum majestatem Principis.[7] Nulla testamenta secura, nullus status certus,[8] si vel unus profiteretur, audisse se ex defuncto, cum viveret, hæredem sibi Cæsarem esse, alienissimæ confiscabantur hæreditates. Acerbius adhuc agebatur fiscus Judaicus;[9] deferebaturque quicumque, vel improfessus,[10] Judaicam intra Urbem viveret vitam, vel dissimulata

1 *Antoninus Pius*] Jul. Capitolin. in Antonino, cap. 1.

2 *Usurpavit*] Euseb. in Chronic.

3 *Formalem dictaret epistolam*] Hæc et seq. Suetonius in Domit. XIII. Formalis autem dicitur epistola, quam ut formam ceterarum epistolarum deinde observare debebant procuratores.

4 *Ponderis certi*] Sueton. ibid. Illas autem statuas fuisse centeno pondere satis declarat Statius, v. Sylvarum, I. 188.

5 *Janos*] Sueton. ibid. Jani erant fornicata opera, arcuum specie, sed ampliora.

6 *Castrenses sumtus*] Sueton. in Domit. XII.

7 *Majestatem Principis*] Hæc omnia Suetonius, ibid.

8 *Status certus*] Plin. in Panegyric. XXXIV.

9 *Fiscus Judaicus*] Sueton. loc. cit. Præter censum, Judæi, captis Hierosolymis, jussi fuerant binos denarios solvere; ut jam diximus supra in Append. ad Hist. lib. V. 43.

10 *Improfessus*] Qui apud fiscum non erat professus se esse Judæum.

origine, imposita genti tributa non pependisset. Nec abstinebatur contumeliis, ut inspiceretur an quis esset circumsectus. His quidem atrocitatibus crevere opes Principis. At militi non redierat virtus. Ambiguum semper, aut funestum cum Dacis bellum: invalido adversus hostium ferociam, ducisque artes, Oppio Sabino,[1] qui tum Mœsiam regebat. Ni fors favisset, certa quoque Flacci, Numidiæ prætoris, ruina. Nasamones,[2] quod tributis attererentur, arma ceperant, quæstoresque interfecerant. Dein Flaccum aggressi, eoque superato, castris potiti, forte ibi præter cibaria vini copiam reperere, qua ingurgitati ac temulenti, a Flacco internecione deleti sunt. Fortuitam victoriam suas in laudes Domitianus traxit, gloriatus in senatu 'se Nasamonibus vita interdixisse.'[3]

A. U. 841. J. C. 88.—Domitiano Augusto XIV. L. Minucio Rufo consulibus. Opes Principis, privatarum fortunarum subversionibus reparatæ, in spectacula statim sunt impensæ: quibus ut plus celebritatis foret, editi sæculares ludi;[4] computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo olim Augustus eos ediderat.[5] Immo et anticipatum tempus,[6] ne lentior veniret voluptas. Urbe gaudio vaga, auditum est hominem incertæ conditionis[7] in Oriente videri, qui se Neronem esse jactaret; eumque gratia opibusque Parthorum niti. Seu imminuta Romani nominis auctoritate, seu infestiore Parthorum animo, et prævalida vetere in Neronem benevolentia, mendacium, alias jam vulgatum,[8] ægre compressum. At is tandem redditus est; et sublata turbarum materia. Tristiores e Danubii ripa venere nuntii. Diurpaneus, cæsis legionibus, Oppium Sabinum, consularem, oppresserat; ejusque caput fœde abscissum[9] apud barbaros ostentui habebatur. Penetrata inde provincia, Diurpaneus castella urbesque expugnabat,

1 *Oppio Sabino*] Sueton. in Domit. VI. Jornandes, de Rebus Geticis, cap. 13. eum appellat Poppæum Sabinum, Agrippæ successorem.

2 *Nasamones*] Libyæ populi in ora Syrtis majoris.

3 *Interdixisse*] Hæc omnia de Nasamonibus Zonaras, Vol. I. p. 580.

4 *Sæculares ludi*] Censorin. de Die natali, cap. 17.

5 *Ediderat*] Sueton. in Domit. IV. Quintos sæculares ludos ediderat Augustus A. U. 737. sextos Claudius A. U. 800. Vide dicta Annal. XI. 11.

6 *Anticipatum tempus*] Ludi sæculares fiebant anno centesimo decimo. Ni Domitianus anticipasset tempus, facti tantum fuissent A. U. 847.

7 *Incertæ conditionis*] Sueton. in Ner. LVII.

8 *Jam vulgatum*] Vide Hist. II. 8. et supra ad A. U. 834.

9 *Fœde abscissum*] Jornandes, de Rebus Geticis, cap. 13.

cunctaque prædabundus late populabatur. Nec jam de limite imperii et ripa, sed de hybernis legionum et possessione dubitatum.

A. U. 842. J. C. 89.—T. Aurelio Fulvo II. A. Sempronio Atratino consulibus. Post tantas exercituum clades, dux ultorque sanguinis Romani ore vulgi poscebatur Agricola.[1] Restitit Princeps, infensus virtutibus, et gloria viri deterritus. Ipse cum immenso paratu adversus Dacos proficiscitur, bellum, ut rebatur, suis auspiciis reparaturus. Diurpaneus, tantam armorum vim metuens, legatos misit,[2] qui de pace agerent. Ejus prudentia Domitiani vanitatem inflavit. Is, spretis legatis, ne dato quidem responso, Cornelium Fuscum, prætoriarum cohortium præfectum, bello præponit. Ubi Diurpaneo id fuit compertum, ducem Urbis deliciis,[3] quam belli artibus meliorem irrisit, rursusque misit legatos, qui pacem offerrent, dum Romani, harum terrarum incolæ, singulis annis binos obolos[4] solverent: secus exterminium minitabatur. Domitianus, ut vanus, sic periculi timidus, in Mœsia restitit.[5] Fuscus, junctis navibus in modum pontis, Danubium transmisit cum lectissimis militibus; hostemque aggressus, sed post cruenta prælia oppressus, temeritatis pœnas luit. Tum cura belli Juliano commissa,[6] qui rem Romanam restituit. Interim Domitianus in Pannoniam venerat; Quadisque et Marcomannis infensus, quod opem adversus Dacos non tulissent, intulerat bellum. Iis pacem orantibus, despecti legati: alii, cum preces iterassent, cæsi. Germani, hac atrocitate in furorem versi, bellum suscipiunt; victusque et in fugam[7] conjectus Domitianus. Res felicius cesserant in Dacia. Julianus, arte usus ut Romanorum animos pudore erigeret, jusserat milites sua et centurionum nomina scutis inscribere. Tum, cum certa esset virtus, nec occulta ignavia, hostes aggressus est, gravique clade eos perculit. Vezinas, post Diurpaneum auctoritate apud Dacos præcipuus, simulata morte,[8] deinde fuga salutem quærere coactus. In ipsius regiæ expugnationem ibatur, ni Diurpaneus hostem, quem vi repellere non poterat, astu elusisset. Cæsis enim arboribus, truncos armis

1 *Agricola*] Tacit. Vit. Agr. XLI.

2 *Legatos misit*] Petr. Patricius, de Legationibus, p. 23.

3 *Urbis deliciis*] Vetus Scholiastes Juvenalis Sat. IV. 112.

4 *Binos obolos*] Angl. 3*d*. Patricius, loc. cit.

5 *In Mœsia restitit*] Dio, LXVII. p. 761.

6 *Juliano commissa*] Dio, LXVII. p, 764.

7 *In fugam*] Dio, LXVII. p. 761.

8 *Simulata morte*] Ut posset fuga evadere, Dio, LXVII. p. 764.

induit, numerosique exercitus fecit speciem, qua deceptus Julianus recessit. Manebat tamen prioris victoriæ fama. Ea usus est Domitianus, ut se suo dedecore exsolveret; pacisque conditiones et opes obtulit, quas Diurpaneus ultro accepit, diuturni belli laboribus fessus, et clade a Juliano illata anxius. Colloquium tamen cum Principe renuit: sed fratrem suum Diegin misit, qui capta arma, paucosque captivos, quasi hi soli manerent, traderet. Tum Domitianus, ut victor, regnumque daturus, Diegin diademate evinxit.[1] Superbas inde literas, victoriarum nuntias, amplaque spoliorum fercula, una cum epistola Diurpanei, vera incertum an ficta, ejusque legatos Romam mittit; quo mox ipse, aucto milite honoribus et donativo, revertitur; provinciis, quam hostibus gravior.[2]

A. U. 843. J. C. 90.—Domitiano Augusto XV. M. Cocceio Nerva II. consulibus. Vulgato sub hoc principatu more, quo clades, ut quondam victoriæ, celebrabantur; Princeps de Dacis Germanisque triumphavit: nec unquam magis solicita adulatio, ut triumphales ejus statuæ non Urbem tantum, sed et imperium, opplerent. Acriora tamen Romæ studia, instinctore Principe, qui militiæ probra spectaculorum magnificentia velabat. *Omne genus ludorum editum.*[3] In naumachia, *juxta Tiberim* effossa et circumstructa, pæne justæ classes pugnavere: at misera fuit et spectantium et pugnantium sors. Hi enim ad omnium usque necem certavere. Illorum multi extincti sunt, quod princeps adeo fuit pervicax, ut, coorta tempestate, inter maximos imbres, prospectaverit, vestes quidem identidem commutans; neminem vero egredi, aut vestimenta mutare siverit. Ut in hac ludorum satietate irritaretur voluptas, naturæ portentis placuit ludere; visaque pumilonum et mulierum[4] certamina. Hæc ludicra excepit convivalis lætitia, luctu mixta. Novo quidem luxu, et miraculo noctis die splendidioris, datum plebi epulum. Contra Principis cœna tenebrarum obscuro funereisque cærimoniis horruit.[5] Paratæ erant ædes nigrore luridæ: atra ibi laquearia, parietes, pavimentum: atra quoque, et in solo nuda, sedilia. Primores senatus equestris-

1 *Evinxit*] Dio, LXVII. p. 762.

2 *Gravior*] Plin. in Panegyric. XVII. et XX.

3 *Editum*] Dio, LXVII. p. 762. Sueton in Domit. IV. et V.

4 *Pumilonum et mulierum*] Hæc certamina celebrat Statius, I. Sylvarum, VI. 57. et seq.

5 *Horruit*] Hanc cœnam describit Dio, LXVII. p. 763.

que ordinis sine comitibus huc intrare sedereque jussi; sepulcralisque columna, convivæ nomine inscripta, cuique apposita, cum exiguo lychnucho, qualis in monumentis suspenditur. Tum, umbrarum instar, erupere elegantes pueri, nudi et atramento tincti, qui cum horride circum convivas tripudiassent, ante cujusque pedes astitere. Mox allatæ feralis convivii lances; ministratumque quicquid in funeribus edule et atrum. Loci horror, pavor imminentis fati omnes attonuerat. Alto silentio defixis terrorem intendebat Princeps, mortes, cædes, ceteraque funebria memorans. Nec cœnæ finis metus laxamentum tulit: at servis, qui in ædium vestibulis constiterant, jussis discedere, alii et ignoti præsto fuere, qui convivas partim vehiculis, partim lecticis imponunt; cunctis rigescentibus, seque ad mortem rapi reputantibus. Ut tamen quisque sua in domo repositi, formidinem inter et spem ancipites respirare cœperant, cum nuntiatur singulis quosdam ab Augusto venire; gravior redit pavor, statimque subit admiratio, cum columnæ argenteæ, lances pretii laborisque exquisitissimi in cœna appositæ, aliaque id luxus dona afferrentur: singulis quoque datus puer, qui inferna imagine luserat, tum lotus comtusque. Sic nocte absumta, cœpit Principis liberalitas celebrari. At quæ ipse triumphalia victoriarum decora jactitabat, vulgus ferales epulas eorum qui in Dacia occubuerant, vel in Urbe mactabantur, verius appellavit.[1] Ausus tamen est Septembrem mensem et Octobrem ex appellationibus suis *Germanicum Domitianumque* transnominare;[2] quod altero suscepisset imperium, altero natus esset. Mansere vocabula, dum sævire potuit: periere, ubi desiit timeri. Interim civica Cerealis, Asiæ proconsul, res novas erat molitus. In ipso proconsulatu occisus est.[3] Asia, in rebellionem ebrietate acta, excidere vineas jussa.[4] Aderat annus, quo Agricola proconsulatum Asiæ et Africæ sortiretur: artes invidiamque Domitiani veritus, ne in provinciam iret se excusavit, annuentique Principi gratias egit. Salarium tamen proconsuli solitum offerri, Agricolæ non dedit Domitianus, sive offensus non petitum, sive ex conscientia, ne quod vetuerat videretur emisse.[5]

A. U. 844. J. C. 91.—M. Ulpio Trajano, M. Acilio Glabrione

1 *Appellavit*] Dio, loc. cit.

2 *Transnominare*] Sueton. in Domit. XIII.

3 *Occisus est*] Tacit. Vit. Agric. XLII. Sueton. in Domit. X.

4 *Vineas jussa*] Philostrat. Vit. Apoll. VI. 42.

5 *Emisse*] Tacit. Vit. Agric. XLII.

consulibus, vulgata prodigia, quæ Glabrioni exitium, Trajano imperium portenderent.[1] Certe Trajani virtus, in castris jam probata, Urbis splendore inclarescebat; factumque calamitate temporum, ut multi ejus fortunam augurarentur simul et precarentur.[2] Favorem augebat Princeps in dies atrocior. *Juliam*, incesto pollutam, quod supra memoravimus, dum cogit *conceptum* a se abigere,[3] occiderat; moxque divinis honoribus extulerat.[4] Super hanc libidinem, aliis mersus, tanto erat invisior, quod se acerrimum violatæ pudicitiæ vindicem ferebat. Vespasianus quidem Titusque Vestalium incesta neglexerant:[5] hæc Domitianus æmulatu magis, quam sanctitatis studio, coërcuit. Jam sub ipsa principatus initia, Ocellatas sorores Varonillamque corripuerat:[6] iis tamen permissum liberum mortis arbitrium; earumque corruptores relegati. Nunc vero quasi indulgentiæ pœniteret, ratusque sæculum suum illustrari, si Vestalem vivam defoderet,[7] Corneliam, Vestalium maximam, olim absolutam, longo intervallo *repetit*; jureque pontificis maximi, reliquos pontifices non in regiam, sed in Albanam villam convocat. Cornelia, absens inauditaque, incesti damnatur. Missi statim pontifices, qui defodiendam necandamque curarent. Ejus stupratores virgis in comitio ad necem cæsi: quos inter Celer, eques Romanus, *supplicio subditus*, se insontem professus est. Valerius *Licinianus*, prætorius vir, reusque quod in agris suis occultasset Corneliæ libertam, ad confessionem confugit. Princeps, se absolvi lætus, exilium molle, velut præmium, ipsi dedit.

A. U. 845. J. C. 92.—Domitiano Augusto XVI. Q. Volusio Saturnino consulibus. Gliscentia jam ob sævitiam odia Domitianus adhuc provocabat contumeliis, quibus nihil unquam fuit Principibus exitiosius. L. Antonius, Germaniæ superioris præses, iis accensus bellum civile movit.[8] Ipsi aderant legionum vis et opes: consilia quoque cum Germanis inierat. Grave inde exarserat bellum, ni L. Maximi vigilantia forsque reipublicæ præsto fuissent.

1 *Portenderent*] Dio, LXVII. p. 765.

2 *Et precarentur*] Quos inter fuit Agricola, teste Tacito, Vit. Agric. XLIV.

3 *Abigere*] Sueton. in Domit. XXII. Vide et Juvenalem Sat. II. 32.

4 *Extulerat*] Ut constat ex nummis hoc aut superiore anno cusis.

5 *Neglexerant*] Sueton. in Domit. VIII.

6 *Corripuerat*] Euseb. in Chronic. Sueton. loc. cit.

7 *Vivam defoderet*] Hæc et seq. ferme totidem verbis Plinius, Ep. IV. 11. qui rem fuse et eleganter narrat.

8 *Movit*] Sueton. in Domit. VI. Dio, LXVII. p. 764.

At mira felicitate, ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus transituras ad Antonium barbarorum copias inhibuit; victusque Antonius. Ubi Romam venere rebellionis nuntii, Domitianus, cum de retinenda dominatione ageretur impiger, legiones excivit; Trajanum qui in Hispania tunc agebat, Lucianum Proclum aliosque evocavit, statim ipse ad bellum profectus. In itinere supervenere victoriæ nuntii; eaque quodam famæ miraculo, prius præsagiis, quam nuntiis, Romæ innotuit. Ipso enim, quo dimicatum est, die, statuam Principis insignis aquila circumplexa pennis clangores lætissimos edidit;[1] vulgatusque, incerto auctore, rumor, 'interfectum Antonium:' multis etiam caput ejus allatum vidisse se adeo pervicaciter contendentibus, ut pars magna magistratuum pro parta victoria statim sacrificaret.[2] Tam inopinato successu in limite imperii restituta pax: at Principis crudelitas inclementer sæviit. Id quidem veritus L. Maximus, literas omnes in Antonii scriniis repertas igne aboleverat,[3] ne cui periculum facesserent. Domitianus, periculo atrox, quosvis suspectos corripuit: interfectorum quoque memoriæ infensus, vetuit 'in acta eos referri.' Ne scriptis quidem ad senatum literis, eorum capita, ut et Antonii, Romam misit pro rostris exponenda. In hac pereuntium turba, duo soli e notioribus venia donati sunt, tribunus laticlavius, et centurio, qui 'se,' ut facilius expertes culpæ crederentur, 'impudicos' probaverant, 'et ob id neque apud ducem, neque apud milites ullius momenti esse potuisse.'[4] Ne idem rediret periculum, 'geminari castra legionum' pohibitum:[5] 'nec plus quam mille nummos[6] a quoquam ad signa deponi.' Antonius enim apud duarum legionum hyberna, ex depositorum etiam summa, fiduciam cepisse videbatur. Imminuta quoque nobilium potentia, quædam ex maximis officiis inter libertinos militesque Romanos communicata. Longius adhuc prospexit suspicacis Principis cura: cumque ebrietas in seditiones facile effervescat, uti jam ante de Asia compertum, causatus 'ubertatem vini, frumenti inopiam, nimioque vinearum studio negligi arva,' edixit, 'ne quis in Italia novellaret:[7] utque

1 *Clangores—edidit*] Suetonius, loc. cit.

2 *Sacrificaret*] Plutarch. in Paul. Æmil. p. 268.

3 *Igne aboleverat*] Dio, loc. cit.

4 *Esse potuisse*] Sueton. in Domit. x. Vide et Dionem, loc. cit.

5 *Prohibitum*] Sueton. in Domit. VII.

6 *Mille nummos*] Angl. 8*l.* 6*s.* 8*d.* De fiscis militaribus dictum ad Annal. I. 37.

7 *Novellaret*] Sueton. loc. cit.

in provinciis vineta succiderentur; relicta ubi plurimum dimidia parte.' Qua tamen in re exequenda haud ita perseveravit, seu mutatus precibus Scopeliani, a cunctis Asiæ civitatibus, ut id deprecaretur, missi, seu potius metu compulsus, quod sparsi tum libelli cum Græcis versibus, hac sententia: '*Rode vitem; hinc tamen erit, quod in mactandum Cæsarem spargatur.*' Quibus commotus, edicti de excidendis vineis propositi gratiam fecit.[1] Insuper datum Scopeliani eloquentiæ, ut qui in Asia vites non sererent, multarentur.[2] Sub Principe, cui ludus fuit muscas captare ac stylo præacuto configere, quidam cœpere, novo scelere, venenatis acubus obvios pungere; morsque sæpe sine ullo doloris sensu inferebatur. Furor, qui non in Urbe tantum, sed pessimo æmulatu per totum imperium grassabatur,[3] reorum morte repressus.

A. U. 846. J. C. 93.—Pompeio Collega, Cornelio Prisco consulibus. Verso ad sævitiam Principe, crevit delatorum audacia; bonisque omnibus formidata nomina, Carus Metius, Catullus Messalinus, Marcus Regulus, Publicius Certus, et Bebius Massa. Hic, supra insitam perfidiam, suo quoque periculo audax. Bæticis enim querentibus, contra eum senatus Plinium cum Herennio Senecione advocatum provinciæ dederat.[4] *Dum fit inquisitio*, obiit Cn. Julius Agricola,[5] sexto et quinquagesimo ætatis anno. Rerum gestarum claritate, virtutumque constantia, celebrata olim nomina æquaverat: propriam in hac temporum calamitate laudem assecutus, quod sine contumacia, sine inani jactatione libertatis, sed moderatione et prudentia, industria simul et vigore, salvam virtutis famam retinuit; et quam multi ambitiosa morte quæsiere, ipse placido vitæ cursu immortalem sui memoriam reliquit. A Cornelio Tacito, eadem, qua vixit, fide ac modestia narratus, posterisque traditus, magnum semper erit exemplum posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse.

Post Agricolæ mortem, quasi turbo, furor Domitiani incubuit. Is nempe efferatus civilis belli memoria et assiduis conjurationum rumoribus, ratusque securitatem diffidentia niti, non jam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu

1 *Gratiam fecit*] Sueton. in Domit. xiv.

2 *Multarentur*] Philostrat. de Vitis Sophist. i. 21. n. 6.

3 *Grassabatur*] Dio, lxvii. p. 764.

4 *Dederat*] Plin. Epist. vii. 33. Tacit. Vit. Agric. xlv.

5 *Agricola*] Tacit. Vit. Agric. xliv.

rempublicam exhausit.[1] Ob levissimas suspiciones bonus quisque in exilium acti, morteve affecti. Inter eos, qui pœnis tum fuere obnoxii, eminebant M. Cocceius Nerva et Salvidianus Orfitus, ambo consulares: ille Tarenti exul[2] delituit: hic in insulam conjectus,[3] mox interemtus est. In his temporum acerbitatibus, auditi sunt motus Sarmatarum, qui legionem cum legato ceciderant. Huc tendit Princeps. Et, seu victis hostibus, seu fictis victoriis, uti jam ante, ludificatus, lauream Jovi Capitolino retulit.[4]

A. U. 847. J. C. 94.—L. Nonio Torquato Asprenate, T. Sextio Magio Laterano consulibus. Principis sævitia, nec bello, nec victoriæ solennibus remissa, impietatis accusationibus accrevit. Præcipua mali causa Massa Bebius, supra memoratus. Is fuerat damnatus, causam Bæticorum orantibus Herennio Senecione et Plinio: ejusque bona, ut publice custodirentur, seposita. Senecio, dum, nimio in clientes provinciamque studio, apud consules instat, ne postulationibus vacent, irritat Massam, qui eum impietatis postulat,[5] quod Priscum Helvidium laudasset.[6] Ea accusatione perculsus, occisus est. Par causa, eademque ruina Arulenum Rusticum traxit; eique capitale fuit, quod Pæti Thraseæ vitam scripsisset,[7] virumque sanctissimum appellasset. Nec in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum sævitum, delegato triumviris ministerio, ut in comitio ac foro urerentur. Eodem casu convulsæ nobilissimæ fœminæ: relegantur[8] Arria Thraseæ Pæti, Fannia Helvidii Prisci vidua, Gratilla Rustici uxor. Relegatus quoque Mauricus.[9] Nihil autem atrocius visum, quam cum Publicius Certus, accusato Helvidio filio,[10] quasi scenico exodio sub persona Paridis et Œnones divortium Principis cum uxore[11] tractasset, ipse senator senatori manus intulit,[12] eumque, mox occidendum, in carcerem duxit. Tum Philosophi omnes, ut instinctores

1 *Exhausit*] Tacit. ibid.
2 *Exul*] Philostrat. Vit. Apollon. VI. 8.
3 *Conjectus*] Philostrat. ibid. Sueton. in Domit. X.
4 *Retulit*] Eutrop. in Breviario. Sueton. in Domit. V.
5 *Postulat*] Plin. Epist VII. 33.
6 *Laudasset*] Tacit. Vit. Agric. II.
7 *Scripsisset*] Tacit. ibid. Sueton. in Domit. X.
8 *Relegantur*] Plin. Ep. III. 2.
9 *Mauricus*] Frater Aruleni Rustici.
10 *Helvidio filio*] Sueton. in Domit. X. Plin. Ep. IX. 13.
11 *Cum uxore*] Domitia.
12 *Manus intulit*] Plin. loc. cit. Tacit. Vit. Agric. XLV.

libertatis, Urbe Italiaque summoti.[1] Acriter quoque in Christianos animadversum.[2]

A. U. 848. J. C. 95.—Domitiano Augusto XVII. T. Flavio Clemente consulibus. Nemo unquam tot consulatus ceperat. Id Principis arrogantiæ diffidentiæque datum. Obsessa autem, ut priore anno, curia. Nec pudor fuit Clementem reum subdere, licet consul, Principis collega ac patruelis foret. Ob Christianam religionem, arguebatur impietatis in Deos;[3] ideoque ferme in ipso consulatu interemtus.[4] Eandem ob causam Flavia Domitilla ejus uxor in Pandatariam insulam relegata,[5] ut et in Pontiam[6] altera Domitilla, pariter Flavio sanguine orta. Nulla re magis Domitianus maturavit sibi exitum; licet et alias nobilium cædes ediderit: quas inter Acilius Glabrio consularis et exul occisus est ut rerum novarum molitor.[7] At ubi mota domestica hæc odia, nemo fuit cui Princeps fideret. Frustra vel præfectos prætorio in ipsa præfectura reos agebat,[8] vel opprimebat libertos, quos ut doceret nunquam, ne bono quidem exemplo, audendam patroni necem, Epaphroditum a libellis capitali pœna condemnavit, quod post destitutionem, Nero in adipiscenda morte, manu ejus adjutus existimabatur.[9] Suppliciis irritata tantum audacia. Nec profuit vigilantia Juventii Celsi,[10] inter conspiratos olim accusati; sed supplicium effugerat, Principem secreto allocutus, testatusque se esse insontem: et, si annuerit Princeps dominus ac Deus, se nefanda quævis consilia investigaturum, certoque renuntiaturum. Postea semper elusit Principem; hacque fraude incruentus supervixit.

A. U. 849. J. C. 96.—C. Antistio Vetere, C. Manlio Valente consulibus. Valens nonagesimo ætatis anno in consulatu mortuus

1 *Summoti*] Sueton. in Domit. x.

2 *Animadversum*] Hieronym. de Script. Eccles. cap. 9.

3 *Impietatis in Deos*] Dio, LXVII. p. 766.

4 *Interemtus*] Sueton. in Domit. XV. *Contemtissimæ inertiæ* Clementem arguit Suetonius, quod Clemens Christianæ pietatis tranquillitatem sectabatur. Multi alii Christiani periere, ut constat ex Brutio, apud Hieronymum in Chronic. Suffragatur Dio, loc. cit. Tunc Joannes Apostolus in insulam Patmon relegatus est.

5 *Relegata*] Dio, loc. cit. Pandataria insula, nunc *isle St. Mary*.

6 *In Pontiam*] Brutius apud Hieronymum, in Chronic. Pontia insula, nunc *isle Ponza*.

7 *Rerum novarum molitor*] Sueton. in Domit. x.

8 *Reos agebat*] Dio, LXVII. p. 766.

9 *Existimabatur*] Hæc totidem verbis Suetonius in Domit. XIV. Vide et Dionem, loc. cit.

10 *Juventii Celsi*] Dio, LXVII. p. 765.

est.[1] Hunc quoque annum fatalem sibi fore Domitianus dudum audierat, ab adolescentia vaticiniis Chaldæorum, qui diem, horam, genusque mortis ei prædixerant,[2] imbutus. Recentioribus adhuc agitabatur oraculis. Insuper continua fulminum vis, tactum de cœlo Capitolium, templum Flaviæ gentis, domus Palatina et cubiculum Principis, aliaque multa portenta[3] metum intendebant. Dum adversus imminens periculum se solicitudine et sævitia accingit, suam ipse impellit ruinam Parthenius enim et Sigerius, cubicularii, Entellus a libellis, ceterique Principis amici ac liberti, sed ejus iras veriti, conjurationem iniere.[4] Iis animos addidit Domitia, cum forte legisset secretas Domitiani tabellas, quibus suum, eorumque qui morti destinabantur, nomen inscriptum. Ubi id conspiratis compertum, suo aliorumque periculo territi, rem properant. Prius tamen actum de successore, quem eligerent. Cocceium Nervam ad imperii spem votumque erigunt. Cunctabantur adhuc quando et quomodo Domitianum aggrederentur. Stephanus, Domitillæ procurator,[5] et tunc interceptarum pecuniarum reus, consilium operamque obtulit. Is ergo, ut ad suspicacem Principem facilior secretiorque foret aditus, conspirationis indicium professus, et admissus, legenti traditum a se libellum, et attonito, suffodit inguina: saucium ac repugnantem alii adorti, vulneribus septem contrucidaverunt. Occisus est Domitianus quartodecimo Kalendas Octobris, anno ætatis quinto et quadragesimo, imperii quintodecimo. Ante principatum arrogans; sub principatus initiis, ut patris fratrisque gloriam obrueret, virtutum species mentitus est: mox suis vitiis abstractus, in omnes libidines ruit: quævis audendi licentiam adducto et militari imperio obtinuit: plebi, ob ludorum magnificentiam, non ingratus; militi, cui omnia indulgebat, acceptissimus; senatoribus ita odiosus, ut, audita ejus cæde, certatim repleverint curiam, et in ejus contumelias eruperint, detractis quoque, et solo afflictis ejus imaginibus: mox ut ubique ejus tituli eraderentur abolereturque omnis memoria decretum.

1 *Mortuus est*] Dio, LXVII. p. 766.

2 *Prædixerant*] Sueton. in Domit. XIV.

3 *Portenta*] Quæ vide apud Suetonium in Domit. XV.

4 *Iniere*] Dio, loc. cit.

5 *Domitillæ procurator*] Sueton. in Domit. XVII.

NERVA.

Hæc fuit animorum inclinatio, cum M. Cocceius Nerva, Narniæ[1] in Umbria natus, sed Cretensi origine,[2] imperio potitus est, annitentibus Petronio secundo, cohortium prætoriarum præfecto, et Parthenio conjuratorum duce. Primus advenarum, Romæ imperavit; et virtutes, fastigio Cæsarum ignotas, ostendit: res olim dissociabiles miscuit, principatum ac libertatem.[3] Natura, senectute, et, quod bonarum artium feracissimum est, multiplici malorum temporum experientia difficilem regendi artem edoctus, prioris principatus odia abrogavit. Rei majestatis absoluti: sublata fisci Judaici calumnia:[4] servi ac liberti, qui dominis insidias struxerant, suppliciis subditi: in eos omnes, qui delationes factitaverant, inquiri licuit. At ut mali, sic et boni, est præfervidus et lethifer quidam impetus. Tanta delatorum turba incondito turbidoque clamore postulata simul et oppressa, ut Fronto, consul, egregie adverterit, 'malum esse Principem, sub quo nihil cuiquam liceat; pejorem tamen esse, per quem omnia omnibus licent.'[5] Inde Nerva pronos ad vindictam animos inhibuit, eosque mollivit liberalitate. Restitutum quicquid apud fiscum supererat, a Domitiano temere ademtum: egenis civibus Romanis datus ager ad sexcenties sestertium;[6] lectique senatores, qui agrum emerent et dividerent: additum quoque congiarium.[7] Ad levanda imperii onera, conflata ex aureis argenteisque Domitiani statuis ingens pecuniarum vis. Privatas quoque opes, et Principum prædia, domos, supellectilem Nerva distraxit,[8] ut reipublicæ consuleret.

A. U. 850. J. C. 97.—Nerva Augusto III. L. Verginio Rufo III. consulibus. Verginius Rufus, spreto triginta ante annos imperio,[9] et continua virtutum claritate principem in Urbe locum assecutus, tertio hoc consulatu perfunctus obiit, cum annum tertium et

1 *Narniæ*] Aurel. Victor. in Epitome.

2 *Cretensi origine*] Aurel. Victor. *de Cæsaribus*.

3 *Ac libertatem*] Tacit. Vit. Agric. III.

4 *Calumnia*] Ut constat ex Nervæ nummis. Minime tamen sublatum Judaicum tributum. At non licuit quenquam Judaici ritus accusare; ut videre est apud Dionem, LXVIII. p. 769.

5 *Licent*] Dio, loc. cit.

6 *Sexcenties sestertium*] Dio, ibid. Sexcenties sestertium sunt Angl. 500,000*l.*

7 *Congiarium*] In Nervæ nummis expressum.

8 *Distraxit*] Dio, ibid.

9 *Imperio*] Vide Suppl. Annal. XVI. 79.

octogesimum excessisset. Longo illo ævo undecim Cæsares vidit; ita tamen inter Augusti felicitatem et Trajani virtutes interjectus, ut egregiis hujus imperii temporibus non sit usus. Ductum ei publicum funus. Pro rostris laudatus est a Cornelio Tacito consule. Supremus hic gloriæ ejus cumulus accessit laudator eloquentissimus.[1]

Nerva autem, ad imperii curas intentus, afflictas urbes refovebat; puellas puerosque egenis parentibus natos per Italiæ oppida sumtibus publicis ali jussit. Simul ut pluribus necessitatibus subveniretur, creati quinqueviri, qui modum publicis impensis facerent. Sacrificia, Circenses ludi, spectacula, aliaque id genus, quibus sub priore Principatu opes profundebantur, circumcisa. Dum talibus curis detinebatur Princeps, penes prætorianum militem flagrabat Domitiani desiderium. Novas quoque res moliebatur Calpurnius Crassus.[2] Is deprehensus, confessusque, Tarentum cum uxore amotus est. Hac Principis lenitate arrogantiam cepit Ælianus Casperius,[3] prætoriarum cohortium præfectus; eoque instinctore, Domitiani interfectores ad exitium postulantur. Restitit quidem Princeps. At, eo neglecto, Petronius Secundus et Parthenius comprehensi et jugulati. Tum eo audaciæ prorupit Casperius, ut Nervam compelleret referre apud populum gratias militibus, 'quia nefandos pessimosque omnium mortalium peremissent.' Tali indignitate Princeps infremuit, sensitque et senectuti suæ et reipublicæ quærendum præsidium. Nec illud intra domum assumsit; sed M. Ulpium Trajanum, qui præsidebat Germaniæ, cunctosque bellicis ac civilibus virtutibus præeminebat, adoptavit: quartodecimo Kalendas Octobris, cum lauream ex Pannonia allatam in gremio Jovis collocasset, adoptio nuncupata.[4] Trajani vel absentis fama statim restituta Nervæ auctoritas, et prætorianorum tumultus consedit.

A. U. 851. J. C. 98.—Nerva Augusto IV. Ulpio Trajano II. consulibus. In hac imperii tranquillitate, Nervæ longa decoraque obtingere potuit senectus, si acriorem in vitia impetum esset moderatus. At, dum in Regulum,[5] legibus potius quam verbis

1 *Eloquentissimus*] Hæc omnia Plinius, Ep. II. 1.

2 *Calpurnius Crassus*] Dio, LXVIII. p. 770.

3 *Ælianus Casperius*] Hæc quoque Dio, ibid.

4 *Nuncupata*] Plin. in Panegyric. VIII. et XCII. Dio, ibid.

5 *In Regulum*] Quem omnium bipedum nequissimum appellat Plinius, Ep. I. 5.

puniendum, fervidior invehitur, ira adeo exarsit, ut per omnes ejus artus sudor erumperet: qui cum et hyemis acerbitate et Principis senio fuisset subito restinctus, febris eum corripuit, qua paulo post occubuit:[1] brevi imperio ipsaque mortis causa majorem quam ullus ante Principum gloriam nactus. Is enim primus, Cæsarum superbiam exosus, civilia professus est studia, cunctaque in publicam utilitatem vertit; et consiliorum magnitudine, legum prudentia, magnificentia operum, Urbis splendore præoccupavit gloriam, quæ sequentem Principatum illustravit. Ejus corpus, a senatu delatum,[2] in Augusti tumulo conditum est: mox Deum honores[3] additi.

TRAJANUS.

Trajanus ab Urbe aberat, firmandæ apud Germaniæ *inferioris* exercitus militari disciplinæ intentus. Nervam excessisse accepit diligentia Hadriani,[4] qui paulo ante adoptionem ei gratulatus, tum in Germania superiore agebat, tanto alacrior ut imperium primus nuntiaret, quod Trajani esset consobrinus, eumque, mortuo *patre*, tutorem habuisset; pro filio ipse *etiam habitus, donec* ob vitam juvenili libidine vagam gratia excidit. Inde magis solicitus ut prioris culpæ oblivia mereretur, et vacuum Principis animum occuparet. Servianus, sororis vir, qui ejus luxum ganeamque olim arguerat, odiaque ei moverat, eum detinere, dein fracto consulte vehiculo retardare frustra enisus est: Hadrianus, pedibus iter aggressus, Serviani beneficiarium[5] antevertit. Paulo post allatæ senatus literæ.

Nihil prioris vitæ consiliorumve mutavit Trajanus. Quam inire vellet imperii rationem ad senatum scripsit, testatus proborum quemque tutum fore, se eorum nullum aut morte aut ignominia affecturum.[6] Simul consuluit auctoritati; et Ælianum Casperium, prætorianosque ejus insolentiæ adversus Nervam satellites, ab Urbe

1 *Occubuit*] Victor ex Epitome. Obiit die 27. Januarii, ut colligitur ex Dione, LXVIII. p. 771.

2 *Delatum*] Victor, ibid.

3 *Deum honores*] Multi extant nummi incripti DIVO NERVAE.

4 *Diligentia Hadriani*] Spartianus in Hadrian. cap. 2.

5 *Beneficiarium*] De beneficiariis, seu ad militiæ gradus promotis militibus, dictum Hist. IV. 48.

6 *Affecturum*] Dio, LXVIII. p. 771.

accivit, scelerisque admonitos interfici jussit. Ea severitate Nervam ultum ibat; suum quoque muniit Principatum, cujus turbida forte fuissent initia, quod nec in Urbe, nec in Italia, sed Italicæ[1] in Hispania natus, imperium capesseret: eique familia antiqua magis,[2] quam clara, cui pater consulatum primus intulerat. At splendorem amoremque statim addidit Principis virtus: versis ad admirationem omnium animis, ubi memorandum percrebuit dictum, quo Saburanum, quem prætoriis cohortibus præfecit, allocutus est. Cum ei insigne potestatis, uti mos est, pugionem daret; 'Tibi,' inquit,[3] 'istum ad munimentum mei committo, si recte agam; sin aliter, in me magis: moderatorem omnium vel errare minus fas est.' Cuncta postea ad eam sublimitatem composita. Idque unum in principatu egregium reputans, quod virtutum exemplis et immortalitatis necessitate posset ceteros præeminere, huc suas omnes cogitationes convertit.

Certus militari re stare imperii auctoritatem et robur, voluit in castris nihil vitiorum, quæ ex Neronis temporibus civiliumque bellorum licentia vesanus Domitiani furor revexerat, superesse. Inertia, contumacia, dedignatio parendi[4] exolevere ipsa Principis præsentia, qui imperator simul et commilito omnes imperio et exemplo continebat. Revaluit ducum auctoritas: viguere militum exercitationes et obsequia: moreque militiæ, quæ uno citissimoque impetu ut ad malum, sic ad rectum rapitur, reformata hæc castra ceteris legionum castris se reformandi voluntatem et facilitatem indidere. Jam ardebat miles suas vires experiri, ulcisci veteres injurias, et Principem, paternis suisque bellicis factis[5] illustrem, triumphi gloria condecorare. At Trajanus, restituta militari disciplina lætus, eos motus composuit, in hoc tum firmus illam esse veram Principum gloriam, ut nec timeant bella, nec provocent.[6] Altiore adhuc detinebatur cura: nempe trans Rhenum intestinis dissidiis laborabat Germania. Bructeri,[7] vicinis nationibus invisi,

1 *Italicæ*] Italica, nunc *Sevilla la vieja*, urbi Hispali, *Séville*, proxima.

2 *Antiqua magis*] Eutrop. VIII.

3 *Tibi, inquit*] Victor, de Cæsar, in Trajan. Vide et Plinium in Paneygyric. cap. 67. Dio, LXVIII. p. 778.

4 *Dedignatio parendi*] Plin. in Panegyric. cap. 18.

5 *Paternis suisque bellicis factis*] Vide supra Append. Chronol. ad ann. 828.

6 *Nec provocent*] Plin. in Panegyric. cap 16.

7 *Bructeri*] Vide Tacitum de Morib. German. cap. 33.

nuper fuerant sedibus pulsi ac penitus excisi. Super sexaginta millia non armis telisque Romanis, sed suo furore suique odio ceciderant. Melius utiliusque visum per has discordias grassari: longe ostentare bellum, et sola Romani nominis fama ferocissimas gentes compescere.[1] Quod quidem ita valuit, ut nunquam securiores fuerint imperii fines, cum terrore munirentur.

A. U. 852. J. C. 99.—Cornelius Palma et Sosius Senecio consulatum iniere. Quod iis datum humanitate Principis, tum ut privatorum virtuti locus ac præmia manerent, tum ut insigni exemplo pateret mutata esse tempora, quibus Principes consulatus extorquebant et continuabant.

Emendatis autem castris, Trajanus profectus est Romam, quo eum vocabant civium studia et ipsa rerum necessitas: frustra enim adversus externos hostes rempublicam tutabatur, si interna vitia invalescerent, quæ Urbem primum, dein provincias pessumdabant. Ejus iter placidum[2] fuit ac modestum: nullus in exigendis vehiculis tumultus: nullum circa hospitia fastidium: annona, quæ ceteris: comitatus, tali Principe dignus, accinctus et parens. Mirantibus passim populis, qui meminerant qualis fuisset Domitiani transitus, cum hospitum abactus exerceret, populationem inferret, et ut gulæ luxuique sufficeret, omnia dextra lævaque perureret et attereret, ut si vis aliqua externa ac barbara incideret. Placuit Trajano utriusque Principis discrimen observari; nec tam pro sua gloria, quam pro communi utilitate, edicto subjecit quid in utrumque esset impensum.

Lætior adhuc gratiorque in Urbem ingressus, cum Princeps, non quadrijugo curru, non albentibus equis, non humeris hominum,[3] ut priores invehi et importari erant soliti, at sola corporis proceritate altior aliis et excelsior, ita sedem imperii adiit, ut simul communem patriam veneraretur. Effusa in ejus occursum civitas, viso Prin-

1 *Ferocissimas gentes compescere*] Ob ita compositas Germanicas gentes, Trajanus dictus videtur *Germanicus*. Sic in nummo, qui olim fuit in Museo Collegii Ludovici Magni, ex ære mediocri, IMP. CAESAR NERVA TRAIAN. AVG. GERM. P. M. capite laureato. In aversa parte, TR. POT. COS. II. S. C. Spes lilium dextra gerit. Anno sequenti arcus ei decretus est, constat e præstantissimo et rarissimo Cardinalis Camilli *Massimi* nummo ex ære maximo, IMP. CAES. NERVA GERM. P. M. capite laureato. In adversa parte, TRAIAN. AVG. TR. POT. COS. III. P. P. S. C. Arcus triumphalis, triplici fornice.

2 *Iter placidum*] Plin. in Panegyric. cap. 20.

3 *Humeris hominum*] Plin. in Panegyric. cap. 22.

cipe, lætitiæ impotens, in faustas omnes, quas amor gaudiumque reperit, voces erumpit. Patris patriæ nomina ingeminat senatus. Titulum, sibi carissimum, at nondum satis meritum, Princeps deprecatur. Novum inde venerationis et amoris certamen: crescit, cum receptus Princeps senatum osculo excipit; equestris ordinis decora honore nominum sine monitore distinguit; ultro salutatis clientibus notas addit familiaritatis: affabilitatem etiam ita intendens, ut sensim et placide, quantum respectantium turba pateretur, incederet, et occursantium populus Principi astaret. Ipse non stipatus satellitum manu, sed circumfusus undique nunc senatus, nunc equestris ordinis flore, prout alterutum frequentiæ genus invaluisset, silentes quietosque lictores suos subsequebatur. Idem militum, qui et Principis, pudor, eadem tranquillitas, eadem modestia.

Ubi ad Capitolium ventum est, visa cuncta altaribus plena, augusta victimis: auditæ voces Jovem Principi, Principem Jovi gratulantium: in ejus salutem collata omnium vota. Pari studio Trajanus pro se, pro populo, pro imperio precatur; peractisque sacris palatium petit, sed eo vultu, ea moderatione,[1] ut omnes civem potius, quam Principem sentirent. Accedebat magnum felicitatis publicæ ornamentum simul ac tutamentum Plotina et Marciana,[2] hæc soror, illa uxor Principis, sanctissimæ fœminæ, et, rarum in hoc fastigio, sibi concordes, atque, in quantum patitur sexus, Principi similes. Celebrata quoque Plotinæ, palatium intrantis, vox, 'qualis ingrederetur,[3] talem se velle egredi.' Statim earum virtuti datum, ut offerret senatus cognomen Augustarum, quod eodem animo, quo Trajanus appellationem patris patriæ recusaverat, ipsæ certatim sunt deprecatæ.

Lætissimas, sub talibus auspiciis, imperii spes cumulavit Principis liberalitas. Jam miles partem donativi acceperat. Plebi, cujus urgens erat necessitas, totum additum est congiarium,[4] et ea quidem cura, quæ nondum fuerat visa. Nemo enim expers fuit munificentiæ, seu negotiis, seu valetudine, seu mari fluminibusve distinebatur: ipsi infantes recepti. Supra solitum numerum, paulo minus quinque millia ingenuorum hac Principis solicitudine conquisita et ascita. Neque ea liberalitate, ut sæpe ante contigit,

1 *Ea moderatione*] Plin. in Panegyric. cap. 23.

2 *Plotina et Marciana*] Plin. in Panegyric. cap. 83. et 84.

3 *Qualis ingrederetur*] Dio, LXVIII. p. 771.

4 *Congiarium*] Plin. in Panegyric. cap. 25.

Princeps redimebat scelera, sed ejus in publicum studia notescebant. Aderat et temporis opportunitas. Acrior enim annona, ob inopiam Ægypti siccitatem sterilitatemque,[1] leviter inundante Nilo, mutuebatur. At providentia Principis factum, ut *non modo* Roma Italiaque, sed et Ægyptus abundaret, eique alimenta, *quibus* per tot annos populum Romanum paverat, refunderentur.

Neque his impensis quicquam publicæ lætitiæ detractum. At editum est spectaculum paratu magnificum, nec tamen enerve et fluxum, quod animos molliret, sed quod per servorum noxiorumque pugnas ad pulchra vulnera[2] contemtumque mortis accenderet. Libera spectantium studia, securus fuit favor. Nemo ingenuus, nedum eques senatorve, arena fœdari jussus: neque impietas fuit crimenve majestatis, si quis odisset gladiatores, aut eos non veneraretur.

His dulcibus illecebris in majus opus tendebat Trajanus. *Delatorum* audacia vetus erat in Urbe malum, improborum Principum avaritiæ gratum, sub bonis nunquam satis coërcitum: immo apud eos odiosa nomina sæpe invaluerant. Eprium Marcellum[3] inter amicos receperat Vespasianus: probrosus Veiento[4] cum Nerva cœnabat, atque etiam in ejus sinu recumbebat. *Nempe boni venerandique senes sensim et leniter vitia tolli posse confidebant.* At Trajanus, ut viridi adhuc ætate, ita et valentioribus consiliis usus, summaque mala extremis tantum remediis curari certus, pestem hanc penitus sublatam exscisamque voluit. Provida ergo severitate agmina illa delatorum, qui templum, qui forum insederant, qui honestissimorum civium, maxime potentissimorum, incertos status fecerant, eos fortunis ac penatibus deturbaverant, qui fundatam legibus civitatem tot abhinc annis subvertebant, undique coacta sunt: congesti in navigia raptim conquisita, ac tempestatibus dediti, ut per ventorum ludibria irent, scopulis affigerentur, aut in insularum aspera detruderentur, quibus pulsa et inops virtus tamdiu ingemuerat. Neque in hac severitate desiderata Principis *clementia*, quæ vitam permitteret hominibus tanto sanguine, tot cædibus contaminatis. At sapienter provisum ut execrabilis eorum

1 *Sterilitatemque*] Plin. in Panegyric. cap. 30.

2 *Pulchra vulnera*] Plin. in Panegyric. cap. 33.

3 *Eprium Marcellum*] Tacit. Dialog. de Orat. cap. 8.

4 *Probrosus Veiento*] De hoc probroso homine, egregioque Maurici dicto vide Plinium, Ep. IV. 22.

furor, mille pœnarum indagine inclusus, non in præsens tantum, sed in æternum reprimeretur.[1]

Pace foro reddita, ad altiores curas vertit Princeps: vectigalia, onera publica, imperii necessitates introspexit, simul reputans quantum sua frugalitas de impendiis demere, reditibus posset addere. Hæc scrutatus, collationes remisit,[2] temperavit vectigalia, iisque, quæ supererant, modum posuit, quibus fierent toleratiora; rescisis, quæ naturæ legibus non consentirent. Id quidem majores divusque Augustus neglexerant. Et ut major foret Romani nominis reverentia, qui per Latium[3] in civitate, seu beneficio Principis venissent, nisi simul cognationis jura impetrassent, alienissimi habebantur, quibus conjunctissimi fuerant: institutaque vigesima, bona, licet sanguine, gentilitate, sacrorum societate fuissent possessa, transmitti tamen non poterant, quin eorum pars tributo arraderetur. Hanc quidem duritiem jam Nerva mollierat; sancito, ut 'quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis pervenisset ad matrem, etiamsi cognationum jura non recepissent, cum civitatem adipiscerentur, ejus vigesimam ne darent.' Eandem immunitatem in paternis bonis filio tribuerat, si modo reductus esset in patris potestatem.

Addidit Trajanus, 'ut, quemadmodum in patris filius, sic in hæreditate filii pater esset immunis;' exceptionem quoque removit, 'si modo filius in potestate patris fuisset:' intuitus sane vim legemque naturæ, quæ semper in ditione parentum esse liberos jussit, nec uti inter pecudes, sic inter homines potestatem et imperium valentioribus dedit. Nec contentus primum cognationis gradum abstulisse vigesimæ, secundum quoque exemit, cavitque, ut in sororis bonis frater, et contra in fratris soror, utque avus avia in neptis nepotisque, et invicem illi servarentur immunes. His quoque quibus per Latium civitas Romana patuisset, idem indulsit, omnibusque inter se cognationum jura simul commisit, ut summus civitatis honos nihil naturæ detraheret. Ulterius tetendit Principis providentia; statutaque summa, quæ publicanum pati posset, caruit onere vigesimæ parva et exilis hæreditas. Denique ne suum sæcu-

1 *Reprimeretur*] Plin. in Panegyric. cap. 35.

2 *Collationes remisit*] Plin. in Panegyric. cap. 41.

3 *Qui per Latium*] Qui vel jure Latii, vel beneficio Principis, adipiscebantur civitatem Romanam. Vide Plinium in Panegyric. cap. 37. De jure Latii et civitate Romana dictum ad Annal. XI. 23.

lum priorum temporum acerbitate notaretur, adjecit, ut qui ejusmodi ex causis in diem edicti vigesimam deberent, nondum tamen intulissent, non inferrent.[1]

Pari æquitate, ne auditum quidem est majestatis crimen,[2] singulare et unicum eorum qui crimine vacarent, non tutandis Principibus, sed fisco et ærario locupletandis repertum. Eadem fuit testamentorum securitas: nec unquam nisi ab amicis[3] Princeps scriptus est hæres: amicus autem nemo, nisi bonus, nisi constans et integer. Civium recti ac vividi animi placebant et fovebantur. Hi honoribus, sacerdotiis, provinciis attollebantur. Cetera imperii simili gravitate composita. Tum visum est, quod nunquam prius annalibus memoratum, utinam quanta admiratione, tanta æmulatione postea memoretur! Urbs sine censura, sine præfectura morum, solis Principis beneficiis, solis virtutibus emendata. Vulgus ipsum Principis disciplinæ capax et æmulum. Ipsum puduit suæ lasciviæ; oravitque ut spectaculum pantomimorum, a prioribus Principibus ob immodestiam sæpe pulsum, semper a populo repetitum, tolleretur.[4]

Nihil quoque omittebat Trajanus, quo ipse carior, populus lætior foret. Palatium, arcem illam dominationis, quam *publicarum ædium*[5] nomine Divus Nerva jam inscripserat, publicum fecit. Patuit omnibus: ibi Princeps cuivis obvius, non aditu tantum facilis, sed invitans, sed expectans, singulis comis et indulgens. Post magnam diei partem inter imperii curas transactam, remissiones, non occultæ, sed oculis expositæ, cœtu, frequentia, suavitate sociales. Cibus semper in medio,[6] mensaque communis, et in convictu frugalitas, jucunditas, mutui sermones, liberales joci, et studiorum honor. Inde parcus brevisque somnus,[7] quem novæ curæ, nova excipiebat humanitas.

Nec satis fuit, si se totum Princeps utilitati publicæ impenderet;

1 *Non inferrent*] Plin. in Panegyric. cap. 40.

2 *Majestatis crimen*] Plin. in Panegyric. cap. 42.

3 *Ab amicis*] Plin. in Panegyric. cap. 43. et 44.

4 *Tolleretur*] Plin. in Panegyric. cap. 46.

5 *Publicarum ædium*] Plin. in Panegyric. cap. 47.

6 *Cibus semper in medio*] *Plin.* in Panegyric. cap. 49. Cibus semper in propatulo et coram astantibus.

7 *Brevisque somnus*] Eleganter Plin. in Panegyric. cap. 49. 'Brevis somnus, nullumque amore nostri angustius tempus, quam quod sine nobis agis.'

voluit ut in eandem utilitatem voluptatemque cederet priorum temporum luxus, sibi invisus, imperio gravis. Arctata ergo immensa illa terrarum spatia, quibus in una sua domo urbes, flumina, stagna, sylvas concluserant Principes, incredibilium cupidi. Circumlata tabula ingens rerum venalium,[1] quas effræna eorum cupiditas undique corrogaverat. Licuit domos, villas, suburbana emere, quas ob inquietum animum gravemque conscientiam, ut totidem latibula, in infinitum paraverant. Amicis etiam amœnissima quæque elargitus est, amicitiæ quidem pignora, sed et simul virtutis præmium et incitamentum.

Quantum privatis Principum opibus detraxerat, tanto in publicum liberalior, templa, porticus,[2] vetera monumenta, vetustate, casu, negligentia, invidia, dilapsa aut corrupta reposuit restituitve. Aucto quoque, ut memoravimus, congiarii facilitate populo, locorum quinque millia circo addita; immensumque circi latus, incendio sub Nerone Principe labefactum, tanta magnificentia refectum est, ut templorum pulchritudinem provocaret:[3] longe majori tamen specie, quod tum æquatus in hac populi victoris gentium sede plebis ac Principis locus, nec cubiculum Principis,[4] sed ipse Princeps cerneretur, in publico, in populo sedens.

Mirum ut in hoc imperii splendore erupit impetus procreandi et educandi liberos,[5] qui non in immitia, sed in lætissima tempora crescerent et adolescerent: egregium reipublicæ subsidium, sub bonis Principibus semper paratum, cura Trajani adhuc amplificatum, et in seras ætates diffusum. Nihil enim omisit, ut vitam virtutemque extenderet. Medendi ars[6] præmiis et immunitatibus incitata.

1 *Rerum venalium*] Plin. in Panegyric. cap. 50.

2 *Templa, porticus*] Plin. in Panegyric. cap. 51.

3 *Provocaret*] Plin. in Panegyric. cap. 51. Restituti a Trajano circi maximi pulchritudinem videre est in Trajani nummis ex ære magno.

4 *Cubiculum Principis*] Tale cubiculum, in quo Nero parvis foraminibus spectabat, memorat Suetonius in Ner. cap. 12.

5 *Educandi liberos*] Plin. in Panegyric. cap. 26. et 27. Hanc felicitatem temporum sub Trajano Principe egregie commendat auctor Dialogi φιλοπάτριδος apud Lucianum, p. 1129. Ne pauperes quidem erant soliciti, quid liberis suis relinquerent. Id, inquit, unum sufficit, dies Principis. Salvo Principe, nec nos deficient divitiæ, nec ulla vis hostium terrebit.

6 *Medendi ars*] Privilegia præmiaque philosophis, rhetoribus, grammaticis, medicis a Trajano data memorantur in Digest. Libr. 27. Tit. 1. de Excusationibus; Leg. 6. ex Modestino.

Idem collatum grammaticis, rhetoribus, philosophis, qui ingenia moresque juventutis formarent.

Ab ortu imperii nondum fuerat tanta admirationis laudumque materies. Iis jam personabant theatra: vetuit Princeps; *hisque* in locis, quæ adulatio libidoque tamdiu fœdaverant, voluit de se *sileri*.[1] Senatum quoque coërcuit, qui arcus, tropæa, statuas affatim vetere de more offerebat. Ne tamen modestia contemtu honorum in arrogantiam verteret, statuam unam alteramve, et hanc æream,[2] in vestibulo Jovis Capitolini sibi poni permisit. Quo temperamento egregie providit, ut virtutum monumentis honos maneret, dum ea, quæ vanitas, scelus, et impietas, auro, argento, per fora, per templa, passim ante sacraverant, ridebantur et abolebantur.

A. U. 853. J. C. 100.—Trajano Augusto III. Cornelio Frontone III. consulibus. Proximus annus raras Principibus, tertius hic consulatus ne notas quidem virtutes explicuit. Hactenus *Principes* consulatum usurpaverant, ut cuncta imperio parerent, eum *recepit* Trajanus ut pareret legibus. Nec unquam certius fuit restitutæ libertatis argumentum, quam cum Princeps, privato similis, campum adiit, candidatus[3] comitiis suis interfuit; peractisque eorum solenniis, designatus consul accessit ad consulis sellam: *eo sedente*, ipse, Imperator, Cæsar, Augustus, Pontifex maximus, *stetit* ante ejus gremium:[4] præeunte consule, juravit, expressitque verba, quibus caput suum, domum suam, si scienter fefellisset, Deorum iræ consecraret. Dein cum consulatum iniret Kalendis Januariis, nullo jam præeunte, in rostris simili religione ipse se legibus subjecit: mox tertio idus Januarias, cum vota nuncuparentur[5] pro æternitate imperii, pro salute civium, pro salute Principis, nunquam obliteranda verba addidit, 'si bene rempublicam et ex utilitate omnium rexero.'[6]

Major adhuc visus, cum comitia obivit. Candidatos exemplo suo satis docuerat, ut senatum revererentur; ne eorum animi perstringerentur Principatus splendore, eos adhuc hortatus est,

1 *De se sileri*] Plin. in Panegyric. cap. 54.

2 *Et hanc æream*] Plin. in Panegyric. cap. 52.

3 *Candidatus*] Plin. in Panegyric. cap. 63.

4 *Ante ejus gremium*] Ante gremium consulis. Plin. in Panegyric. cap. 64.

5 *Vota nuncuparentur*] In vetere Kalendario Herwartiano 3. Nonas Januarias, VOTORVM NVNCVPATIO; et in Laterculo Ptolemæi Silvii, 3. 'Non. Jan. dies auspicalium.'

6 *Rexero*] Plin. in Panegyric. cap. 67.

'ut senatui supplicarent, atque ita a Principe sperarent honores, si a senatu petissent.'[1] Tum anxia ei fuit solicitudo, ut si quid usquam post tot strages stirpis antiquæ, si quid residuæ claritatis foret, illud in usum reipublicæ promeret, debitumque generi honorem, vel antequam deberetur, offerret: nec minor industria, ut quos nondum sanguis, jam virtus nobilitaverat, promoverentur. Ipse erat laudator, ut quod egregium, licet longe et in provinciis,[2] præstiterant, notesceret: gnarus nempe gratissimam esse virtuti mercedem, si a Principe laudetur;[3] et ad æmulandum accendi animos, si sciverint nihil laudabiliter actum Principem celari, paratum semper ejus testimonium, huncque honoris et gloriæ campum omnibus patere.

Quos tam impense foverat, nova extulit comitate. Candidatos enim, senatus assensu probatos, sua voce renuntiavit: ut quemque nominabat, non affixus curuli manum tantum, et hanc cunctanter et pigre, et imputanti similis, uti prius fuit solitum, promsit, sed osculo occurrit,[4] devexus in planum, et quasi unus ex gratulantibus. Perculsis animis insolita humanitatis specie, qua Princeps et candidatus æquales et simul stantes videbantur, instinctu quodam et virtutis imperio exsiliere patres, et a cuncto senatu acclamatum est, 'tanto major! tanto augustior!'[5] Erubuit Princeps; demisit vultum; humescentibus stillantibusque oculis, precatus est 'ut illa ipsa ordinatio comitiorum bene ac feliciter eveniret senatui, reipublicæ, sibi.'[6] His principis lacrymis, talibus votis, admiratio, lætitia, caritas ardescit: unanimis erumpit acclamantium impetus, 'o te felicem![7] o nos felices! crede nobis! crede tibi! Sic te ament Dii, quemadmodum tu nos.' Nondum vel regum imperia, vel felix libertas, vel Cæsarum magnificentia hanc lætitiam talesque voces expresserant. Ne qua faustissimum diem interciperet

1 *A senatu petissent*] Plin. in Panegyric. cap. 69.

2 *Et in provinciis*] Plin. in Panegyric. cap. 70. 'Præfuerat provinciæ quæstor unus ex candidatis, inque ea civitatis amplissimæ reditus egregia constitutione fundaverat; hoc senatui allegandum putasti.'

3 *A Principe laudetur*] Vere enim et egregie Plinius in Panegyric. cap. 70. 'Sincera rectaque ingenia *(hebetat)* misera, sed vera reputatio; si quid bene fecero, nesciet Cæsar; aut si scierit, testimonium non reddet.'

4 *Osculo occurrit*] Plin. in Panegyric. cap. 61.

5 *Tanto augustior*] Plin. ibid.

6 *Reipublicæ, sibi*] Plin. in Panegyric. cap. 72.

7 *O te felicem*] Plin. in Panegyric. cap. 74.

oblivio, simul ut ejus memoria futuri Principes onerarentur, hæc comitia in publica acta mittenda et incidenda in ære senatus censuit: annuit Princeps sui securus, et quod omnes gauderent lætus.

Idem fuit totius consulatus tenor. Trajanus frequens in campo, in foro frequentior, assiduus in tribunali, omnes consulis partes sustinere: religione æquitatis, legum reverentia tueri cujusque jura: in cognitionibus mitem severitatem[1] non dissoluta clementia attemperare: singulis magistratibus suam auctoritatem non imminuere, sed augere: pleraque ad prætores remittere, quos etiam collegas vocabat;[2] populare gratumque nomen, et ex ore Principis non irridentis, sed ita sentientis, amicum pariter et honorificum.

His tamen anni initiis nihil magis probavit consularem Trajani patientiam, quam triduum totum[3] in causa Marii Prisci insumtum. Avaritia magistratuum, singulare vitium, malorum *Principum* terrore melius, quam bonorum vigilantia repressum, sub Nerva Principe recruduerat; senili ejus auctoritate irritatum et audax. Duo homines, Marius Priscus et Cæcilius Classicus, iis sordibus infames:[4] consularis alter, alter senator: ille ex Bætica, hic ex Africa oriundus. At, mutatis invicem locis, licentius, ut extra patriam, sævierant.

Afri, quibus Marius proconsul præfuerat, eum accusavere. Is, manifestis criminibus irretitus, judices petiit. Ego[5] (absit verbo injuria; non me vanitas, sed rerum necessitas Historiæ inserit) et C. Plinius, Afris adesse jussi, existimavimus fidei nostræ convenire, notum senatui facere, 'excessisse Priscum immanitate et sævitia crimina, quibus dari judices possent: cum ob innocentes condemnandos, interficiendos etiam, pecunias accepisset.' Respondit Fronto Catius, deprecatusque est 'ne quid ultra repetundarum legem quæreretur:' vir, movendarum lacrymarum peritus, orationem miseratione implevit. Magna inde contentio, magni utrimque clamores: aliis 'cognitionem senatus lege conclusam,' aliis 'libe-

1 *Mitem severitatem*] Plin. in Panegyric. cap. 80.

2 *Collegas vocabat*] Plin. in Panegyric. cap. 77.

3 *Triduum totum*] Plin. in Panegyric. cap. 76.

4 *Iis sordibus infames*] De Marii Prisci et Cæcilii Classici causa magnas epistolas scripsit Plinius, Ep. II. 11. III. 9. Vide et Ep. III. 4.

5 *Ego*] Cornelius Tacitus et C. Plinius Afris adesse jussi. Plin. Ep. II. 11. Ut veterem retinerem morem, loquentem Tacitum induxi. Aliter obscuratur narratio.

ram solutamque' dicentibus, 'quantumque admisisset reus, tantum vindicandum.' Cum ita ferverent animi, consul designatus Julius Ferox, vir rectus et sanctus, 'Mario quidem judices interim censuit dandos: evocandos autem, quibus diceretur innocentium pœnas vendidisse.' Venerunt, qui adesse erant jussi, Vitellius Honoratus et Flavius Martianus, ex quibus Honoratus 'trecentis millibus[1] exilium equitis Romani, septemque amicorum ejus ultimam pœnam:' Martianus 'unius equitis Romani septingentis millibus[2] plura supplicia arguebatur emisse:' erat enim fustibus cæsus, damnatus in metallum, strangulatus in carcere. Honoratum cognitioni senatus mors opportuna subtraxit: Martianus inductus est, absente Prisco. Tutius Cerealis, consularis, jure senatorio postulavit 'ut Priscus certior fieret:' incertum miserationem an invidiam ejus præsentia vellet movere: forte tamen ratus æquissimum esse commune crimen ab utroque defendi; et, si dilui non potuisset, in utroque puniri. Dilata res est in proximum senatum. Magna jam erat ob causæ amplitudinem expectatio et fama: crevere dilatione. Celebritatem addidit Princeps, consul et præses, senatusque, ut Januario, mense frequentissimus. Movit et ipse rei squalor. Stetit enim Priscus, modo consularis, modo septemvir epulonum, jam neutrum.

Causam orsus est Plinius: dixit horis pæne quinque, magno audientium assensu, tantaque Principis solicitudine, ut oratorem, per ejus libertum post eum stantem, sæpius admonuerit, 'voci laterique parceret,' Respondit pro Martiano Claudius Marcellinus. Missus deinde senatus, ne si inchoaretur Marii defensio, noctis interventu scinderetur. Postero die dixit pro Mario Salvius Liberalis, vir subtilis, dispositus, acer, disertus. Respondi[3] ea, quam causa locusque suadebant, eloquentia et gravitate. Rursus pro Mario dixit Fronto Catius insigniter: utque jam locus ille poscebat, plus in precibus temporis, quam in defensione consumsit. Hujus actionem vespera inclusit, non abrupit. Itaque in tertium diem probationes exierunt. Pulchrum sane et antiquum, senatum

1 *Trecentis millibus*] Trecentis millibus sestertium, Angl. 2500*l.*

2 *Septingentis millibus*] Septingentis millibus sestertium. Angl. 5833*l.* 6*s.* 8*d.*

3 *Respondi*] Plinius, Ep. II. 11. 'Respondit Cornelius Tacitus eloquentissime, et quod eximium orationi ejus inest, σεμνῶς.' Sic Plinius appellat splendidum et grave dicendi genus, quo excellebat Tacitus.

nocte dimitti, triduo vocari, triduo contineri. At egregium, Principem tamdiu sedisse, nihil præter consulem egisse; et, quod rarum magis, tutum fuit cuique interrogare quod placuit, dissentire, discedere, copiam judicii sui reipublicæ facere. Consulti sunt omnes, atque etiam dinumerati; vicitque sententia, non *prima*, sed melior.

Censuit enim Cornutus Tertullus, consul designatus, vir egregius et pro veritate firmissimus, 'septingenta millia, quæ acceperat Marius, ærario inferenda: Mario urbe Italiaque interdicendum: Martiano hoc amplius, Africa.' In fine sententiæ adjecit 'Plinium et Tacitum injuncta advocatione diligenter fortiterque functos esse: arbitrari senatum, ita eos fecisse, ut dignum mandatis partibus fuerit.' Assenserunt consules designati, omnes etiam consulares usque ad Pompeium collegam. Ille 'septingenta millia, quæ acceperat Marius, ærario inferenda, et Martianum in quinquennium relegandum: Marium pœnæ, quam jam passus esset, censuit relinquendum.' In molliorem hanc sententiam plures iere, quidam etiam ex iis, qui Cornuto videbantur assensi, Collegam secuti sunt. Sed cum fieret discessio, qui sellis consulum astiterant, in Cornuti sententiam ire cœperunt. Tum illi, qui se Collegæ annumerari patiebantur, in diversum *transierunt*. *Collega*, cum paucis relictus, multum postea de *impulsoribus* suis, præcipue de Regulo questus est, qui se in sententia, quam ipse dictaverat, deseruisset. At Regulo, homini malefico, quem sæpe memoravimus, mobile ingenium: ut plurimum audebat, plurimum timebat. Hic finis fuit cognitionis amplissimæ, quam Plinium hujus temporis res elegantissimis epistolis complexum secutus, fusius tradidi, ut palam fieret, quantum mutata essent ea tempora, quibus unus solusque censebat, ceteros manebat muta ac sedentaria assentiendi necessitas.[1]

Supererat quidem Hostilius Firminus, legatus Marii Prisci, permistus causæ,[2] nunc vero casu an conscientia absens. De eo relatum proximo senatu.[3] Probatus est rationibus Martiani, et sermone quem ille habuerat in ordine Leptitanorum[4] operam suam

1 *Assentiendi necessitas*] Plin. in Panegyric. cap. 76.

2 *Permistus causæ*] Plin. Ep. II. 11.

3 *Proximo senatu*] Is dies mihi videtur fuisse tertius mensis Februarii. In vetere Kalendario Herwartiano, 3. Nonas Febr. SENATVS LEGITIMVS.

4 *In ordine Leptitanorum*] Leptitani, Africæ populus, de quibus dictum Hist. IV. 50. Leptis, nunc *Lebida*. Ordinem Mutinensem vid. Hist. II. 52.

Prisco ad turpissimum ministerium commodasse, stipulatus quoque de Martiano quinquaginta millia denarium:[1] præterea comtus semper et pumicatus, sestertium decem millia[2] fœdissimo unguentarii nomine[3] acceperat. Evictis criminibus, de pœna secutæ sunt diversæ sententiæ consulum designatorum. 'Ordine movendum' censuit Cornutus Tertullus: Nerva 'in sortitione provinciæ rationem ejus non habendam.' Quæ sententia, tanquam mitior, vicit. Altera tamen in publicum magis decora. Congruens enim hominem, notatum a senatu, et damnatum sordium, in senatu non sedere.

Cæcilii Classici causa[4] major fuit reorum numero: minor tamen claritas, licet una tantum civitas paucique privati Marium Priscum postulassent, tota vero Bætica[5] in Classicum incumberet. At is propera morte pudorem damnationis fugerat: quod cognitionis famam minuit, odia non restinxit. Nam Bætica in defuncti accusatione perstitit. Provisum hoc legibus, intermissum tamen, et post longam intercapedinem tunc reductum.

Affuere Bæticis C. Plinius, modo memoratus, et Luceius Albinus, vir dicendo copiosus, ornatus. Ne evaderent, quos Classicus socios ministrosque habuerat, necesse fuit Classicum nocentem ostendere, et ministerium crimen esse probare. Utrumque peractum est; et manifesta erant Classici crimina. Sua enim manu reliquerat scriptum quid ex quaque re, quid ex quaque causa accepisset. Vulgatæ quoque ejus epistolæ, Romam ad amiculam missæ, jactantes et gloriosæ, his verbis: 'Io, Io, liber ad te venio: jam sestertium quadragies[6] redegi, parte vendita Bæticorum.' In hanc proterviam animadversum. 'Bona Classici, quæ habuisset ante provinciam,' placuit senatui 'a reliquis separari: illa filiæ, hæc spoliatis relinqui.' Additum est 'ut pecuniæ, quas creditoribus solverat, revocarentur.'

Duos provinciales, in accusatione junctos Classico, Bæbium Probum et Fabium Hispanum, utrumque gratia, Hispanum etiam facundia, validum, defendere frustra tentavit Claudius Restitutus,

1 *Quinquaginta millia denarium*] Angl. 1666*l.* 13*s.* 4*d.*

2 *Sestertium decem millia*] Angl. 83*l.* 6*s.* 8*d.*

3 *Unguentarii nomine*] Ob unguenta Sic ob clavos caligares dictum est clavarium. Tacit. Hist. III. 50.

4 *Cæcilii Classici causa*] Plin. Ep. III. 9.

5 *Bætica*] De ea dictum Hist. I. 53.

6 *Sestertium quadragies*] Angl. 33,333*l.* 6*s.* 8*d.*

vir exercitatus et subitis paratus. Hispanus et Probus in quinquennium relegati sunt. Post paucos dies Clavius Fuscus, Classici gener, et Stillonius Priscus, tribunus cohortis sub Classico, accusati sunt, dispari eventu. Prisco in biennium Italia interdictum: absolutus est Fuscus. Actione tertia plures inducti, ne si longius esset extracta cognitio, satietate et tædio quodam justitia cognoscentium severitasque languesceret. In hac turba, quidam absoluti, plures damnati, atque etiam relegati, alii in tempus, alii in perpetuum. Uxor Classici, Casta nomine, suspicionibus implicabatur: nondum tamen convincebatur, cum quidam ex testibus Norbanum Licinianum, legatum et inquisitorem a Bæticis missum, non tanquam bonum et fidelem, sed tanquam Classici inimicum, et ab illo relegatum, reum postulavit, quasi in causa Castæ prævaricaretur. Lege quidem cautum est, ut reus ante peragatur, tunc de prævaricatore quæratur. Optime enim ex accusatione ipsa æstimatur accusatoris fides. At Norbanus, homo alioqui flagitiosus, et Domitiani temporibus usus, tanta conflagravit invidia, ut non ordo legis, non legati nomen, non inquisitionis officium præsidio fuerit. Immo dari sibi diem ad diluenda crimina frustra postulavit. Coactus est statim respondere. Confidenter incertum an constanter (adeo pravum fuit hominis ingenium) certe *paratissime respondit*. Objecta sunt multa, que magis quam prævaricatio, nocuerunt. Duo etiam consulares, Pomponius Rufus et Libo Frugi, læserunt eum testimonio, tanquam apud judicem, sub Domitiano, Salvii Liberalis accusatoribus affuisset. Damnatus itaque et in insulam relegatus est.

Tum Plinius iterum Castam aggressus est; nihilque magis pressit, quam quod accusator ejus prævaricationis crimine corruisset. Non vicit. Contrarium tamen et novum, ut, accusatore prævaricationis damnato, rea absolveretur. At prona in fœminam indulgentia senatus; forte et juvere crimina præter prævaricationem Norbano objecta. Summo die Salvius Liberalis, natura vehemens et disertus, suisque periculis in suspiciones præceps, reliquos legatos graviter increpuit, tanquam non omnes, quos mandasset provincia, reos peregissent. Viris optimis, jam in discrimen adductis, subvenit Plinius, in hac, ut in Prisci causa, senatus testimonio probatus. Forensibus ejus laudibus accessit consulatus fastigium, prioribus etiam temporibus præcipuum, sed Trajani virtutibus adhuc nobilitatum. Qua enim modestia eum gesserat, eadem posuit, pro concione, pro rostris, et solenni jurejurando 'se nihil contra leges

fecisse.'[1] Eam dignitatem cepit Plinius Kalendis Septembribus. Gratias egit Principi ingeniose et facunde. Extat oratio, in qua magna oratoris ars, major eminet Principis virtus. Id enim facundiam inter et eloquentiam interest, quod hæc commendet virtutes, illa commendetur virtutibus.[2]

Interim venere bellorum nuntii: nec Principem imparatum reperere. Nihil enim inter pacis otia militaris duritiei omiserat Trajanus: solitus per Urbem pedibus ingredi;[3] et, si quid remissionis permitterent publica negotia, venatu corpus exercere, lustrare saltus,[4] excutere cubilibus feras, superare montium juga, horrentibus scopulis gradum inferre, nullius manu, nullius vestigio adjutus: aut, si ad mare diverteret, naves conscendere, gubernaculis assidere,[5] cum valentissimo quoque sodalium certatim frangere fluctus, domitare ventos reluctantes, remisque transfretare obstantia freta. Certus corpora otio marcescere, valescere exercitiis; decorum esse Principi, ut vel ejus voluptates belli memoriam imaginemque referant: alioquin in belli cogitationes defixus,

1 *Contra leges fecisse*] Plin. in Panegyric. cap. 65.

2 *Commendetur virtutibus*] Eloquentiæ inest aliquid sublime ac divinum, quod vel maximas virtutes potest commendare. Non eadem est facundiæ vis: non eadem potestas. Virtutem assequi ingenio contendit facundia; sed semper major assurgit virtus, quæ facundiam illustrat et commendat, a facundia nec illustratur nec commendatur. Inde licet nihil forte ingeniosius excogitari possit oratione, quam Plinius de Trajani laudibus recitavit; in ea tamen Trajanus melior majorque videtur Princeps, quam Plinius, orator. Nunc vero juvat expendere, quod quidam mirantur vixque intelligere se profitentur, quomodo et Plinius tantas Trajani laudes, Trajano præsente, recitare; quomodo eas Trajanus audire potuerit. At oratori semper decorum est virtutem Principis celebrare; et cum maxima est, quodam orationis impetu fertur, nec timet ne nimis, sed ne satis dicat: ipsa Principis præsentia inflammatur, ardetque et suos et publicos sensus efferre. Modestia autem omnes homines, Principes etiam decet. At vel modesti Principes suas laudes patiuntur; quod iis honorificum, populis gratum est. Pessima res est Princeps, qui laudes vel non audit, vel spernit. Præterea privatorum hominum virtutibus manent præmia: unum Principum virtutis præmium, laudes. Denique nova erat Trajani fortuna; ne obscuraretur priorum Cæsarum fastigio, debebat Plinius Cæsarum vitia insectari, Trajanum publice laudare; et Trajanus laudes suas pati, immo et optare. Felix tantum Plinius, quod egregias laudaverit virtutes, quarum magna tum erat fama, et quæ per totum postea Trajani principatum crevere. Post circumacta tot sæcula, visosque tot Principes manet vigetque eadem laus, par admiratio.

3 *Pedibus ingredi*] Plinius in Panegyric. cap. 24.

4 *Lustrare saltus*] Plin. in Panegyric. cap. 81.

5 *Gubernaculis assidere*] Plin. in Panegyric. cap. 81. et 82.

quod sciret summam hanc esse Principum artem, ut pace bellum parent, bello pacis securitatem faciant. Ceterum cuncta in imperio erant valida: in exercitibus disciplina, in foro æquitas, in provinciis abundantia, in ærario opes.[1] Ubi igitur auditum est Decebalum, Dacorum regem, sæpe nobis memoratum,[2] Trajani absentia extolli, ingentem hominum vim armari, bellum statim decretum est. Commeatus aliaque bello necessaria properari jussa. Præter naturam militaris gloriæ avidam, ardebat Trajanus illatas Romano nomini sub Domitiano Principe injurias ulcisci, et rempublicam ignavis pecuniis, quæ per singulos annos barbaris pendebantur, absolvere. Exscindendam quoque reputabat gentem in bella semper pronam, corporum vi, et, quod ferocius, spe æternitatis ac melioris vitæ, quam eorum animis indiderat Zamolxis,[3] apud eos numinis loco habitus.

Inter hos belli apparatus, obiere Silius Italicus et Valerius Martialis, duo ætatis suæ ingenia, mediocritatem non egressa. *Hic*, Bilbili,[4] in Hispania oriundus, ut ferebat literarum quas coluit jocosum genus, plus laudis quam fortunæ obtinuit; in notandis vitiis sat lepidus, in vitandis haud ita felix: cum alios in Urbe irrisisset, ipse in patria irrisus tristem vitam finivit.[5] *Contra Silio* Italico[6] omnia fuere præter ingenium: *opes, honores, et*, quæ rariora sunt, potentia sine invidia, et in magna fortuna literarum amor et cura. At dum Virgilium,[7] quem præcipua religione colebat, imitari audet, exemplo fuit promtum esse præcellentes viros venerari, imitari arduum; cunctaque præter ingenium esse fortunæ obvia. Neronianis temporibus ambigua vixit fama, quod crederetur sponte accusasse. In Vitellii amicitia sapienter et comiter

1 *In ærario opes*] Nec tunc ærarium fuit 'spoliarium civium, cruentarumque prædarum sævum receptaculum,' sed publicarum opum viriumque templum ac munimentum. Eadem in fisco sanctitas. Opes tantum ex Principis parcimonia et moderatione. Plin. in Panegyric. cap. 36.

2 *Nobis memoratum*] Vide supra Appendicem Chronologicam ad annos U. C. 839. 841. et seq.

3 *Indiderat Zamolxis*] Julianus, de Cæsaribus, p. 846. Zamolxis, servilis conditionis, sed sapientia apud Scythas Getasque, quorum pars erant Daci, divinitatem adeptus.

4 *Bilbili*] Hispaniæ Tarraconensis urbs fuit Bilbilis, cujus extant adhuc rudera in monte *Bambola*, mille et quingentis ferme passibus ab urbe *Calatayud*.

5 *Vitam finivit*] De Martialis morte scripsit Plin. Ep. III. 21.

6 *Silio Italico*] De ejus morbo morteque epistolam habet Plinius Ep. III. 7.

7 *Dum Virgilium*] Silio Italico fuit 'multum imaginum, quas non habebat

se gessit. Ex proconsulatu Asiæ reportata gloria, maculam veteris industriæ laudabili otio abluit; fuitque inter principes civitatis, vitam aut scribendo, aut doctissimis sermonibus terere solitus. Post suadentibus annis, in amœnissimo Campaniæ secessu se continuit. Plures ibi ei villæ,[1] quarum, cum inconstans sit elegantiarum libido et facilis opulentiæ satietas, adamatis novis, priores negligebat. Multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum. In hac eruditi luxus tranquillitate, insanabili clavo discruciatus, dolorisque impatiens, mortem inedia properavit. Annum quintum et septuagesimum excessit. Haud magna certe mortalitate, ipse tamen novissimus a Nerone factus consul, postremus ex omnibus, quos Nero consules fecerat, decessit.[2]

A. U. 854. J. C. 101. Trajano Augusto IV. et Sexto Articuleio Pæto consulibus. Senatus Trajanum exoraverat, ut quartum hunc consulatum[3] sumeret. Ejus initia insignivere leges, quibus obviam itum cupiditati, ne quid libertatem impediret. Senatusconsulto Articuleiano[4] cautum est 'ut de fideicommissa libertate[5] præsides provinciarum in provinciis cognoscerent, licet hæres non foret ejus provinciæ.' Alterum postea, cum suffecti fuissent consules Rubrius Gallus et Cœlius Hispo, additum est senatusconsultum,[6] 'ut si hi, a quibus libertatem præstari oportet, evocati a prætore, adesse noluissent: si, causa cognita, prætor pronuntiasset libertatem his deberi, eodem jure status servaretur, ac si directo manumissi essent.'

modo, verum etiam venerabatur: Virgilii ante omnes, cujus natalem religiosius, quam suum, celebrabat. Neapoli maxime, ubi monumentum ejus adire, ut templum, solebat.' Plinius Ep. III. 7.

1 *Ei villæ*] Iisdem etiam in locis plures fuere Silio villæ. 'Erat' enim 'φιλόκαλος usque ad emacitatis reprehensionem.' Plin. ibid.

2 *Decessit*] Vere beneque Plinius, ibid. 'Quod me recordantem, fragilitatis humanæ miseratio subit. Quid enim tam circumcisum, tam breve, quam hominis vita longissima? An non videtur tibi Nero modo fuisse, cum interim ex iis, qui sub illo gesserant consulatum, nemo jam superest? Quanquam quid hoc miror? nuper Lucius Piso, pater Pisonis illius, qui a Valerio Festo per summum facinus in Africa occisus est, dicere solebat: Neminem se videre in senatu, quem consul ipse sententiam rogavisset. Tam angustis terminis tantæ multitudinis vivacitas ipsa concluditur.'

3 *Quartum hunc consulatum*] Plin. in Panegyric. cap. 78.

4 *Senatusconsulto Articuleiano*] Digest. Libr. XL. Tit, 5. 'de Fideicommissariis libertatibus.' Leg. 51.

5 *Fideicommissa libertate*] Libertatie codicillis, vel testamento, non tamen civilibus verbis, sed per preces, relicta.

6 *Senatusconsultum*] Quod a Rubrio Gallo consule Rubrianum dictum est;

Hæc inter clarior dignaque his temporibus acta est causa.[1] Gymnicus agon apud Viennenses[2] ex testamento celebrabatur. Hunc Trebonius Rufinus, vir egregius, in duumviratu[3] suo tollendum abolendumque curaverat. Cum negaretur ex auctoritate publica fecisse, cognitio coram Principe instituta. Trebonius egit ipse causam non minus feliciter, quam diserte. Dein cum rogarentur sententiæ, dixit Junius Mauricus, natura, et obitis sub Domitiano[4] periculis, virtutis et veritatis firmus, 'non esse restituendum Viennensibus agona.' 'Vellem etiam,' adjecit, 'Romæ tolli posse.' Placuit agona tolli, qui mores Viennensium infecerat. Majori cum labe mansit in Urbe, quæ eo amplitudinis et licentiæ excessit, ut vitiis sit continenda.

His perfunctus curis, Trajanus Daciam profectus est.[5] In Romana ripa aggesta jam erat ingens frumenti et commeatuum copia.[6] Nec Decebalus, audito non per legatos, sed ab ipso Trajano se peti, quicquam tentare ausus est. At, ut mos est barbaris, quanto ante in audaciam, tanto in pavorem[7] tunc pronior, suis se montibus abdidit, ut locorum difficultate et insidiis falleret. Itaque ubi primum Trajanus advenit, transvecti commeatus;[8] con-

de quo vide Digest. loc. cit. leg. 26. et Ulpiano.

1 *Acta est causa*] Cui Plinius interfuit, ab optimo Principe in consilium assumtus. Plin. Ep. IV. 22.

2 *Apud Viennenses*] Vienna, nunc *Vienne en Dauphiné.*

3 *Duumviratu*] Ut Romæ consules, ita in coloniis et municipiis erant duumviri, qui populo præsidebant. Eorum nomen sæpe occurrit in nummis sic scriptum IIVIR.

4 *Sub Domitiano*] Vide Appendicem Chronologicam ad annum U. C. 847.

5 *Daciam profectus est*] Si veteres tantum scriptores consulas, multa de bello Dacico desiderantur. Inde ea, quæ nunc percurrimus tempora, apud recentiores scriptores mirum in modum confusa sunt et turbata. Si attendissent hoc bellum fuisse traditum non fugacibus tantum librorum literis, sed vivaci marmore, et mirabili opere anaglypticarum tabularum Columnæ Trajanæ, quæ tot sæculorum superstes adhuc in media urbe Roma extat, omniumque oculis et admirationi patet; sese ex iis, quibus hærent, ambagibus extricassent: maxime, si veterum nummorum et Inscriptionum subsidia adhibuissent. Iis ducibus, bellum Dacicum explanabo. At cum sæpe sum laudaturus Columnam Trajanam, operæ pretium est monere me sequi Romanam editionem, quam ex delineatione Petri-Sanctis Bartoli, cum annotationibus Alphonsi Ciacconii et Joannis Petri Bellori, Joannes Jacobus Rossi edidit. *Colonna Trajana data in luce da Gio. Giacomo de Rossi.* Dacia autem, quæ in hoc bello toties memorabitur, nunc *Transylvania, Wallachia, and Moldavia.*

6 *Commeatuum copia*] Quam videre est in columna Trajana. Tab. I. num. 18. et 19.

7 *In pavorem*] Trajanum enim verebatur Decebalus. Dio, LXVIII. p. 772.

8 *Transvecti commeatus*] Columm.

stratoque navibus Danubio, impositoque ponte, trajectus exercitus.[1] Tum Princeps, hostile solum ingressus, post initam de summa belli consultationem,[2] suovetaurilibus[3] Deos propitiavit. Dein milites allocutus,[4] castra muniri[5] jubet, ne quis sit occasioni locus: ipse ubique præsens, operas consiliis juvat, dictis accendit; et, cum amnibus passim intersepta esset regio, aut derivatæ aquæ,[6] aut pontes additi,[7] ut ferebat locorum natura, et itinerum necessitas. Interim exploratores misit,[8] qui hostium positus viresque scrutarentur. Horum duo intercepti, et ad Trajanum adducti,[9] ubi sui latitarent docere coacti sunt. Penetranda erat sylva: ne incedentem militem moraretur, aut pugnantem impediret excisa est.[10] Tum legiones in hostem ductæ.[11] In conspectu stetere acies: Romana, aperto in campo, solitis armis, et fulgentibus aquilis insignis: hostes, saltu defensi, gladiis, sudibus, sagittisque armati, sua inter vexilla ferarum monstra[12] gestantes. Gravi prælio dimicatum est. Romanorum impetum equitatu adjutum non sustinuere Daci; ingensque strages edita.[13] Trajano allata cæsa ducum capita. Is

Trajan. Tab. II. et III.

1 *Trajectus exercitus*] Columm. Trajan. Tab. IV. et V.

2 *Consultationem*] Hac de re Trajanum pro tribunali cum suis ducibus consultantem exhibet Columna Trajana, Tab. VI.

3 *Suovetaurilibus*] Sacrificia erant in quibus sus, ovis, taurus immolabantur. Trajanum his sacris operantem videre est in Columna Trajana, Tab. VII.

4 *Milites allocutus*] Hanc allocutionem habet Columna Trajana, Tab. VIII. In eadem tabula videtur homo, tunica ima amictus, ceterum nudus, ab asino, aut potius mulo excussus: sinistra cribrum, dextra clavam tenet, stantemque pro tribunali Trajanum respectat. Ut opinor, est Dacorum ariolus, quem miserant, ut Trajanum a bello deterrerent. Sic postea cum propius instaret discrimen, Daci ad eum misere, qui fungum ingentem perferrent, Latinis literis inscriptum: 'Burri sociique omnes Trajanum hortantur, ut domum revertatur pacemque colat.' Dio, LXVIII. p. 772. Burios memorat Tacitus, de Mor. German. cap. 43.

5 *Castra muniri*] Columm. Trajan. Tab. IX. X. XI. et XII.

6 *Derivatæ aquæ*] Plinius quoque Ep. VIII. 4. 'memorat immissa terris nova flumina, novos pontes fluminibus injectos.' In his operibus industria Sexti Julii Frontini usus est Trajanus, ut testatur ipse Frontinus in Præfat. de Re agraria.

7 *Pontes additi*] Columm. Trajan. Tab. IX. X. et XI.

8 *Exploratores misit*] Columm. Trajan. Tab. XI. n. 105.

9 *Ad Trajanum adducti*] Columm. Trajan. Tab. XIII. n. 116.

10 *Excisa est*] Columm. Trajan. Tab. XV. et XVI.

11 *In hostem ductæ*] Columm. Trajan. Tab. XVI. et XVII.

12 *Ferarum monstra*] Longos dracones hastis præfixos gestabant Daci; ut videre est in Columm. Trajan. Tab. XVIII. n. 134. et alias sæpe.

13 *Strages edita*] Columm. Trajan.

terrore utendum ratus, hostium capita[1] contis præfigi exponique jussit: eorumque castra flammis aboleri.[2] Tum milites concione laudavit,[3] et ut feliciter cœpta grandioribus ausis promoverent adhortatus est.

Barbari, sua clade territi, statim Trajanum adiere,[4] pacem orantes. At is certus quanto nunc demissiores, tanto ferociores fore, ni graviore bello mulctarentur, eos acriter increpuit, veterisque perfidiæ admonuit:[5] 'instare semper sceleri pœnas: sat magno sanguine illud nondum fuisse expiatum. Scirent populum Romanum subjectis populis parcere, consulere amicis, at superbos et divini humanique juris nescios contundere: eos non sua tantum, sed externa quoque bella[6] provocare ausos: nunc quoque ituros in exemplum, ut eorum cladibus discerent gentes quanto cum discrimine lacesseretur Romana pax. Irent ergo; belli aleam experirentur; ferro flammaque vastandam regionem defenderent.' Ita dimissos mox secutus est Romanus miles: abditos recessus specusque rimatur; et quicquid repertum, occidione deletum.[7] Has inter strages barbaros furor occupat: ipsi facibus armati discurrunt,[8] suaque tecta ignibus populantur: pecudes, armenta

Tab. xvii. et xviii. Insigne victoriæ Romanæ, aërius videtur Jupiter, elata dextra, torveque Dacos intuens.

1 *Hostium capita*] Column. Trajan. Tab. xix. Inter hæc capita affixum quoque labarum Dacicum, præfixus Dacicus draco: hæc ergo capita Dacorum sunt, non vero Romanorum olim a Dacis interfectorum, ut conjectabat eruditus Bellori. Observaverim capita hostium Constantino allata ex columna Trajana Raphaëlem Urbinatem mutuasse, et in egregiam suam tabulam victoriæ a Constantino de Maxentio relatæ transtulisse. Neque id solum, sed alia plurima et præstantissima Raphaël, Julius Romanus, Carolus le Brun, aliique summi bellorum et victoriarum pictores ex hac columna hausere, et nunquam satis laudata imitatione antiquitatem renovavere. Vetera, sed egregia, exprimere summæ artis est. Nova, sed humilia, sed frigida, sed distorta, cudere vanum est et ignobile.

2 *Flammis aboleri*] Column. Trajan. Tab. xviii.

3 *Concione laudavit*] Column. Trajan. Tab. xix. et xx.

4 *Trajanum adiere*] Column. Trajan. Tab. xx. n. 142.

5 *Perfidiæ admonuit*] Column. Trajan. Tab. xx. n. 143.

6 *Externa quoque bella*] Societas inter Decebalum Dacorum et Pacorum Parthiæ regem intercedebat. Callidromum quendam in Mœsia captum et a Decebalo muneri missum Pacoro memorat Plinius Ep. x. 16.

7 *Occidione deletum*] Column. Trajan. Tab. xxi.

8 *Facibus armati discurrunt*] Column. Trajan. Tab. xxi. Patet ex habitu incendiarios illos esse Dacos, non vero Romanos; quod non ita advertit eruditus Bellori.

contrucidant; in se ipsos sæviunt, nihil sibi perire rati, quod Romanorum manus effugerit. Matres, relictis penatibus, diffugiunt, liberos, carissima pignora, amplexæ, et in vicinum amnem ultro præcipites, si aliud non sit effugium. Adversus hunc furorem haud immota perstitit optimi Principis clementia. Ipse accurrit, fœminas alloquitur,[1] orat 'ne pereant: se de sontibus pœnas repetere: insontibus esse præsidio: eas sexu, liberos innocentia satis defendi: vivant, patrias terras retineant; nec verbis, sed beneficiis credant, ut Romani nominis amorem induant.' At incassum: nihil movet fœminas furore et dolore amentes: manus retinentis militis eluctantur, periculaque lacessunt, nihil sollicitæ dum communi suorum fato vivant aut occumbant. Interim Dacorum equites peditesque amnem tranando superare allaborant: multi aquis obruuntur; alii in ulteriorem ripam ægre enatant, suorumve manibus attrahuntur.[2] Pars Daciæ occupata manet victoribus, qui, exacta jam æstate, in hyberna se recipiunt; et, ne quid per hyemem auderent barbari, in eorum ripa munita castra:[3] simul ut labores voluptatibus levarentur, exstructum amphitheatrum;[4] positusque arcus;[5] victoriæ monumentum: Principi additum, *Dacici* cognomen.[6]

1 *Fœminas alloquitur*] Columm. Trajan. Tab. XXI. n. 145.

2 *Manibus attrahuntur*] Columm. Trajan. Tab. XXI. et XXII.

3 *Munita castra*] Quæ sub hyemis finem oppugnavere Daci, ut dicetur anno sequenti. Columm. Trajan. Tab. XXII.

4 *Exstructum amphitheatrum*] Columm. Trajan. Tab. XXIII. Eruditi viri Ciacconius, Bellori, et ipse Scipio Maffei, qui hanc partem Columnæ Trajanæ explanare voluit, haud videre hoc amphitheatro vicinoque oppido designari post bellicam hujus anni expeditionem hyberna otia castrensesque voluptates. Quod facile percepissent, si eorum animos subiisset insignis Taciti locus in Vit. Agric. cap. 21. 'Sequens hyems saluberrimis consiliis absumta; namque ut homines dispersi ac rudes, eoque bello faciles, quieti et otio per voluptates assuescerent, hortari privatim, adjuvare publice, ut templa, fora, domus exstruerent, laudando promtos, et castigando segnes—Paulatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus, et balnea, et conviviorum elegantiam. Idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.' Porro cum id nemo hactenus observasset, inde apud recentiores omnes scriptores indigesta belli Dacici tempora.

5 *Positusque arcus*] Columm. Trajan. Tab. XXIV. n. 154.

6 *Dacici cognomen*] In argenteo nummo Musei Medicei apud Harduinum, Selecta Opera, p. 748. IMP. CAES. NERVA TRAIANVS AVG. GERM. capite laureato. In adversa parte, DACICVS COS. IIII. P. P. Hercules dextra clavam gerit, sinistra leonis exuvias. Testis quoque Dacicæ victoriæ nummus argenteus, qui olim fuit in Museo Collegii

Antequam Trajanus ex Urbe discederet, repetundarum reus jam agebatur Julius Bassus,[1] qui Bithyniam proconsul rexerat. Vir minime malus, nec ullis avaritiæ sordibus inquinatus, incaute tamen natali die Principis[2] et Saturnalibus[3] munuscula, quod lege etiam vetitum, acceperat miseratque. Hæc exaggerabat *Theophanes*, unus ex Bithyniæ legatis. Ad hanc causam tanto arrectior fuit civitas, quanto magis vacua, absente Principe. Multos quoque movebat mœsta et squalida senectus Bassi, quem sæpius in pericula revocatum dolebant. Accusatus enim sub Vespasiano, et ad senatum remissus, diu pependerat, antequam absolveretur. Titum timuerat, ut Domitiani amicus: dein a Domitiano relegatus est: revocatus a Nerva, sortitusque Bithyniam, in discrimen rursus adducebatur. At acriter accusatus, fideliter quoque defensus fuit. Et, licet ex severitate legis, censuisset Bæbius Macer, consul designatus, lege repetundarum Bassum teneri; prævaluit tamen Cæpionis Hisponis sententia, 'salva Bassi dignitate, *judices* dandos.' Immo ita placuit senatui, in facto, vetito quidem, non tamen inusitato, jure suo uti, quo valet et mitigare leges et intendere, ut Cæpioni, ad censendum consurgenti, acclamatum sit, quod solet residentibus.[4] Valerius autem Paullinus non tantum assensus est Cæpioni, hoc amplius censuit '*referendum de Theophane, cum legationem renuntiasset*.'[5] Arguebat enim 'multa in accusatione fecisse, quæ illa ipsa lege, qua Bassum accusaverat, teneren-

Ludovici Magni, IMP. CAES. NERVA TRAIAN. AVG. GERM. capite laureato. In adversa parte, P. M. TR. P. COSS. IIII. P. P. Victoria cum corona et palma. Et in vetere Inscriptione apud Gruterum, p. 246. n. 6.

IMP. CAESAR. DIVI
NERVAE. F. NERVA
TRAIANVS AVGVSTVS
GERMANICVS DACICVS
PONTIF. MAXIMVS
TRIB. POT. IIII. COSS. IV.
VICTO DECEBALO.

1 *Julius Bassus*] Ejus causam egit Plinius Ep. IV. 9. et VI. 29.

2 *Natali die Principis*] Natalis Trajani fuit dies 18. Septembris. In vetere Kalendario Herwartiano, XIV. KAL. OCTOBR. NATALIS TRAIANI. Inde Plinius Ep. X. 28. 'Aliquanto tardius, quam speraveram, id est, 15. Kalend. Octobres, Bithyniam intravi. Non possum tamen de mora queri, cum mihi contigerit, quod erat auspicatissimum, natalem tuum in provincia celebrare.'

3 *Saturnalibus*] Saturnalia per quinque dies mense Decembri celebrabantur. In vetere Kalendario Herwartiano, XVI. KALEND. IANVAR. SATVRNALIA.

4 *Residentibus*] In senatu dicturus, surgebat; cum dixisset, assidebat, seu residebat. Vide Plin. Ep. IX. 13.

5 *Legationem renuntiasset*] Ne violaretur legatorum dignitas, legati, manente legatione, non accusabantur. Ante tamen Norbano, homini flagitioso, legati nomen præsidio non fuerat. Plin. Ep. III. 9.

tur.' Hanc sententiam consules, quanquam maximæ parti senatus probabatur, non sunt persecuti; sane ne infringeretur legatorum auctoritas. Paullinus tamen et justitiæ famam et constantiæ tulit. Misso senatu, Bassus magna hominum frequentia, magno clamore, magno gaudio exceptus est. Dignitatem nempe et venerationem addit nomen periculis notum.

Agrippa, rex,[1] mortem obiit. Romanis rebus magis, quam externum hominem decebat, sub Caio Claudioque Principibus fuerat immixtus: laudem tamen postea meritus ob fidem et constantiam in Judaico bello, cum socius Vespasiano Titoque affuit. Tristior fuit Helvidiarum sororum [2] casus. Utraque a partu, utraque filiam enixa decessit. Præter juventutem moresque honestissimos, eas in summo claritatis fastigio collocaverat egregia patris avique virtus et nunquam intermoritura memoria. Mœrorem anxiamque solicitudinem addebat ex optimo sanguine unicus frater superstes.

A. U. 855. J. C. 102.—C. Sosio Senecione III. L. Licinio Sura consulibus. Decebalus, reparato per hyemem exercitu, excitisque in auxilium Sarmatis, castra, Tapis vicina,[3] obsidione cinxit. Hæc quidem pulcherrima bellorum pars vulgo barbaris ignara, ob rude ingenium et machinarum inopiam. Ejus usum artesque superioribus adversus Domitianum bellis Daci didicerant. Jamque castrorum muros pars ariete quatiebat,[4] dum alii sagittis Romanos petunt, qui e murorum summo propinquos hostes et machinas obruere conantur. Ubi Trajanus castrorum necessitatem audivit, statim profectus est, opem laturus; et, ne retardaretur, jumenta impedimentaque navibus imposita:[5] ipse cum lecta ducum militumque manu navem conscendit, castraque noctu penetrat.[6] Tum terrorem, quo nihil adversus barbaros validius, intendens, præmissis speculatoribus et equitum turma in cataphractos Sarmatarum equi-

1 *Agrippa, rex*] Justus Tiberiadensis apud Photium, Bibliothec. cod. 33.

2 *Helvidiarum sororum*] Plinius Ep. IV. 21. De Helvidiis, avo et patre, dictum in Appendice Chronologica ad A. U. 825. et 847.

3 *Tapis vicina*] Unus Dio, LXVIII. p. 772. Tapas memorat. Locus ille Daciæ haud procul fuit a campo, in quo mox pugnatum est. Quidam volunt campum illum eundem esse, qui nunc dicitur *Keresztes-mezo*, in Comitatu *Torda*. At campus ille ab itinere Trajani alienissimus et remotissimus est. Crediderim pugnatum esse inter *Temesvar* et *Lugos*.

4 *Ariete quatiebat*] Column. Trajan. Tab. XXIII. n. 150.

5 *Navibus imposita*] Column. Trajan. Tab. XXIII. XXIV. et XXV.

6 *Noctu penetrat*] Quod demonstrant accensæ faces signis impositæ. Column. Trajan. Tab. XXIII.

tes[1] impetum facit. Ii improviso assultu consternati, in fugam vertuntur,[2] paucis temere et e longinquo sagittas ejaculantibus: alii, dum præcipiti cursu fugiunt, procidunt, et, ob armorum pondus ad resurgendum invalidi, equorum pedibus proteruntur.

Reversis speculatoribus, Trajanus id accepit,[3] antequam in hostium conspectum venisset. Haud dato temporis spatio, ut Daci, qui vicinam sylvam occupabant, consilio fugave saluti consulerent, in eos immisit equitem, quem sequebantur legionarii. Illic ferociter pugnatum.[4] Hostes, licet Sarmatarum fuga et repentino suo discrimine turbati, at quod mors servitusve immineret in desperationem acti, impetum sustinent. Miscentur acies: conseruntur manus: ictus agglomerantur. Hæc inter strages edit eques. Ac tandem victi, at non inulti, et multo cum sanguine Romano Daci late procumbunt. Qui superant, vinclis onusti. Capta signa, arma, commeatus.

Spe victoriæ tam cito in luctum versa consternati undique animi: nulla jam fugæ consilia: unica in victore salutis spes. Accurrunt patres,[5] liberos manu trahentes, humerisve gestantes, matres filios sinu complexæ, honestæque puellæ; præmissis, qui clementiam Principis implorarent, Trajanum adeunt, supplices manus precesque offerunt. Is tali visu permotus, veritus tamen ne præcipiti indulgentia belli finem retardet, consultat; mox, clementia severitati antehabita, miseros in fidem recipit. At ejus animum altius penetravit tristior visus, Principisque humanitatem aperuit. Nempe Romanorum multi aderant acceptis in prælio vulneribus invalidi:[6] fomenta quidem et medicamenta apponebantur. At iis ligandis, ob læsorum multitudinem, præsto non esse parem fasciarum numerum videt Princeps: statim vestem suam discindit,[7] sanguinem pro se, pro patria, fusum reverens, certusque Principalem ornatum in eorum usus recte cedere, per quos valet

1 *Cataphractos Sarmatarum equites*] Column. Trajan. Tab. XXII. n. 147. Ex hoc Columnæ Trajanæ loco homines equosque cataphractos hausere recentiores pictores.

2 *In fugam vertuntur*] Column. Trajan. Tab. XXVI. et XXVII.

3 *Trajanus id accepit*] Column. Trajan. Tab. XXVI. n. 160.

4 *Policiter pugnatum*] Column. Trajan. Tab. XXVII. et XXVIII. In tabula XXVII. n. 162. aëriam videre est Deam, quam Romani in prælio propitiam aut oravere, aut credidere. Pugnatum, ut modo dixi, inter *Temesvar* et *Lugos*.

5 *Accurrunt patres*] Column. Trajan. Tab. XXVIII. et XXIX.

6 *Vulneribus invalidi*] Column. Trajan. Tab. XXIX. n. 169.

7 *Vestem suam discindit*] Dio, LXVIII. p. 773.

et splendescit. Cæsis autem aras strui, et per singulos annos iis parentari jubet.[1]

Inter has curas, publicæ securitatis non oblitus, et ut in fidem recepti contineantur, præcaveaturque hostis, tanto formidolosior, quanto ejus recessus magis penetrabantur, nova exstrui castra imperat. Dum fervent operæ, carrobalistas[2] ceteraque bellica instrumenta disponi curat, ut, hostem mox quæsiturus, decretoria tandem, si fieri possit, pugna confligat. Interim Lusius Quietus[3] (is ex Maurorum gente, equestrem militiam in castris Romanis secutus, dein exauctoratus, a Trajano ob militarem virtutem et experientiam revocatus) in interiorem Daciam cum legionum vexillis ante missus, tum ut hostium vires distraheret, tum ut bellum latius spargeretur, victor rediit: vastatis campis, hostibusque justa acie superatis,[4] captivorum agmina secum ducebat, qui castris clausi sunt.[5] Mirum ut legionarius miles, diu disjunctus, periculorum superstes, tandem obvius in mutuos amplexus ruebat;[6] sua quisque facinora ostentantes. Eorum lætitia Principis humanitate et liberalitate cumulata. Laudata enim pro concione[7] militum virtute, singulis dextram suam osculandam permisit;[8] addiditque donativum.[9]

At dum castra laudibus Principis exercitusque gaudiis personabant, auditum est quo furore in captivos Romanos sævirent barbari.

1 *Parentari jubet*] Dio, ibid.

2 *Carrobalistas*] Column. Trajan. Tab. xxx. n. 170. Hic videre est Carrobalistas, quas accurate descripsit Vegetius, de Re militari, II. 25. ' Legio autem non tantum militum numero, sed etiam genere ferramentorum vincere consuevit. Primum autem instruitur jaculis, quæ nullæ loricæ, nulla possunt scuta sufferre. Nam per singulas centurias singulas carrobalistas habere consuevit, quibus muli ad trahendum, et singula contubernia ad armandum vel dirigendum, hoc est, undecim homines deputantur. Nam hæ quanto majores fuerint, tanto longius ac fortius tela jaculantur. Non solum autem castra defendunt, verum etiam in campo post aciem gravis armaturæ ponuntur. Ad quarum impetum, nec equites loricati, nec pedites scutati possunt obstare. In una autem legione quinquaginta quinque carrobalistæ esse solent.' Aliam balistam videre est in eadem columna. Tab. XLV. n. 202.

3 *Lusius Quietus*] Dio, LXVIII. p. 773. et 786. Spartianus in Hadrian. cap. 5.

4 *Acie superatis*] Column. Trajan. Tab. XXX. et XXXI.

5 *Castris clausi sunt*] Column. Trajan. Tab. XXXII. n. 174.

6 *In mutuos amplexus ruebat*] Column. Trajan. Tab. XXXII. n. 175.

7 *Pro concione*] Column. Trajan. Tab. XXXII. n. 173.

8 *Osculandam permisit*] Column. Trajan. Tab. XXXIII. n. 177.

9 *Donativum*] Column. Trajan. Tab. XXXII. n. 176.

Nullis parcebant tormentis: fœminæque, ut fert eorum natura, quanto imbellior, tanto atrocior, in hac barbarie viris horridiores. Lætæ superbæque, facibus armatæ, nudos revinctisque manibus, captivos accipiebant: post ludibria, aliæ capitis vertici, aliæ humeris, aliæ brachiis, aliæ aliis membris ardentes faces admovebant.[1] In his cruciatibus haud desiderata Romana constantia: non auditi imbelles questus, sed firmæ voces Deos Romanosque ultores minitantium. Eorum suppliciis exarsit Trajani exercitusque indignatio. Cumque commeatus, quos subditi Daci advexerant,[2] fuissent recepti, tramissus est amnis,[3] ut, superato Decebalo captaque ejus regia, finis bello imponeretur, et occisorum manes placarentur.

Primum occupata castra,[4] quæ hostis deseruerat; ibique relicti veterani, et addita munimenta,[5] ut tutius præsidium agitarent. Cum disciplinæ curam vigilantiamque[6] iis commendasset *Princeps*, processit exercitus. At ne quos temeritas efferret, Trajanus, *habita concione*,[7] monuit 'ut formidolosum hostem locaque ignota periculisque septa præcaverent:' simul jussit 'propinquam cædi sylvam,[8] addi munimenta, ne hosti latibulum suffugiumve foret.' Cum nihil intutum sineret Imperatoris solertia, *Daci misere legatos*,[9] qui pacis conditiones offerrent. *Territo*, nondum fracto, hoste, 'abire et belli aleam experiri' jussi sunt. Tum Trajanus, sacris operatus,[10] lustratoque suovetaurilibus exercitu, concionem habuit;[11] hortatus milites, 'mactarent animis: graviores quidem, at

1 *Ardentes faces admovebant*] Column. Trajan. Tab. XXXIII. n. 178.

2 *Advexerant*] Column. Trajan. Tab. XXXIII. et XXXIV.

3 *Tramissus est amnis*] Column. Trajan. Tab. XXXIV. n. 182. Ubi in Columna Trajana occurrit amnis fluviusve, Ciacconius, quem secutus est eruditus Bellori, semper interpretatur Danubium, aut Tibiscum. At jam pridem Danubium Tibiscumque *the Teisse*, superaverat Trajanus. Jam Sarmizegethusæ propinquabat. Ergo trajectus est amnis *Temes*, qui in Tibiscum influit, juncto navibus ponte. Id observasse intererat, ut loca temporaque distinguerentur.

4 *Occupata castra*] Column. Trajan. Tab. XXXIV. et XXXV.

5 *Addita munimenta*] Column. Trajan. Tab. XXXV.

6 *Curam vigilantiamque*] Column. Trajan. Tab. XXXV. n. 185.

7 *Habita concione*] Column. Trajan. Tab. XXXVI. n. 186. Existimavere eruditi Ciacconius et Bellori hic repræsentari Dacorum legationem. At nec vestis, nec calceamenta Dacica *sunt*, sed Romana.

8 *Cædi sylvam*] Column. Trajan. Tab. XXXVI.

9 *Daci misere legatos*] Column. Trajan. Tab. XXXVI. et XXXVII.

10 *Sacris operatus*] Column. Trajan. Tab. XXXVII. n. 187.

11 *Concionem habuit*] Column. Trajan. Tab. XXXVIII. n. 190.

supremos, labores instare: iis, superata gente hactenus invicta,[1] æternam sibi Romanoque nomini famam asserturos.' Imperatoris oratione laudisque cupidine alacres, pars sylvam exscindit;[2] alii spargunt per agros incendia, castellaque succendunt; alii interceptos hostes cædunt, eorumque capita contis præfigunt;[3] severitatis, quæ ceteros manet, exempla. Trajanus, pone secutus, tramisit pontem;[4] et quæ cis transque pontem erant incendi jussit,[5] ne, dum Sarmizegethusæ propinquaret, inde turbaret hostis, nihil tum ausus, sed, viso Principe, in montes cum vexillis suis profugus.[6]

Tum nova structa castra;[7] cumque bellum propius premeret, venit Dacorum legatio, non jam comatorum, sed pileatorum,[8] quos Daci habent primores, e quibus regum sacerdotumque fit delectus. Ii, positis armis, genuaque Principis advoluti, pacem orant supplices; testantes 'Decebalum,[9] quicquid Princeps voluerit, facturum; ipsumque venturum, ut colloquio pacis conditiones ineant; sin minus mittat, qui cum eo transigant.' Id magis ex dignitate imperii Romani visum. Missi Sura et Claudius Livianus,[10] prætoriarum cohortium præfectus. At ne cum iis quidem congredi

1 *Hactenus invicta*] Plin. Ep. VIII. 4.

2 *Sylvam exscindit*] Column. Trajan. Tab. XXXVIII. et XXXIX.

3 *Contis præfigunt*] Column. Trajan. Tab. XXXIX.

4 *Tramisit pontem*] Column. Trajan. Tab. XL. n. 192. Hic adhuc errant eruditi Ciacconius et Bellori, cum notant Trajanum trajicere Tibiscum. Pons, de quo nunc agitur, ille ipse est, qui in Tabula Theodosiana dicitur *Pons Augusti;* et signatur XV. id est, quindecim millibus distans a Sarmizegethusa. Pons ille ligneus fuit, et pilis suffultus, ut videre est in columna Trajana, loc. cit. Impositus autem erat torrenti, qui in amnem *Temes* influit; ut recte observavit eruditus d'Anville, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, Vol. XXVIII. p. 448.

5 *Incendi jussit*] Column. Trajan. Tab. XXXIX. et XL.

6 *Profugus*] Column. Trajan. Tab. XL. n. 193.

7 *Structa castra*] Column. Trajan. Tab. XL. et XLI.

8 *Non jam comatorum, sed pileatorum*] Dio, LXVIII. p. 773. Jornandes in Gothic. p. 86. Columna Trajana, Tab. XLI. n. 195. pileatum exhibet Dacorum legatum, Trajani genua advolutum, supplicesque tendentem manus. Pileus Dacicus haud absimilis est pileo, quo utitur Venetiarum dux, cornu ante recurvo. Contra in Columna Trajana, Tab. XXXVI. videre est comatum, Dacorum legatum. Ex Scythicis institutionibus videtur esse pileatorum et comatorum distinctio. Duæ enim erant apud Scythas hominum conditiones: altera, regius sanguis et nobilitas quæ pileis utebatur: altera plebis, quæ duos boves unumque plaustrum habebat, ideoque octipes dicebatur. Lucianus, in Dialogo, Scytha, p. 340.

9 *Testantes Decebalum*] Dio, LXVIII, p. 773.

10 *Sura et Claudius Livianus*] Dio, ibid.

ausus est Decebalus animo perfidus, ideoque timidus. Dixit 'se alios missurum legatos.'

Regem illudentem indignasque trahentem moras non tulit Trajanus: jussa vexilla legionum [1] montes, quos hostis insederat, scrutari, dum ipse,[2] cum legionum viribus suggressus, præmittit Lusium Quietum, qui cum ala Maurorum [3] terrorem faceret. Is manum hostium offendit in preces potius,[4] quam ad prælium pronam. At, urgentibus Imperatoris mandatis, plerique Dacorum cæsi sunt: ceteri fuga se proripuere: nec libuit per colles saltusque eos insequi. Princeps semper meliora ratus, quæ tutiora, in occupato loco castra communiit.[5] Ibi expetitus nova legatione, humaniter quidem dataque dextra legatos excepit:[6] at, sinistra gladio admota, 'ite, inquit, et renuntiate adversus perfidos bella non verbis, sed gladiis, profligari.' Mox hostem petit, qui non longe aberat. Aggestis, in castrorum modum, arborum truncis[7] ut balistæ ceteræque belli machinæ defenderentur, lecta legionum vexilla funditoresque[8] et Sarmatarum Germanorumque auxilia pugnam inire mandat. Pars hostium, ad resistendum invalida, improsperum certamen subiit, dum alii vicinam sylvam cædebant,[9] ut victor exercitus progredi prohiberetur. At id quoque infeliciter cessit. Superata acie, occupata est sylva; et, quod prope esset Dacorum oppidum, castra posuit Trajanus,[10] cunctaque ad obsidionem paravit. Quo autem essent loco hostium res docuere captivi[11] ad eum adducti. Ante oppidum castra munierant Daci;[12] ipsisque ante

1 *Vexilla legionum*] Column. Trajan. Tab. XLII. Illa legionum vexilla dicimus *detachments*.

2 *Dum ipse*] Column. Trajan. Tab. XLIII. n. 198.

3 *Cum ala Maurorum*] Column. Trajan. Tab. XLIII. In hac tabula observare est equites Mauros, calamistratos, sine stragulis ephippiisque equis insidentes. Pars etiam equos regit sine fræno.

4 *In preces potius*] Column. Trajan. Tab. XLIV. n. 199.

5 *Castra communiit*] Column. Trajan. Tab. XLV. n. 200.

6 *Legatos excepit*] Column. Trajan. Tab. XLV. n. 201.

7 *Arborum truncis*] Column. Trajan. Tab. XLVI. n. 203.

8 *Funditoresque*] Column. Trajan. Tab. XLVI. n. 205. Insignis hæc tabula, quæ funditores lapides sinu tenentes et ejaculantes, Sarmatas hamatis loricis æreis tectos, Germanos pectus nudos præliantes exhibet.

9 *Sylvam cædebant*] Column. Trajan. Tab. XLVII.

10 *Castra posuit Trajanus*] Column. Trajan. Tab. XLVIII. n. 209.

11 *Docuere captivi*] Column. Trajan. Tab. XLVIII. et XLIX. n. 210.

12 *Munierant Daci*] Column. Trajan. Tab. L. n. 212.

castra stantibus, pugnandum fuit. Adversus eos missi libratores,[1] sagittarii, aliique levioris armaturæ, qui, edita hostium strage, eorum castra asseribus tantum compacta[2] potiti sunt. Tum oppido propinquatum. Obsidionis cura Maximo demandata.[3] Is sororem Decebali intercepit; milesque, acta testudine,[4] oppidum expugnavit. Pars hostium, quæ haud procul tendebat, auxilium oppido latura, in communem ruinam tracta,[5] non ignave tamen, sed fortiter pugnando, periit. Interea excisa hostium castella montibus imposita: capta magna armorum hominumque vis: recuperatum quoque signum sub Domitiano Principe Duceque Fusco amissum.[6] Tot præsidiis nudata patuit tandem Sarmizegethusa,[7] Decebali regia. Ducibus legionumque præcipuis ad consilium adhibitis censuit Trajanus[8] 'periculosam fore festinationem; bella arte et prudentia profligari, momento corrumpi: hactenus nihil temeritati datum: parum Romani sanguinis, si tot tamque varia, quæ sustinuerant, prælia numerarentur: incruentam nunc posse esse victoriam: Decebalum ultro in deditionem venturum. Supremam hanc sibi laudem adderent; eaque se reipublicæ approbarent. Adesse sibi loci opportunitatem, aquæ copiam,[9] parata castra. Commeatus tantum[10] importarent, et belli finem opperirentur.' Illati castris commeatus. Nec lenta fuere Decebali obsequia. Is enim reputans rerum suarum angustias, regiam hosti perviam, insuper anxius sororis suæ sorte (et apud barbaros sororum amore nihil validius) statuit, ut illi sibique consuleret, Trajanum adire, veneratione obsequioque pacem emercari, quam infringere et forte in hostium exitium vertere penes se foret, si

1 *Libratores*] Column. Trajan. Tab. XLIX. Hic videre est libratorem; qui sinistra lapides sinu continet, dextra jacit.

2 *Asseribus tantum compacta*] Column. Trajan. Tab. L. n. 212.

3 *Maximo demandata*] Dio, LXVIII. p. 773.

4 *Acta testudine*] Column. Trajan. Tab. L. et LI. insignes tabulæ testudinis Romanæ imagine.

5 *In communem ruinam tracta*] Column. Trajan. Tab. LII.

6 *Fusco amissum*] Dio, LXVIII. p. 772. De Fusco vide Appendicem Chronologicam ad A. U. 842.

7 *Sarmizegethusa*] Urbs Daciæ princeps, cujus manent adhuc rudera in loco, qui nunc dicitur *Varhel*, in Transylvania. Amplissima fuit, si ad eam quoque referas rudera, quæ videntur in *Haczek*. Sed forte oppidum fuit Sarmizegethusæ vicinum.

8 *Censuit Trajanus*] Column. Trajan. Tab. LIII. n. 216.

9 *Aquæ copiam*] Column. Trajan. Tab. LIV. n. 218.

10 *Commeatus tantum*] Column. Trajan. Tab. LIV. n. 219.

unquam faveret fortuna. Itaque ad Trajanum mittit,[1] qui veniam pacemque orent suppliciter, eum ad quævis Principis imperia paratum testentur, hasque pacis conditiones offerant: 'Decebalum arma,[2] machinas, earumque artifices traditurum: deditu-rum transfugas: Sarmizegethusæ propugnacula diruturum: nunquam milite Romano usurum: nec quenquam Romanorum unquam excepturum: agris, quos ex vicinis populis occupaverat, decessurum: amicos hostesque habiturum, quos amicos hostesque haberet populus Romanus.' Pacis conditionibus annuit Trajanus; jussitque legatos dari,[3] qui eas Romam ad senatum perferrent. Tum Decebalus cum regni primoribus et frequenti populo Trajanum adiit:[4] eum genua advolutus veneratus est, pacta et conventa jurejurando firmavit: se ante hostem, nunc sociorum fidissimum fore patriis execrationibus tanto impensius obtestans, quanto mente perfidior. At ultra regis perfidiam Trajani providentia. Antequam Urbem repeteret, diruta a Dacis Sarmizegethusæ propugnacula:[5] ad eam posita castra,[6] structaque tropæa,[7] victoriæ monumentum. Redditi Sarmatis Jazygibus[8] agri, quos Decebalus occupaverat. Castra, quæ eo bello munierat Trajanus validis præsidiis firmata. Tum legionem,[9] quam præsidem vindicemque pacis relinquebat, allocutus, Romam profectus est.

1 *Ad Trajanum mittit*] Dio, LXVIII. p. 773. Columπ. Trajan. Tab. LIV.

2 *Decebalum arma*] Dio, loc. cit.

3 *Legatos dari*] Dio, ibid.

4 *Trajanum adiit*] Dio, LXVIII. p. 773. et 774. Columπ. Trajan. Tab. LV. et LVI.

5 *Sarmizegethusæ propugnacula*] Columπ. Trajan. Tab. LVI. n. 225.

6 *Posita castra*] Dio, LXVIII. p. 774.

7 *Structaque tropæa*] Columπ. Trajan. Tab. LVIII. Egregia tabula, in qua spectare est, præter Victoriam, quæ clypeo victoriam Dacicam inscribit, arma, vestes, signa Dacorum et Sarmatarum, qui eorum socii fuere. Tum cusi nummi plurimi ex auro, argento, et ære, Dacicæ victoriæ testes. Eos inter duo omnino insignes sunt ob temporis notam, quos laudat eruditus Fabretti, de Columna Trajani, p. 275. IMP. CAES. NERVA TRAIAN. AVG. GERM. DACICVS. P. M. caput Trajani. In aversa parte, TR. P. VII. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. S. C. Roma tropæo insidens, ante quam Imperator sinistra hastam tenet, Dacum genuflexum offerens. Fuit et in Museo Collegii Ludovici Magni ex ære magno nummus paulo ante, et nuntiata jam pace, cusus: IMP. CAES. NERVA TRAIAN. AVG. GERM. P. M. TR. P. VI. capite laureato. In aversa parte, IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. P. P. S. C. Pax sedens sinistra hastam tenet, dextra oleam gerit.

8 *Sarmatis Jazygibus*] Quorum agri erant cis Tibiscum, nunc *la Teisse*, ubi nunc *Iaz-berin*, *Agria*, *&c.* Ii in Romanorum commilitium asciti, Hist. III. 5.

9 *Tum legionem*] Columπ. Trajan. Tab. LVII. n. 227. Legionem illam,

Urbem, ante bellum optimi Principis admiratione defixam, continui victoriarum nuntii in victoris laudes transtulerant. Idem omnium sermo: omnium oculi auresque in Daciam versæ. Prout quisque aut locorum scientia, aut veterum temporum historiis exercitatus, castra, prælia, ceteraque belli eventa enarrabat, et Principis victorias cum priscorum imperatorum victoriis conferebat. Hæc per fora, per domos, per insulas, per publica privataque loca celebrabantur. In hoc laudum concentu auditæ tamen Bithynorum querelæ. Nuper Priscum Varenum[1] adversus Julium Bassum advocatum postulaverant et acceperant. Proconsul postea ad eos missus Varenus. Eum nunc reum agebant, et inquisitionem postulabant. Causa magna contentione acta. Intercessit senatusconsultum, quo Vareno defensionis causa evocare testes licuit. Illud Bithyni apud absentem Principem[2] criminati sunt. Ad senatum a Principe remissi, criminari non destitere. Mox eos accusationis, ut temere inchoatæ, pœnituit;[3] et Principi utrum vere eos pœniteret fuit judicandum. Qua in re miram provincialium naturam sortemque juvat observare. Hos si difficilius audieris, a provinciarum rectoribus vexantur: si facilius, vexant provinciarum rectores. Adeo difficile est mortalibus intra æqui verique fines consistere.

Varia quoque fama jactatum est Nepotis, prætoris, edictum.[4] Is, ut venalia advocatorum ingenia coërceret, brevi edicto accusatores reosque admonuit 'executurum se, quæ senatusconsulto continebantur.' Suberat senatusconsultum, quo omnes, quicquid negoti haberent, jurare, priusquam agerent, jubebantur, 'nihil se ob advocationem cuiquam dedisse, promisisse, cavisse.' Peractis tamen negotiis, permissum pecuniam duntaxat decem millium[5] dari. Alii prætorem carpebant, quod publicos mores emendaret.' Alii laudibus attollebant, 'quod rem pulcherrimam turpissime vænire non pateretur.' Dum fervebant diversa sentientium animi,

præsidio relictam in Dacia, fuisse Tertiamdecimam Geminam docent multa monumenta in Dacia reperta. Eam ex Pannonia transtulerat Trajanus; et Dionis tempore erat adhuc in Dacia. De Legionibus diximus satis ad Hist. II. 6.

1 *Priscum Varenum*] Plin. Ep. V. 20.

2 *Absentem Principem*] Plin. Ep. VI. 13.

3 *Temere inchoatæ, pœnituit*] Plin. Ep. VII. 6.

4 *Nepotis, prætoris, edictum*] Plin. Ep. V. 21.

5 *Decem millium*] Angl. 83*l.* 6*s.* 8*d.* De præmiis eloquentiæ vide dicta Annal. XI. 7.

forte Sollers, vir prætorius,[1] a senatu petiit, 'ut sibi institui in agris suis nundinas permitteretur.' Contradixerunt Vicentinorum legati.[2] Iis affuit Tuscillus Nominatus. Mox, dilata causa, ab advocatione destitit; amicorum sermonibus perterritus, qui monebant ne desiderio senatoris[3] tam pertinaciter, præsertim in senatu, repugnaret. Talem inconstantiam ægre tulit Nepos; et cum, alio senatu, Vicentini sine advocato intrassent, Nepos eos interrogavit 'an Tuscillus gratis affuisset:' responderunt, 'sex millibus nummum;'[4] 'an rursus aliquid dedissent,' dixerunt, 'mille denarios.'[5] Secuta statim Nepotis postulatio circa Tuscillum. Is in senatum inductus,[6] ipse pro se egit; multas preces, multum lacrymarum fudit: tota actione (quod et favorabilius et tutius) deprecari magis, quam defendi visus. Absolutus est sententia designati consulis Afranii Dextri.[7] Censuit 'liberandum, qui in hoc genus culpæ non fraude incidisset, nihilque dignum animadversione admisisse convinceretur.' Assenserunt omnes præter Flavium Aprum. Is, 'interdicendum Tuscillo advocationibus in quinquennium' censuit. Neminem auctoritate sua traxit. A quibusdam etiam reclamatum, cum, prolata lege de senatu habendo, Dextrum jurare coëgit 'e republica esse, quod censuisset.' Nigrinus, tribunus plebis, cum non hominem, sed vitium argueret, plus obtinuit. Recitavit libellum disertum et gravem, quo questus est 'vænire advocationes, vænire etiam prævaricationes; in lites coiri: et gloriæ loco poni ex spoliis civium magnos et statos reditus:' addidit capita legum, admonuit senatusconsultorum; et in fine dixit 'petendum ab optimo Principe, ut, quia leges, quia senatusconsulta contemnerentur, ipse tantis vitiis mederetur.' Paucos post dies allatus liber Principis severus, et tamen moderatus. Egregium fuit temperamentum, quo avaritiæ occursum, nec sublata præstiti officii memoria et præmia.

A. U. 856. J. C. 103. Trajano Augusto V. L. Appio Maximo iterum consulibus. Adventu Principis[8] mirum in modum effer-

1 *Sollers, vir prætorius*] Plin. Ep. v. 4.

2 *Vicentinorum legati*] Vicentia, nunc *Vicenza, in Venetian Lombardy.*

3 *Desiderio senatoris*] Plin. Ep. v. 14.

4 *Sex millibus nummum*] Angl. 50*l.*

5 *Mille denarios*] Angl. 33*l.* 6*s.* 8*d.*

6 *In senatum inductus*] Plin. Ep. v. 14.

7 *Afranii Dextri*] Is mox consul interfectus est, incertum sua, an suorum libertorum manu, scelere an obsequio. Plin. Ep. VIII. 14.

8 *Adventu Principis*] Lætissimum

buit Urbis lætitia; visaque in senatu egregia veteris magnificentiæ species. Senatum enim Dacorum legati a Decebalo missi,[1] depositis armis, junctisque in captivorum morem manibus, ingressi sunt. Pauca suppliciter locuti, confirmataque pace, arma recepere. Dein primus ex invicta gente actus est triumphus;[2] novaque acclamatione Dacici cognomen[3] Trajano confirmatum. Datum plebi congiarium;[4] editaque in amphitheatro gladiatorum spectacula; et, ut publica lætitia novo spectaculo incitaretur, revocati pantomimi, quos inter Pylades[5] Cæsari præcipue acceptus.

Principibus celebratissimisque ducibus solenne est a castrorum laboribus ad pacis voluptates raptim dilabi, in deliciis tanto molliores, quanto ante in periculis duriores. His quoque vicibus sunt superbi, quasi hostibus patriæ servire jussis, eorum voluptatibus servire debeat patria. At id, quod forte privatos duces non ita dedecet, Trajanus indecorum Principi rebatur, cui magna belli, major pacis habenda est cura. Civiles ergo, ut ante bellum, occupationes resumit. Frequens in foro Augusti, in porticu Liviæ, aliisque publicis in locis, jus pro tribunali dicebat.[6] Si qua graviora occurrerent, consilium optimorum senatorum adhibebat. Tali consilio magna res est acta, et in exemplum itura.

Lustricus Bruttianus,[7] provinciam sortitus, Montanum Atticinum comitem suum in multis flagitiis deprehensum esse Principi scripserat. Atticinus, ut periculum declinaret, nova addidit flagitia,

hunc Principis adventum exhibet nummus ex ære magno, qui extat in Gaza Regia: IMP. CAES. NERVAE TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. capite laureato. In aversa parte, ADVENTVS AVGVSTI. Imperator equo insidet hastam tenens, Victoria præeunte, duobus militibus subsequentibus. Infra, SPQR OPTIMO PRINCIPI. Id est, 'Senatus populusque Romanus optimo Principi' adventum gratulatur. Alii sunt nummi plurimi ea de re hoc anno cusi, quibus inscriptum VIC. DAC. id est, 'Victoria Dacica,' DAC. CAPT. id est, 'Dacia capta.' DACIA AVGVSTI PROVINCIA. DANVVIVS. Nempe Danubius, post superatos Dacos, se juris Romani esse gloriatur.

1 *A Decebalo missi*] Dio, LXVIII. p. 774.

2 *Actus est triumphus*] Dio, ibid. Plin. Ep. VIII. 4. De hoc triumpho extant nummi plurimi.

3 *Dacici cognomen*] Dio, ibid.

4 *Congiarium*] De quo nummus ex ære magno, qui fuit in Museo Collegii Ludovici Magni, IMP. CAES. NERVA TRAIAN. AVG. GER. DACICVS P. M. capite laureato. In aversa parte, COS. V. CONGIARIVM SECVND. S. C. Imperator congiarium populo Romano distribuit. De primo congiario jam egimus ad annum 852.

5 *Quos inter Pylades*] Dio, ibid.

6 *Jus pro tribunali dicebat*] Dio, ibid.

7 *Lustricus Bruttianus*] Plin. Ep. VI. 22.

et Bruttianum, quem deceperat, accusavit. Cognitionem recepit Princeps. Egit uterque pro se; idque carptim et per summa capita, quo genere veritas statim ostenditur. Protulit Bruttianus testamentum suum, quod Atticini manu scriptum esse dicebat. Hoc et arcana familiaritas, et querendi de eo, quem sic amasset, necessitas indicabatur. Enumeravit crimina fœda et manifesta. Atticinus, cum diluere non posset, ita regessit, ut, dum defenditur, turpis, dum accusat, sceleratus probaretur. Corrupto enim Scribæ servo, interceperat commentarios, intercideratque, et per summum nefas utebatur adversus amicum crimine suo. Fecit pulcherrime Cæsar. Non enim de Bruttiano, sed statim de Atticino perrogavit. Damnatus et in insulam relegatus. Bruttiano justissimum integritatis testimonium redditum, quem constantiæ gloria etiam secuta est. Nam defensus expeditissime, accusavit vehementer; nec minus acer, quam bonus et sincerus apparuit. Magnum provinciarum rectoribus documentum, ut plurimum sibi credant, nec cuiquam satis fidant: et, si forte fuerint decepti, paratam ultionem sciant.

Ultra Urbanas curas sese diffudit Trajani solicitudo; ipsosque secessus, Principibus adeo optatos, ut, dignitatis suæ majestate fessi, ad privatæ vitæ delicias redeant, in publicos usus vertit: nec unquam major visus. Nam familiaritas, quæ plerumque Principes minuit, ei plus splendoris addidit. Ibi enim nulla recludebantur vitia; sed, ut propius visæ, magis enitebant Principis virtutes, justitia, gravitas, comitas.[1] Nec societate corrumpi poterat, cum senatorum optimos in consilium illuc evocaret. Centumcellis,[2] quo in pulcherrimam villam diverterat, insignes actæ sunt causæ. Suam dixit Claudius Aristo,[3] princeps Ephesiorum, homo munificus et innoxiæ popularitatis: inde tamen invidia, et a dissimillimis immissus delator. Itaque absolutus vindicatusque est.

Audita quoque Gallita,[4] adulterii rea. Nupta hæc tribuno militum, honores petituro, et suam et mariti dignitatem centurionis amore maculaverat. Maritus legato consulari, ille Cæsari scripserat. Cæsar, excussis probationibus, centurionem exauctoravit, atque

1 *Justitia, gravitas, comitas*] Plin. Ep. VI. 31.

2 *Centumcellis*] Centumcellæ, nunc *Civita-vecchia*.

3 *Claudius Aristo*] Plinius Ep. VI. 31. hæc et seq. habet totidem verbis, quæ mutari non poterant, quin corrumperentur.

4 *Audita quoque Gallita*] Plin. ibid.

etiam relegavit. Supererat ut criminis, sic ultionis reliqua pars. Sed maritum, non sine aliqua reprehensione patientiæ, amor uxoris retardabat. Immo, post delatum adulterium, eam domi habuerat, quasi contentus æmulum removisse. Admonitus, ut perageret accusationem, peregit invitus: sed, vel invito accusatore, ut par erat, damnata est et Juliæ legis pœnis[1] relicta. At Cæsar, ne omnes ejusmodi causas revocare ad se videretur, et nomen centurionis et commemorationem disciplinæ militaris[2] sententiæ adjecit: reputans sub prioribus Principibus imminutam legum reverentiam, dum promiscue judicum munia pro libidine usurpabant.

Pariter ob memoriam veterum temporum, quibus præpollentes Principum liberti, plus celebritatis habuit cognitio de Julii Tironis codicillis,[3] quos ex parte veros esse constabat, ex parte falsi dicebantur. Substituebantur crimini Sempronius Senecio, eques Romanus, et Eurythmus, Cæsaris libertus et procurator. Hæredes, cum Cæsar esset in Dacia, communiter epistola scripta, petierant, ut cognitionem susciperet. Susceperat, reversusque diem dixerat. At, cum ex hæredibus quidam, quasi reverentia Eurythmi, remitterent accusationem, pulcherrime dixit Trajanus: 'Nec ille Polycletus est, nec ego Nero.' Indulserat tamen petentibus dilationem; cujus tempore exacto, consedit auditurus. A parte hæredum intraverunt duo: omnino postularunt, ut omnes hæredes agere cogerentur, cum detulissent omnes, aut sibi quoque desistere permitteretur. Locutus est Cæsar summa gravitate, summa moderatione: cumque advocatus Senecionis et Eurythmi dixisset 'suspicionibus relinqui reos, nisi audirentur:' 'Non curo,' inquit, 'an isti suspicionibus relinquantur, ego relinquor.' Vox digna Principe, qui sciret puram esse debere privatorum fidem, Principum inviolabilem. Conversus ergo ad senatores, qui aderant, ususque Græco verbo, 'censete,'[4] inquit, 'quid facere debeamus.' Mox, ex consilii sententia, jussit 'denuntiari hæredibus omnibus aut agerent, aut singuli approbarent causas non agendi, alioqui se vel de calumnia pronuntiaturum.' Dies ea honestate, ea severitate actos

1 *Juliæ legis pœnis*] Pœna illa vulgo fuit relegatio. Vid. not. ad Annal. II. 60.

2 *Commemorationem disciplinæ militaris*] Præcipuum enim imperatoris munus disciplinam militarem tueri.

3 *Julii Tironis codicillis*] Plin. Ep. VI. 31.

4 *Censete*] Ἐπίστασθε. Major quidem erat Trajano, ut Principem decebat, militaris rei, quam politioris literaturæ scientia. Literas tamen non negligebat: in Græca poësi etiam exercitatus.

excipiebant jucundissimæ remissiones. Senatores, qui consiliis interfuerant, cœnæ adhibebantur.[1] Erat modica, et ut decebat Principem, qui non sumtu et ganea, sed suavitate et simplicitate convictus vellet præcellere. Inde aut acroamata[2] audiebantur, aut jucundissimis sermonibus nox ducebatur. Summo die, antequam in consilium evocati abirent, (adeo diligens erat in Cæsare humanitas) singulis xenia[3] mittebantur.

Privatam Principum vitam plerumque silet Historia, ne vilescat: Trajani referre gestit, ea quam victoriis recensendis lætior et splendidior. Immorari tamen haud licet, quod, vel inter secessus delicias, mens, imperii magnitudini par, totam ejus molem semper versaret, novisque institutis ac monumentis perficeret. Super solitos reditus, Principisque parcimoniam, tantis operibus sufficiebant partæ bello Dacico opes. Itaque dum exstruebatur Centumcellis immensæ magnificentiæ portus,[4] qui importuoso Tyrrheni maris[5] littori succurreret, alter simul et majore quidem munificentia addebatur Anconæ,[5] ut Adriatici maris commercia promoverentur.

1 *Cœnæ adhibebantur*] Plinius Ep. vi. 31. ipse in consilium a Trajano evocatus, et conviva.

2 *Acroamata*] Concentus musicos veteres dixere ἀκροάματα, Anglice *concerts.*

3 *Xenia*] Munera quæ hospitibus dabantur. Ut usus, sic voces plurimas Græcorum Romani recepere.

4 *Immensæ magnificentiæ portus*] Portum Centumcellarum, *Civita-vecchia,* ob operis magnificentiam et veterem architectonicæ artis industriam, licet longior sit Plinii locus, haud pigebit illustrasse. Trajani 'villa pulcherrima cingitur viridissimis agris, imminet littori, cujus in sinu, quam maximus portus, velut amphitheatrum. Hujus sinistrum brachium firmissimo opere munitum est: dextrum elaboratur. In ore portus insula assurgit, quæ illatum vento mare objacens frangat, tutumque ab utroque latere decursum navibus præstet. Assurgit autem arte visenda. Ingentia saxa latissima navis provehit: contra, hæc alia super alia dejecta ipso pondere manent, ac sensim quodam velut aggere construuntur. Eminet jam et apparet saxeum dorsum: impactosque fluctus in immensum elidit et tollit. Vastus illic fragor, canumque circa mare. Saxis deinde pilæ adjiciuntur; quæ procedenti tempore enatam insulam imitentur. Habebit hic portus etiam nomen auctoris, eritque vel maxime salutaris. Nam per longissimum spatium littus importuosum hoc receptaculo utetur.' Plin. Ep. vi. 31.

5 *Tyrrheni maris*] Nunc, *the Tuscan sea.*

6 *Anconæ*] Nunc *Ancona, in the gulf of Venice.* Extat egregia hujus portus imago in Trajani nummis ex ære magno. Ibi postea positus Trajano arcus triumphalis, et inscriptio, quam habet Gruterus, p. 247. n. 6.

IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE
TRAIANO. OPTIMO. AVG. GERMANIC. DACICO
ET. CYRIACO. PONT. MAX. TR. POT. XVIIII. IMP. VIII.
COS. VI. P. P. PROVIDENTISSIMO. PRINCIPI

Ostiensi autem portui,[1] quem Claudius Cæsar inenarrabili impendio, ut jam memoravimus, condiderat, novum superaddidit, quo tutius commodiusque naves, quæ Urbem alerent, reciperentur. Ipsa in Urbe restituebantur vetera reipublicæ libertatisque monumenta,[2] temporum injuria collapsa, aut Cæsarum negligentia et ambitione corrupta. Ut arcerentur Tiberis inundationes, quæ toties Romam terrore et ruinis oppleverant, fossa per Vaticanos campos[3] ducebatur, qua pars fluminis innoxio fluxu decurreret, et fœcunditatem inferret.

Eadem Principis vigilantia, in quotidianas Urbis necessitates

SENATVS. P. Q. R. QVOD. ACCESSVM
ITALIAE. HOC. ETIAM. ADDITO. EX. PECVNIA.
SVA PORTV. TVTIOREM. NAVIGANTIBVS.
REDDIDERIT.

Lateribus inscriptum:

PLOTINAE	DIVAE
AVG	MARCIANAE
CONIVGI. AVG.	AVG.
	SORORI AVG.

1 *Ostiensi autem portui*] De Ostiensi portu a Claudio Imperatore condito diximus supra in Supplemento Annal. IX. 31. Portum alterum, ut priori succurreret, addidit Trajanus; dictusque est Trajanus portus, Τραιανὸς λιμὴν, teste Ptolemæo, III. 1. Saracenorum vastationibus, temporum injuria hominumque incuria, uterque portus periit. Loco manet tamen nomen *Porto di Trajano*. Utriusque portus elegantem imaginem habet Cornelius Meyer, *l'Arte di restituere a Roma la tralasciata navigatione del suo Tevere.* Tab. II.

2 *Reipublicæ libertatisque monumenta*] Quamplurimi extant nummi argentei familiarum Romanarum, qui monumentorum a Trajano restitutorum testes sunt. Vidi tales nummos familiarum Æmiliæ, Cassiæ, Corneliæ, Cornuficiæ, Horatiæ, Juniæ, Mamiliæ, Memmiæ, Norbanæ, Rubriæ, Tulliæ, Vipsaniæ. Paucos proferam, ut facile sit de aliis judicium. In nummo familiæ Æmiliæ, caput libertatis velatum, ante simpulum, retro corona. In aversa parte, AEMILIA REF. S. C. M. LEPIDVS, Basilica Æmilia. IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. Nempe Æmiliam basilicam refecerat M. Lepidus consulto, aut decreto senatus: illam restituit Trajanus. In Cassiæ familiæ nummo, Q. CASSIVS VEST. Caput Vestæ velatum. In aversa parte, Templum, hinc urna, inde tabella cum literis AC. IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. Nempe templum Vestæ aut refecerat, aut condiderat Q. Cassius, illud restituit Trajanus. Qui plura volet de hujusmodi nummis adeat Cl. le Beau, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*, Vol. XXIV. p. 188. et seqq.

3 *Fossa per Vaticanos campos*] Fossam illam a providentissimo Imperatore factam memorat Plin. Ep. VIII. 17. Ea, pluviarum inundationumque temporibus, pars fluminis exonerabatur: a ponte Milvio per Vaticanos campos, ubi nunc *Strada della valle dell' Inferno*, post Pontificios hortos, vulgo *Belvedera*, fuerat ducta.

intenta, quæ Divus Nerva admirabili consilio cœperat, absolvit.[1] Aqua Marcia,[2] clarissima aquarum omnium, et salubritatis palma populi Romani potibus addicta, ita per omnes colles est invecta, ut omnium siti large sufficeret. Ceteræ aquæ, non ita nobiles, pro sua quæque qualitate,[3] aptis usibus assignatæ. Emendata etiam Anienis novæ[4] vitia; et ne, ob tempestatum pluviarumque casus, deformis ac turbida unquam flueret, omisso flumine, repetita est ex lacu, unde per montium saxa et nemorum opaca, adeo frigida et splendida in Urbem pervenit, ut dotibus æquaret Marciam, copia superaret. Tantaque fuit solicitudo ne unquam sentiretur aquarum inopia, ut per omnes Urbis partes lacus tam novi quam veteres plerique binos salientes diversarum aquarum acceperint, alteriusque copia, si alteruter deficeret, abunde sufficeret. Ne pereuntibus quidem aquis sua defuit utilitas. Iis enim et immunditiarum facies, et impurior spiritus, et causæ gravioris cœli, quibus aër ante fuit infamis, sunt remotæ.[5]

Hanc urbis salubritatem ejusque commoda ampliabant Pomptinæ paludes,[6] quarum pars magna jam siccata, nec frugum tantum fœcunda, sed et pervia, strata silice Appia via, quæ novis in dies magnificisque operibus exornabatur. Par per provincias ac maxime in Hispaniam, patriam ejus terram, munificentia.

1 *Absolvit*] Frontinus, de Aquæductibus Romæ, Libr. II.

2 *Aqua Marcia*] Plin. XXXI. 3. sect. 24. Primus eam in Urbem ducere auspicatus est Ancus Marcius, unus e regibus. Postea Q. Marcius Rex in prætura. Rursusque restituit M. Agrippa. Aqua Marcia oriebatur prope *Arsoli*, 33. milliario ab Urbe. Eschinardi, *l'Agro Romano*, n. 65.

3 *Quæque qualitate*] Frontin. loc. cit.

4 *Anienis novæ*] A lacu prope *Subjaco*, 62. milliario ab Urbe oriebatur Anio novus. Eschinardi, ibid. Anio, nunc *Teverone*. Dictus est Anio vetus, quod propius Urbem ducta primum ejus aqua. Deinde remotius ab Urbe, ut purior foret aqua, ductus est: inde ejus aquæ nomen Anienis novæ.

5 *Sunt remotæ*] Frontinus, de Aquæductibus Romæ, Libr. II.

6 *Pomptinæ paludes*] Hodieque appellantur *paludi Pontine*; eas exsiccavit Augustus, unde Horatius, Art. Poëtic. vers. 65. 'Sterilisve diu palus, aptaque remis, Vicinas urbes alit, et grave sentit aratrum.' Iterum exsiccavit Trajanus, teste Dione, LXVIII. p. 777. Auctor operis videtur fuisse Imperator Nerva, teste Inscriptione, quam ex vetere lapide ad 42. ab Urbe milliarium descripsit Cl. Capmartin de Chaupy, *Découverte de la maison d'Horace*, Vol. III. p. 388. IMP. CAESAR NERVA AVG. GERMAN. PONTIFEX MAX. TRIB. POTESTATE. COS. III. P. P. VIAM A TRIPVNTIO AD FORVM APPII EX GLAREA SILICE STERNENDAM SVA PECVNIA INCHOAVIT. IMP. CAESAR NERVA DIVI NERVAE F. TRAIANVS AVG. GERMANIC. TRIBVN. POTEST. COS. III. CONSVMMAVIT. Et in turre, quæ stat via Appia supra pontem Tripuntii, nunc *Tre ponti*, vetus est lapis inscriptus:

At hæc satis vulgata, et conditoris nomine ac monumentis[1] adhuc plerumque celebrata, singillatim persequi haud licet, cum nos ad majora et ætatum omnium memoria laudibusque dignissima trahat miranda optimi Principis humanitas. Jam Roma, ut supra memoravimus,[2] ejus liberalitatem in pueros effusam senserat. Excelsius aliquid ac prope divinum ausus est. Norat imperia non opum, non dominationis magnitudine, sed civium numero et virtute niti: Italiam esse populi Romani sedem, orbis terrarum dominam, cunc-

IMP. CAESAR
DIVI NERVAE F. NERVA
TRAIANVS AVGVSTVS
GERMANICVS
PONTIFEX
MAXIMVS
TRIBVNICIA
POTESTATE IIII. COS. III.
PATER PATRIAE
REFECIT.

Bolognini, *Memorie dell' antico e presente stato delle Paludi Pontine*, p. 8. Decem anni a Trajano in id opus insumti videntur. Tarracinæ enim ad angulum parietis summi Templi extat in lapide, quem diligentissime descripsit eruditus Fabretti, *Columm. Trajan.* p. 291. IMP. CAESAR. DIVI. NERVAE. FILIVS. NERVA. TRAIANVS. AVG. GERMANICVS. DACICVS. PONT. MAX. TRIB. POT. XIIII. IMP. VI. COS. V. P. P. XVIIII. SILICE. SVA. PECVNIA STRAVIT. Itaque a Tripuntio, *Tre ponti*, novemdecim millia passuum, quod Theodoricus rex, apud Cassiodorum, Variarum, II. 3. appellat *Decennovium*, ad Terracinam usque Trajanus siccavit. Idem postea præstitit Theodoricus rex, auctore et adjutore Basilio Decio, ut constat tum ex Cassiodoro, Variarum, II. 32. et 33. et ex vetere Inscriptione, quam habet Gruterus, p. 152. n. 8. Ejus summam ad illustranda Trajani opera necessariam, omissa barbarie, retulisse sit satis. 'Dominus gloriosissimus atque inclutus rex Theodoricus, &c. Decennovii viæ Appiæ, id est, a Tripuntio usque Terracinam iter et loca quæ confluentibus ab utraque parte paludum per omnes retro Principum (ætates) inundaverant, usui publico et securitati viantium admiranda propitio Deo felicitate restituit; operi invicto naviter insudante, atque clementissimi Principis feliciter deserviente præconiis, ex prosapia Deciorum Cæc. Mau. Basilio Decio, viro clarissimo, et illustrissimo, expræfecto Urbis, &c. qui ad perpetuandam tanti domini gloriam per plurimos qui ante non erant alveos—deducta in mare aqua; ignotæ atavis et nimis antiquæ reddi' terræ viæque cœperint curavit. Rediit malum: tentata sæpe remedia; nunc vix ulla spes superest. Tantum agri (patent enim Pomptinæ paludes longitudine octo ferme leucas, latitudine duas) non modo perit, sed et Romam tetro aëre inficit. Si siccaretur, Romæ redderentur jugera Parisiensia 48000. singula quadratarum hexapedarum 900.

1 *Conditoris nomine ac monumentis*] In nummis Trajani ex ære magno, IMP. CAES. NERVAE TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. capite laureato. In aversa parte, AQVA TRAIANA S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Figura fluvii decumbentis sub fornice. Ea aqua eadem est quæ Aurelia dicta est, nunc *Paolina* dicitur, quod a Paulo V. summo Pontifice fuit restituta. Eschinardi, ibid. Multæ quoque extant Inscriptiones, quibus recensendis supersedeo, ne infinitus sim. Innumera enim sunt monumenta, quæ in Urbe et per provincias Trajani magnificentiam testantur.

2 *Ut supra memoravimus*] Ad annum 852.

tarum gentium parentem, cujus æternitati erat consulendum, si æternum vellet imperium. Ea imbutus scientia, quod erat in Italia puerorum puellarumque,[1] quos inopia morti aut vitiis

1 *In Italia puerorum puellarumque*] Dio, LXVIII. p. 771. Eadem de re extant multæ Inscriptiones nummique plurimi. At cum ad Trajani gloriam, ad imperatorum æmulationem et utilitatem, ad Romanæ eruditionis copiam plurimum conferre possit amplior diligentiorque hujus institutionis explicatio, haud patiar nostram hac in re operam desiderari.

Primus memoratur Princeps Nerva, qui per Italiam puerorum puellarumque egestati subvenire cogitaverit. 'Puellas puerosque natos parentibus egestosis sumtu publico per Italiæ oppida ali jussit.' Victor, in Epitome. Trajanus, quem egregia natura formaverat, ut præclara quæque priorum Cæsarum instituta non modo retineret, sed perficeret et ampliaret, noluit hanc liberalitatem in publicum onus cedere. Jam Romanæ soboli alimenta dederat, teste Plin. in Panegyric. cap. 26. Ad Italam prolem animum vertit; suisque sumtibus pueros puellasque per Italiam alendos curavit: cumque egenorum parens esse gloriaretur, infantes illos suos dici *Ulpianos*que appellari permisit. De nova illa et præstantissima Principis munificentia, quædam ante bellum Dacicum extant monumenta: quæ inter satis sit laudasse Inscriptionem veterem Ameriæ, nunc *Amelia*, positam, Gruter, p. 1084. n. 7.

IMP. NERVAE. TRAIAN. AVG.
GERM. P. MAX. TRIB.
POTEST. COS. IIII. P. P.
NOMINE PVERORVM
PVELLARVMQVE
VLPIANORVM
EX. S. C. P.

Fuit et in Museo Collegii Ludovici Magni nummus ex ære magno, cusus sub finem A. U. 855. IMP. TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. IIII. P. P. capite Trajani laureato. In aversa parte, SPQR OPTIMO PRINCIPI. Infra, ALIM. ITAL. Id est, 'Alimenta *Italiæ*' data. In medio sc. 'Senatusconsulto.' Pietas stans, dextra fruges, sinistra cornu copiæ tenet. Ad pedes stat puer Italus.

Post Dacicam victoriam, cum locupletior esset Principis fiscus, ejusque munificentia totam Italiam pervaderet, plura fuere monumenta; extantque nummi plurimi ex auro et ære, quorum unum aureum, qui fuit in Museo Collegii Ludovici Magni, proferam: IMP. TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. T. P. capite Trajani laureato. In aversa parte, COS. V. P. P. SPQR OPTIMO PRINC. stans Princeps, porrecta dextra duos pueros protegit. Infra, ALIM. ITAL. Alii sunt multi nummi ex ære, cum simili Inscriptione, in quibus sedens Princeps alimenta distribuit fœminæ cum pueris astanti. Trajanus tali tantaque liberalitate merito appellatus est '*Restitutor Italiæ*;' ut in hoc nummo ex ære magno, IMP. CAES. NERVAE TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. capite laureato. In postica parte, SPQR OPTIMO PRINCIPI SC. Princeps Italiam, cui pueri duo assistunt, in genua procumbentem sublevat. Infra, REST. ITAL.

At qua arte tot egenis Trajanus subvenerit, ignoraremus, ni detecta fuisset anno 1747. ænea tabula Veleiatum, præstantissimum antiquitatis monumentum, quod egregiam hac in re Trajani industriam manifestam fecit. Nempe optimus Princeps, qui inopibus pueris alimenta de suo subministrare volebat, cum in singulis Italiæ civitatibus (maxime cum ipse Hispanus esset, non *Italus*) agros non haberet, qui his impensis sufficerent, ipse pecunias incolis civitatum obtulit, quas qui accipiebant, vectigales suos agros obligabant, ut singulis annis acceptæ pecuniæ usuram persolverent. Ex annuo eo reditu, alimenta egenis pueris subministrabantur. Verum cum optimus

mancipabat, ipse alendos sumtibus suis suscipit. Et ne institutum, quo nullum fuit, nec erit præstantius, incuria aut avaritia in posterum convelleretur, per universam Italiam emit agros, quos modico fœnore, ne unquam vacarent, collocat, ut ex annuis reditibus ino-

Princeps omnibus consultum vellet, minuit usuram. Cumque iis temporibus, constitutione Romana, legitima haberetur usura centesima, seu duodenorum assium, quod nunc diceremus *twelve per cent.*, ipse exigebat tantum usuram quincuncem, seu quinum assium, quod vulgo dicimus *five per cent.* Quanto minor erat usura, tanto major erat numerus mutuantium, tanto certior reditus.

Nunc vero noluit Princeps providentissimus ita consulere egestati, ut parentum officia penitus cessarent, inersque educaretur juventus. Itaque ut inopes Veleiatum pueri puellæque alimenta acciperent, singulis legitimis filiis assignavit in singulos menses sedenos sestertios, Angl. 2*s*. 8*d*.; singulis legitimis filiabus in singulos menses duodenos sestertios, Angl. 2*s*.; spurio dati in singulos annos sestertii centeni quadrageni quaterni, Angl. 1*l*. 4*s*.; spuriæ in singulos annos nummi centeni viceni, Angl. 1*l*. Mirum quibusdam videtur, quod Trajanus nihil illegitimis pueris assignaverit, cum ejus liberalitas ad spurios perveniret. At forte apud Veleiates, ab Urbe remotos, et quorum haud magna erat civitas, satis fuit morum, ut nulli tunc in ea numerarentur illegitimi; aut, si qui erant, inopia non laborabant. Forte quoque illegitimis nihil dedit Trajanus, ne concubinatui faveret, et ut quantum posset connubia, in quibus posita imperii vis et sanctitas, foveret. In spurios liberalis fuit, misertus puerorum, quorum miserrima erat sors, incerto patre.

Extendebatur sane Trajani liberalitas usque ad pubertatem. Id enim usu receptum, ut videre est in Digest. Libr. xxxiv. Tit. 1. de Alimentis vel cibariis legatis. Sed cum quæ dantur usque ad pubertatem, extendantur usque ad plenam pubertatem; nequis foret ambagibus locus, definita est ipsa ætas, ut habetur in Digest. l. xxxiv. loc. cit. Leg. 14. ex Ulpiano: 'Si quis exemplum alimentorum, quæ dudum pueris et puellis dabantur, velit sequi; sciat Hadrianum constituisse, ut pueri usque ad decimum octavum, puellæ usque ad quartumdecimum, alantur. Et hanc formam ab Hadriano datam observandam Imperator noster (Alexander Severus) rescripsit.'

Sunt forte qui mirentur tam pauca a Trajano, liberalissimo Principe, inopibus Veleiatum pueris fuisse data. At ii non attendunt hæc data esse in alimenta, non vero in vestitum aliasque vitæ commoditates; a prudentissimo Principe esse data, qui nosset in maximis opulentissimisque imperiis, si opes æqualiter omnibus dividantur, singulis perexiguam contingere opum portionem. Consultissimus ergo et prudentissimus fuit Trajanus, qui binos circiter asses in alimenta egenis Veleiatum pueris subministraverit.

At, etiamsi plura non fuisset largitus, maxima foret ejus liberalitas. Quod ut intelligatur, observandum est Trajanum, ante bellum Dacicum, collocasse septuaginta duo millia sestertium, Angl. 600*l*. ut ex quincunce usura fieret annua summa sestertium trinum millium sexcenum, Angl. 31*l*.; qua ex summa alimenta accipiebant Veleiatum pueri legitimi 18, puella legitima 1. Iterum optimus idem Princeps, post bellum Dacicum, collocavit decies quadraginta quatuor millia sestertium, Angl. 8704*l*. 8*s*. ut ex quincunce usura fieret annua summa quinquagenum binum millium sestertium et ducenorum, Angl. 435*l*.; qua ex summa alimenta accipiebant Veleiatum pueri legitimi 245. puellæ legitimæ 34. spurius 1. spuria 1. At, cum Italia contineat Gallicas leucas quadratas 6400. et amplius, Veleiatum

pi pueritiæ, non procul a patria, quod dispendiosum pariter et vitiosum est, sed suos apud Penates, alimenta in perpetuum suppeditet. Ultra fata, et in omnes ætates[1] re et exemplo beneficus, homines

civitas, etiamsi patuisset sex leucas quadratas, quod maximum certe est, ne foret quidem millesima pars Italiæ. Per me tamen licet, sit pars millesima; demus etiam aliam non fuisse in Italia civitatem populo frequentiorem, quod ne verisimile quidem est: maxima adhuc erit et egregia Trajani liberalitas, qui, ut inopibus Italiæ pueris subveniret, secutus tantum Veleiatum rationes, impendit Angl. 908,5041*l.* 13*s.* 4*d.* quæ ex quincuncibus usuris reddebant in singulos annos Angl. 452,250*l.* Annuo hoc reditu alebat pueros 300,000. Egregia sane liberalitas, qua Princeps optimus, parensque publicus, tot pueros de suo in bellorum subsidium, pacisque ornamentum, nec sua tantum, sed et futura ætate alebat. Reviviscat, et per omnia imperia diffundatur tantæ utilitatis tantæque laudis æmulatio. Magnum est in Trajani exemplo curæ meditamentum, magnum adjumentum simul et incitamentum. Eadem munificentia laudem postea quæsiere Romanorum Principum optimi; at non eadem semper, qua Trajanus, prudentia. Hadrianus 'pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit.' Spartian. in Hadrian. cap. 7. Antoninus Pius 'puellas alimentarias in honorem Faustinæ, Faustinianas constituit.' Jul. Capitolin. in Antonin. cap. 8. Idem testatur nummus aureus e Gaza Regia, DIVA AVG. FAVSTINA. caput Faustinæ. In aversa parte, PVELLAE FAVSTINIANAE. Antoninus stat togatus: de alendis puellis transigitur. Infra fœminæ puellas ostentant. M. Aurelius Antoninus, inconsulte assumto in societatem imperii fratre, non modo 'pueros et puellas novorum hominum frumentariæ perceptioni ascribi præcepit.' Jul. Capitolin. M. Antonin. cap. 7. sed et 'novas puellas Faustinianas instituit in honorem uxoris mortuæ' Faustinæ junioris. Capitolin. ibid. cap. 26. Nuper quoque reperta est in vinea oppidi *Gensano*, vetus Inscriptio monumenti quod posuere M. Aurelio Antonino optimo et indulgentissimo Principi PVERI ET PVELLAE ALIMENTARIAE FICOLENSIVM. Si integram volueris Inscriptionem adi Cl. Capmartin de Chaupy, *Découverte de la Maison de campagne d'Horace*, Vol. III. p. 258. Alexander Severus, post Trajanum Princeps maximus et optimus, 'puellas et pueros, quemadmodum Antoninus Faustinianas instituerat, Mammæanas et Mammæanos instituit' in honorem Mammææ, matris suæ, fœminæ laudatissimæ. Lamprid. in Alexandr. Sever. cap. 57. Nec Principes tantum, sed et privatos egregio æmulationis studio inflammavit Trajani exemplum. Plinius, ut concives suos Comenses, nunc *Come*, juvaret, agrum ex suis, vectigali imposito, obligavit, tricena millia, Angl. 250*l.* annua daturus 'in alimenta ingenuorum.' Plin. Ep. VII. 18.

His explicatis, superest ut æneam tabulam Veleiatium, quæ in collibus Placentinis, octavodecimo milliari ab urbe Placentia, in villa *Macinesso*, paulo supra *Fiorenzuola*, referam. At cum hæc Inscriptio sua amplitudine ordinem Notarum nimis interturbaret, commodius erit eam in hujus voluminis calcem rejicere; quam ibi videat eruditus Lector.

1 *Et in omnes ætates*] Post optimos Principes, qui Trajani liberalitatem foverant et ampliaverant, Aurelius Commodus eam omisit, cum luxuriæ sumtibus ærarium minuisset. Lamprid. in Commod. c. 16. Nec Pertinax, ejus successor, ablata restituit. Inde Jul. Capitolin. in Pertinace, cap. 9. 'Alimentaria etiam

naturæ, reipublicæ cives addidit, tanto meliores, quod in Romani nominis amore et Principis veneratione crescerent.

Provinciis quoque subventum; omniumque Princeps non eas tantum qu sui erant juris, sed et quæ populi senatusque imperio continebantur, in meliorem statum revocandas curavit. Universa hac providentia in Bithyniam, proconsulum negligentia aut vitiis turbatum, C. Plinium legatum proprætorem[1] consulari potestate[2] misit. Pontus quoque et Byzantiorum respublica[3] ejus cura commissa. Ob egregiam viri integritatem ac prudentiam, mandatum ut formandis illarum civitatum moribus moderaretur, et ea constitueret, quæ ad perpetuam earum quietem essent profutura.[4]

Sub anni finem Nicomedia vastissimum incendium[5] passa est; latius sparsum primum violentia venti, deinde inertia hominum, quos satis constitit otiosos et immobiles tanti mali spectatores perstitisse; ceterum instrumentis ad incendia compescenda[6] destitutos. Jussi sunt comparare ea, quæ ad coërcendos ignes auxilio esse possent. At Princeps non permisit[7] institui fabrorum collegium, ne hetæriæ (sic vocant sodalitates) fierent, et turbida civitas iis ad movendas factiones abuteretur.

A. U. 857. J. C. 104.—L. Licinio Sura II.[8] et P. Horatio Marcello consulibus. Prudentiam diligentiamque Principis in ordinandis provinciis hic annus maxime insignivit. Verum, antequam hac de re sapienter constituta in Bithynia referam, juvat alias et per plures annos diffusa summatim colligere, ne aut optimi regi-

compendia quæ novem annorum ex instituto Trajani debebantur, obdurata verecundia sustulit.'

1 *Legatum proprætorem*] Gruter. Inscript. Antiq. p. 454. n. 3. Vide et eruditum Joannem Masson. C. Plinii Secundi Junioris vita, p. 9. et 132.

2 *Consulari potestate*] Ut plenissimam haberet jurisdictionem. Vide Ulpianum in Digest. Lib. I. Tit. 26. de officio proconsulis et legati, Leg. 6. et 8.

3 *Pontus quoque et Byzantiorum respublica*] Hac de re multæ sunt Plinii epistolæ x. 52, 53, 109, 110, &c. Pontus et Bythinia, nunc *part of Natolia, near the Black-Sea*. Byzantiorum respublica, nunc *Constantinople*.

4 *Essent profutura*] Plin. Ep. x. 98.

5 *Vastissimum incendium*] Plin. Ep. x. 42. Nicomedia, urbs Bithyniæ præclara, nunc *Is Nikmid*.

6 *Instrumentis ad incendia compescenda*] Plin. Ep. x. 42. 'Alioqui nullus usquam in publico sipho, nulla hama, nullum denique instrumentum ad incendia compescenda: et hæc quidem, ut jam præcepi, parabuntur.' Inde patet Romanis, ut et nobis, fuisse adversus incendia instrumenta publica.

7 *Princeps non permisit*] Trajani epistola apud Plinium, Ep. x. 43.

8 *L. Licinio Sura* II.] In Fastis Vindobonensibus, *Surano* II. sed perperam. Male quidam emendant, *Saburano*. Is certe est L. Licinius Sura jam consul biennio ante.

minis memoria pereat, aut sæpius interrupta narratio lectoris animos fatiget. Hic ergo monuisse sit satis toto hoc Principatu creatos fuisse consules Principi amicos et plerumque simillimos: eos, postea in provincias missos, continuis Cæsaris literis et adhortationibus ad ea quæ provinciis opes, tranquillitatem, splendorem inferrent, fuisse incitatos: expertaque fide, collatam iis summam auctoritatem. Quos inter Plutarchus,[1] quem, licet tot alios sileam, honoris causa ob studiorum claritudinem nominaverim, cum Illyricum regeret, id dignitatis accepit, ut omnes qui inter has gentes agebant magistratus, nihil eo inconsulto facere jussi sint. Principales autem Cæsarum ac maxime Trajani curas nihil magis commendat, quam assidua eorum diligentia et exquisita brevitas[2] in rescribendo de rebus, super quas continuo et a cunctis provinciarum rectoribus consulebantur.

Æquitate adhuc et humanitate præstabant Trajani *rescripta*. Nec tam vox Principis, quam Dei fuit, cum et Julio Frontoni scripsit: 'Absentem[3] in criminibus damnari non debere;' et Assiduo Severo, 'sed nec suspicionibus debere aliquem damnari. Satius enim esse impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare.'[4] Insidiosas quoque quæstiones vetuit; mandavitque: 'Qui quæstionem habiturus est, non debet specialiter, sed generaliter, interrogare[5] quis crimen fecerit. Alterum enim magis suggerentis, quam requirentis videtur.' Nec sua utilitate decessorumve exemplis a proposita sibi clementia innocentiaque unquam dimoveri potuit; et ad Didium Secundum rescripsit: 'Scio relegatorum bona avaritia superiorum temporum fisco vindicata: sed aliud clementiæ meæ convenit, qui inter

1 *Quos inter Plutarchus*] Vide Suidam, verbo Πλούταρχος. Fertur quidem Plutarchus fuisse Trajani præceptor. Dignus sane Trajano magister, dignus Plutarcho discipulus. At Plutarchi, quæ hac de re circumfertur, epistola, Latine tantum, non Græce extat; ideoque non immerito suspecta. Inter tantas imperii curas, cum Trajano legendis libris exigua superessent tempora, Plutarchus regum, Principum, ducumque dicta memorabilia selegit, et Trajano inscripsit.

2 *Exquisita brevitas*] Multæ extant Trajani epistolæ apud Plinium, Ep. x. 21. et seqq. Nervæ, Domitiani, aliorumque Cæsarum habentur literæ, eadem brevitate commendabiles.

3 *Absentem*] Digest. Libr. XLVIII. Tit. 19. *de Pœnis*, Leg. 5. ex Ulpiano.

4 *Innocentem damnare*] Ulpianus, ibid.

5 *Generaliter, interrogare*] Digest. Libr. XLVIII. Tit. 18. de Quæstionibus, Leg. 1. n. 21. ex Ulpiano. 'Non debet specialiter interrogare, an Lucius Titius homicidium fecerit: sed generaliter quis id fecerit.'

cetera, quibus innocentiam rationum meorum temporum approbavi, hoc quoque remisi exemplum.'[1] In virtutis gloriæque subsidium veniebat Plotina Augusta.[2] Comperto procuratores, vel sub optimis Principibus avidum durumque hominum genus, ausos esse contumelias provinciis inferre, Cæsarem admonuit, ne talem nomini suo labem inuri pateretur. Quod ita Trajanum advertit, ut exactiones in posterum inhibuerit; dictitans 'fiscum lienem esse,[3] quo crescente, artus reliqui tabescunt.' Dein tanta fuit fisci modestia, ut, moriente Trajano, reliqua fuerint vetera sestertium novies millies:[4] ingens Hadriano liberalitatis materies.

Verum ad temporum ordinem rerumque seriem redeo. Cum Plinius tertio Nonas Januarii vota pro incolumitate Principis[5] cum provincialibus solvisset, ad publicas curas animum vertit. Præcipua ei cura fuit rationes civitatum excutere, ne aut nimiis, aut minime legitimis, sumtibus exhaurirentur. Approbante plurimum Principe, levata est Byzantiorum respublica, quæ maximis impendiis gravabatur. Legatum ad eum salutandum annis omnibus cum psephis-

1 *Remisi exemplum*] Digest. Libr. XLVIII. Tit. 22. de interdictis et relegatis et deportatis, Leg. 1. ex Pomponio.

2 *Plotina Augusta*] Victor in Epitome, cum res Juliani Imperatoris tractat.

3 *Fiscum lienem esse*] Victor, ibid.

4 *Sestertium novies millies*] Angl. 7,500,000*l.* In nummis Hadriani ex ære magno, apud Harduinum, Selecta opera, p. 756. IMP. CAESAR TRAIANVS HADRIANVS AVG. P. M. TR. P. COS. II. caput laureatum Hadriani. In adversa parte, RELIQVA VETERA HS NOVIES MIL. ABOLITA. SC. Hadrianus stans paludatus sinistra tenet bacillum Imperatorium, dextra facem, qua incendit syngraphas. Hac quoque de re insignis est Inscriptio, in columna Trajani reperta, quam ex Mss. schedis Marcanovæ et Sirmondi referre juvat, cum non ita accurata sit apud Gruterum, p. 10. n. 6.

S. P. Q. R.
IMP. CAES. DIVI. TRAIANI PARTHICI F.
DIVI NERVAE NEPOTI TRAIANO HADRIANO
AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. II.
QVI VNVS OMNIVM PRINCIPVM ET SOLVS
REMITTENDO SESTERTIVM NOVIES MILLIES
CENTENA MILLIA N. DEBITVM FISCIS NON
PRAESENTES TANTVM CIVES SVOS SED
ET POSTEROS EORVM PRAESTITIT
HAC LIBERALITATE SECVROS.

5 *Vota pro incolumitate Principis*] Plin. Ep. x. 44. Tertia die Januarii fuisse votorum nuncupationem sæpe ante monuimus.

mate (id apud eos nomen plebiscito) mittebat, eique dabat nummorum duodena millia.[1] Ut minuerentur sumtus, id remissum: ne tamen omitteretur publicum officium, Plinius ad Principem ipse misit psephisma. Pariter circumcidit terna millia,[2] quæ viatici nomine annua dabantur legato eunti ad eum, qui Mœsiæ præerat, publice salutandum.[3]

De pecuniis publicis[4] plus ei videbatur difficultatis. Intererat ne otiosæ jacerent; nec facile tamen collocabantur, cum prædiorum comparandorum aut nulla, aut rarissima esset occasio. Præterea non inveniebantur, qui vellent debere reipublicæ, præsertim duodenis assibus,[5] quanti a privatis mutuabantur. Consuluit Principem 'ut dispiceret numquid minuenda usura, ac per hoc idonei debitores invitandi; an, si nec sic quidem reperirentur, distribuenda inter decuriones pecunia, ita ut recte reipublicæ caverent: quod, quanquam invitis et recusantibus, minus acerbum foret, leviore usura constituta.' Pro solita sua æquitate rescripsit Princeps:[6] 'Non aliud esse remedium, quam ut quantitas usurarum minueretur,[7] quo facilius pecuniæ publicæ collocarentur: modum ejus, ex copia eorum qui mutuarentur, Plinius constitueret. At invitos ad accipiendum compellere, quod fortassis ipsis otiosum futurum foret, non esse ex justitia suorum temporum.'

Hanc Principis indulgentiam haud fregit juris durities. Plinius maximam, et quæ ad totam provinciam pertineret, quæstionem de conditione et alimentis eorum, qui liberi nati,[8] expositi,[9] deinde sublati, a quibusdam in servitute educabantur, proposuerat; eaque de re edictum Augusti, et Principum epistolas, sed parum emen-

1 *Nummorum duodena millia*] Plin. Ep. x. 52. HS $\overline{\text{XII}}$. efficiunt Angl. 100*l.*

2 *Terna millia*] Angl. 25*l.*

3 *Publice salutandum*] Plin. Ep. x. 52. Trajanus Plinio rescripsit. 'Ignoscet illis et Mœsiæ præses, si minus illum sumtuose coluerint.'

4 *De pecuniis publicis*] Plin. Ep. x. 62.

5 *Duodenis assibus*] Hæc est usura centesima quam vulgo dicimus *twelve per cent.*

6 *Rescripsit Princeps*] Plin. Ep. x. 63.

7 *Quantitas usurarum minueretur*] Cum modo de pueris puellisque alimentariis ageremus, vidimus Trajanum contentum fuisse quincunce usura, quam vocamus *five per cent.*

8 *Liberi nati*] Nati parentibus liberis.

9 *Expositi*] Plin. Ep. x. 71. Ut nunc viget apud Sinenses populos, ita apud Romanos viguit barbara consuetudo liberos exponendi, quam Valentinus et Valens primi abolere conati sunt. Cod. lib. 2. de Infantium expositione.

datas, et quasdam non certæ fidei memoraverat. Respondit Trajanus,[1] 'quæstionem hanc sæpe esse tractatam: nihil tamen inveniri in commentariis Principum, qui ante se fuerunt, quod ad omnes provincias foret constitutum: nec Bithyniam esse inter provincias, quibus hac de re fuerat rescriptum: ideo putare se non assertionem denegandam[2] iis, qui ex ejusmodi causa in libertatem vindicabuntur: neque ipsam libertatem redimendam pretio alimentorum.' Sic, quantum per tempus licuit, expositorum statui consuluit.

At in ea quæstionum multitudine, quæ hoc anno tractatæ sunt, plurimas haud ita graves omiserim: duas vero, alteram Amisenorum, Christianorum alteram, juris similitudine, et innocentia, singulares referre operæ pretium est. Amiseni,[3] civitas libera et fœderata, beneficio Principis legibus suis utebantur. Plinio dederunt[4] publice libellum ad Eranos[5] (id apud eos nomen pecuniis, quæ sublevandis pauperibus colliguntur) pertinentem. Illum Trajano misit Plinius, ut quid et quatenus aut permittendum aut prohibendum declararet. Secutæ Principis literæ:[6] 'Amisenos, quorum libellum epistolæ tuæ junxeras, si legibus istorum, quibus de officio fœderis utuntur, concessum est eranos habere, possumus, quo minus habeant, non impedire, eo facilius, si tali collatione, non ad turbas et illicitos cœtus, sed ad sustinendam tenuiorum inopiam utuntur. In ceteris civitatibus, quæ nostro jure obstrictæ sunt, res hujusmodi prohibenda est.'[7] Nihil nempe, præsertim in longinquis provinciis, magis cavebatur, quam ut nullus esset, quod jam supra memoravimus,[8] hetæriarum usus, nulla tumultus factionumve causa.

1 *Respondit Trajanus*] Plin. Ep. x. 72.

2 *Non assertionem denegandam*] Non denegandam esse libertatem, seu vindicationem libertatis.

3 *Amiseni*] Amisus, urbs Ponti, nunc *Samsoun*.

4 *Plinio dederunt*] Plin. Ep. x. 93.

5 *Ad Eranos*] Erani dicti sunt a voce Græca ἔρανος, quæ *stipem* significat.

6 *Principis literæ*] Plin. Ep. x. 94.

7 *Prohibenda est*] Forte interrogabit aliquis cur Trajanus in provinciis Eranos prohiberet, cum ipse tot alimentarios pueros in Italia educaret. Manifesta est causa. Erani, ut plerumque sunt egeni, seditiosi et turbidi. Exempla vide apud eruditum Du Cange, Glossarium mediæ et infimæ Græcitatis, verbo ἐνάριοι. Contra ab alimentariis pueris nullus timor; magnum vero Italiæ ornamentum et imperii subsidium. Inde intelligas quam multiplex variaque esse debeat Principis cura, ne ulla reipublicæ pars labefactetur.

8 *Supra memoravimus*] Sub finem anni 856.

Itaque cum Christiani, ut postulabat sacrorum usus, sæpe inter se convenirent, id Plinium omnibus intentum advertit; et numero coëuntium permotus, re diligenter inquisita, ad Trajanum epistolam misit,[1] quam integram hic subjungere necesse est, ut, quam late serperet religio, notescat. 'Solenne est mihi, Domine, omnia de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christianis interfui nunquam:[2] ideo nescio quid et quatenus aut puniri soleat, aut quæri. Nec mediocriter hæsitavi, sitne aliquod discrimen ætatum, an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant: deturne pœnitentiæ venia, an ei qui omnino Christianus fuit, desisse non prosit: nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur. Interim in iis, qui ad me, tanquam Christiani, deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos, an essent Christiani: confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam, qualecumque esset, quod faterentur, pertinaciam certe, et inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiæ, [3]quos, quia cives Romani erant, annotavi in Urbem remittendos; mox ipso tractatu, ut fieri solet, diffundente se crimine, plures species inciderunt. *Propositus est libellus sine auctore*, multorum nomina continens, qui negarent se esse Christianos, aut fuisse: cum, præeunte me, Deos appellarent, et imagini tuæ, quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum afferri, thure ac vino supplicarent, præterea maledicerent Christo (quorum nihil cogi posse[4] dicuntur, qui sunt revera Christiani) dimittendos putavi. Alii ab indice nominati, esse se Christianos dixerunt, et mox negaverunt: fuisse quidem, sed desisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque. Omnes et imaginem tuam, Deorumque simulacra venerati sunt; ii et Christo maledixerunt. Affirmabant autem, hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato

1 *Epistolam misit*] Plin. Ep. x. 97.

2 *Interfui nunquam*] Ergo Romæ haud ita frequentes fuere de Christianis cognitiones, cum Plinius nullis interfuisset.

3 *Similis amentiæ*] Bene Tertullianus in Apologetic. cap. 1. 'Non potes dementiam dicere, qui revinceris, ignorare.'

4 *Nihil cogi posse*] Locupletissimum testimonium veros Christianos puram sinceramque fidem sine ulla dissimulatione, sine ulla tergiversatione esse professos.

die[1] ante lucem convenire : carmenque Christo, quasi Deo,[2] dicere secum invicem : seque sacramento non in scelus aliquod[3] obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent : quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, rursusque coëundi ad capiendum cibum,[4] promiscuum tamen et innoxium : quod ipsum facere desisse[5] post edictum meum, quo secundum mandata tua hetærias esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur,[6] quid esset veri, et per tormenta, quærere. Sed nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam et immodicam ;[7] ideoque dilata cognitione, ad consulendum te decurri. Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum, et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est : quæ videtur sisti et corrigi posse. Certe satis constat, prope jam desolata templa cœpisse celebrari,[8] et sacra solennia diu intermissa repeti : passimque vænire victimas, quarum

1 *Stato die*] Diem illam nunc dicimus dominicam ; de qua S. Paulus, Act. Apostol. xx. 7. *ἐν δὲ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, συνηγμένων τῶν μαθητῶν τοῦ κλάσαι ἄρτον.*

2 *Christo, quasi Deo*] Egregium divinitatis Christi monumentum.

3 *Non in scelus aliquod*] Quanta, quam splendida Christianæ religionis laus! Tanto illustrior est, quod proficiscitur ab hominibus, qui Christum ejusque religionem ejuraverant.

4 *Ad capiendum cibum*] Cœna illa est, quæ Christianis dicebatur Ἀγάπη. Inde D. Paulus I. Ep. ad Corinthios XI. 21. eos arguit, quod promiscuum cibum non sumerent.

5 *Facere desisse*] Summa hæc est Christianorum lex Principibus eorumque magistratibus obsequi, dum salva conscientia licet. Inde Paulus *Siu*, inter imperii Sinensis proceres administrosque sapientissimus, et Christianus, coram Imperatore obtestabatur se caput suum, suam fortunam, suam domum ultro devovere, si quicquam esset in Christianorum doctrina contrarium aut legibus imperii, aut Principum auctoritati. Couplet, *Vida de Candida Hiu*, p. 5.

6 *Ministræ dicebantur*] Frequens postea in veteribus Ecclesiæ monumentis Diaconissarum nomen ; de quibus, si volueris, plura vide apud Henricum Valois ad Sozomenum, libr. VIII. cap. 9.

7 *Pravam et immodicam*] Piam et simplicem Christianorum religionem Plinius superstitionem interpretatur.

8 *Cœpisse celebrari*] Ita et nunc ubi in Sinensem Ecclesiam sævit persecutio, clarissima semper videntur Christianæ fortitudinis et constantiæ exempla, dum alii ignave ad nefanda Deum sacra deficiunt. Viguit, viget, semperque vigebit solennis Jesu Christi sententia, πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί. D. Matth. XX. 16.



adhuc rarissimus emtor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quæ turba hominum emendari possit, si sit pœnitentiæ locus.'

Pronum in clementiam Plinii animum Trajanus majore adhuc indulgentia levavit; rescripsitque:[1] 'Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt:[2]

1 *Rescripsitque*] Plin. Ep. x. 98.

2 *Conquirendi non sunt*] Vere quidem Tertullianus in Apologetic. cap. 2. 'O sententiam necessitate confusam!' Trajanus 'negat inquirendos ut innocentes, et mandat puniendos ut nocentes. Parcit et sævit, dissimulat et animadvertit. Quid temetipsum censura circumvenis? Si damnas, cur non inquiris; si non inquiris, cur non et absolvis?' At cum nobis sæpe in hoc opere de Christianis fuerit agendum, exposita in Supplemento Annal. v. 8. Jesu Christi morte; explicatis sub Nerone Christianorum suppliciis Annal. xv. 44. et in not. ibid. memoratis quoque sub Domitiano Clementis consulis ejusque domus pro Christo certaminibus in Append. Chronol. ad ann. 848. nunc demum explanatis Plinii et Trajani literis, juvat coronidis loco quædam De Christianis nondum satis explorata subjungere.

Multos audire est, qui, curiose incertum an maligne, sæpe interrogent quomodo Vespasianus, Titus, Trajanus, et postea Antoninus Pius, Marcusque Aurelius, Principes optimi, Christianos sint persecuti, quomodo eos non modo in tormentis necari, sed barbaris etiam, quæ neque leges Romanæ nec temporum pudor, nec humanitas, paterentur, suppliciis discruciari permiserint. Generatim quidem responderi potest in Historicis factis quærendum non esse quomodo res factæ sint, sed utrum factæ sint: neminem ferme esse qui ætate sua non viderit multa evenisse quæ vera essent, licet vix verisimilia viderentur: nihil ergo ambigendum esse de Christianorum suppliciis, cum ea aut oculati testes, aut scriptores indubitatæ fidei, prodiderint. Quosdam tamen reperias qui adhuc hæsitent, et intimas hujusce rei causas requirant. Quibus respondere haud difficile est tria esse in mortalium rebus, quæ nullas patiuntur leges, nec ratione, sed impetu, ac proinde ferociter, aguntur; civilia nempe bella, fraterna odia, et contraria sacra: haud mirum ergo esse, si optimi Principes Vespasianus, Titus, Trajanus, Antoninus Pius, Marcusque Aurelius ad dura proruperint, cum ageretur de Christianis, qui Romana sacra damnarent, eaque *æternis ignibus digna pronuntiarent*: ceterum raro sævíisse illos Principes; et si quid actum, id in tanta imperii amplitudine a provinciarum præfectis magistratibusve, ignaro plerumque Principe, aut falsis accusationibus circumvento, fuisse susceptum.

Quod si difficilibus illis ingeniis scrupulus aliquis adhuc hæreat, manet ratio ultima, eaque efficacissima. Homines nempe hominibus, vetera tempora præsentibus suis temporibus æstiment. Hac nostra ætate vivit Sinensium Imperator, imperii magnitudine, opum vi, et, quod præstantius est, pacificis virtutibus Vespasiano, Tito, Trajano, Antonino Pio, Marcoque Aurelio non impar. Quæ hic de *Kien-Long*, optimo Principe, prædico, ea non incertis rumoribus, sed a viris accepi quos novi esse incorruptæ fidei, qui eum sæpe videre, sæpe sunt allocuti, qui multis, abhinc annis in regia urbe Pekinensi ipsoque Imperatoris palatio

si deferantur et arguantur, puniendi sunt: ita tamen, ut, qui negaverit se Christianum esse, idque re ipsa manifestum fuerit, id est, supplicando Diis nostris, quamvis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. Sine auctore vero propositi libelli, nullo crimine locum habere debent. Nam et pessimi exempli, nec nostri sæculi est.' Sic Christiana religio, Neronis ac Domitiani furores ante eluctata, jam in Cæsarum indulgentiam irrepebat, aliquando forte[1] venerationem et fidem obtentura.

Hæc vero cum Trajanus sub anni finem rescriberet, allatum in Urbem 'Decebalum pactis et conventis[2] non stare, arma clam parare, transfugas recipere, munitiones, castella instaurare; vicinas gentes per legatos solicitare: qui superiore in bello pro Romanis steterant vexari, jamque Jazygum terras partim occupari.' Turbidum hominis ingenium, et ad majores, quam barbarum decebat, spes erectum, suspectum ante fecerat Callidromus,[3] olim Laberii Maximi servus, dein captus a Susago[4] in Mœsia, et a Decebalo muneri missus Pacoro,[5] Parthorum regi. Cum pluribus annis in ministerio ejus fuisset, fugerat, et in Nicomediam per-

degunt. Porro optimus ille Princeps, Christianis minime infensus, sinit tamen Christianos, maxime in provinciis, vexari, discruciari; et singulis ferme annis exilio, morte, suppliciis in eos sævitum esse accipimus. Nec solita tantum, sed nova, et moribus Sinensibus vehementer repugnantia, tormenta adhibentur. Mandarinorum multi, neglecta Sinensium legum æquitate et clementia, in Christianos quicquid horridius imaginantur, exercent. Eorum unus nuper visus est, qui puellam Christianam sub planta pedum fustibus cædi jusserit: quod Sinensibus inauditum, vixque credibile est. Quod nunc sub *Kien-Long* viget, idem nostra ætate viguit sub ejus avo *Kang-hi*, maximo Principe, et Christianis amicissimo. Idem viguit sub ejus patre *Yong-Tching*, bono Principe, Christianis infenso, licet quosdam suo in palatio haberet, quos et honore et amicitia prosequeretur. Quid ergo nunc de Romanorum temporibus Principibusque difficultates comminiscimur, cum eadem hac nostra ætate a Sinensibus Imperatoribus fieri aut videmus, aut accipimus? Inde potius sanctitatem Christianæ religionis æstimemus. Obruitur suppliciis, quia innocens est. Maximum enim scelus est, innocentia. Scelera confessione utcumque expiantur. Confessio innocentiæ, irritat; et negare suam innocentiam haud licet. Hæc inter tormenta durat crescitque Christiana religio, quia propitius adest Deus Christianæ religionis auctor, innocentiæ dator et ultor.

1 *Aliquando forte*] Venerationem hanc fidemque obtinuit sub Constantino Magno, A. U. 1065. J. C. 312.

2 *Decebalum pactis et conventis*] Dio, LXVIII. p. 774.

3 *Callidromus*] Plin. Ep. x. 16.

4 *A Susago*] Susagus, dux Decebali, Dacorum regis, cum bella Decebalum inter et Domitianum ferverent.

5 *Pacoro*] Cujus extat nummus cusus anno Æræ Parthicæ ΕΝΤ, id est, 355, J. C. 99.

venerat. Inde, ob forensia jurgia, Plinio notus, ad Trajanum nuper fuerat perductus. Decebalus ob talem cum potentissimo rege necessitudinem violataque pacis fœdera, hostis a senatu judicatus est.[1] Id bellum in se recepit Trajanus, dum Cornelius Palma[2] Arabiam occupare parabat. Validissima tum fuit res militaris: additæ erant legiones duæ, secunda Trajana et tricesima Ulpia: firma et vigil cuncta per castra disciplina: mandatum quoque provinciarum rectoribus, 'quantum fieri posset, milites a signis non esse avocandos.'[3] Et ne in habendis delectibus fraus foret, prodierat Principis præceptum, 'ut si quis filium debilitaret,[4] delectu per bellum indicto, deportaretur.' Insuper rem militi lætissimam curaverat Trajanus, permisso 'ut libere testamenta facerent.'[5] Id primus concesserat Divus Julius Cæsar; sed ad tempus: deinde idem tribuit Divus Titus, et postea Domitianus. Plenissimam hanc indulgentiam in milites contulit Divus Nerva, quam ita amplexus est Trajanus, ut mandatis insertum fuerit caput: 'Cum in notitiam meam prolatum sit, subinde testamenta a commilitonibus relicta proferri, quæ possint in controversiam deduci, si ad diligentiam legum revocentur et observantiam: secutus animi mei integritudinem erga optimos fidelissimosque commilitones, simplicitati eorum consulendum existimavi, ut quoquo modo testati fuissent, rata esset eorum voluntas. Faciant igitur testamenta quoquo modo volent: faciant quomodo poterint, sufficiatque ad bonorum suorum divisionem faciendam nuda voluntas testatoris.'

A. U. 858. J. C. 105. Tiberio Julio Candido II. Aulo Julio Quadrato II. consulibus. Dum expectatur mare, ut Trajanus in Daciam transmitteret, venere Plinii literæ, quæ de protopraxia civitatum,[6] de earum largitionibus,[7] de introitu decurionum,[8] de solennibus

1 *Hostis a senatu judicatus est*] Dio, LXVIII. p. 774.

2 *Cornelius Palma*] Quem consulem vidimus A. U. 852.

3 *Non esse avocandos*] Plin. Ep. x. 31 et 33.

4 *Filium debilitaret*] Digest. Libr. XLIX. Tit. 16. de Re militari, Leg. 4. ex Arrio Menandro, n. 12. Filios debilitabant, ut inhabiles militiæ forent. Illud vitium notat Ammianus Marcellinus, XV. 10. 'Nec eorum (Gallorum) aliquando quisquam, ut in Italia, munus Martium pertimescens pollicem sibi præcidit, quos jocaliter Murcos appellant.'

5 *Testamenta facerent*] Ulpianus in Digest. Libr. XXIX. Tit. 1. de Testamento militis, Leg. I.

6 *De protopraxia civitatum*] Plin. Ep. x. 109. et 110.

7 *Earum largitionibus*] Plin. Ep. x. 111. et 112.

8 *Introitu decurionum*] Plin. Ep. x. 113. et 114.

invitationibus[1] interrogarent. Respondit in summam imperii securitati, civitatum civiumque felicitati consuli; nihil, nisi necesse, novari, ne foret perturbationi locus. Singulaque sigillatim evolvens, voluit 'protopraxiam, seu jus, quo civitates in exigendis pecuniis, quæ ipsis debebantur, ceteris creditoribus anteponebantur, ex lege cujusque civitatis æstimari: si haberent privilegium, quo anteponerentur, custodiri: si vero non habebant, in injuriam privatorum id non dari.' Mandata, quibus prohibebatur largitiones ex publico fieri, confirmavit. At, cum Amisenorum civitas ab Julio Pisone denariorum circiter quadraginta millia,[2] donata ei publice ante viginti annos, repeteret, sanxit 'ne multorum securitas subrueretur, largitiones factas ante aliquantum temporis retractari, atque in irritum vindicari non oportere. Quicquid ergo ex hac causa actum ante viginti annos fuisset, omittendum esse: se enim non minus hominibus cujusque loci, quam pecuniæ publicæ consultum velle.' Decuriones, qui a censoribus legebantur, pro introitu[3] dare pecuniam non jusserat lex Pompeia: sed ii, quos Trajanus super legitimum numerum adjecerat, singula millia denariorum[4] et bina[5] intulerant. Anicius deinde Maximus, proconsul, eos etiam, qui a censoribus legerentur, duntaxat in paucissimis civitatibus, aliud aliis jusserat inferre. Quærebat Plinius an id in omnibus civitatibus exigendum. Respondit Trajanus 'hac de re in universum a Principe non posse statui: at, quod semper tutissimum ratus est, sequendam cujusque civitatis legem: et sane id acturos, ut, cum inviti fuerint decuriones, eorum erogatio ceteris præferretur.'[6] Denique invitationes Plinius ex solennibus causis concesserat. Verebatur tamen ne modum aliquando excedere viderentur, et in quandam ambitiosarum sportularum[7] speciem incidere, cum, qui virilem togam sumebant, vel nuptias faciebant, vel inibant magistratum, vel opus publicum dedicabant, solerent totum

1 *Solennibus invitationibus*] Plin. Ep. x. 117. et 118.

2 *Quadraginta millia*] Denariorum quadraginta millia efficiunt Angl. 1333*l.* 6*s.* 8*d.*

3 *Pro introitu*] Teste Suetonio in Claud. cap. 9. Claudius 'sestertium octogies (Angl. 66,666*l.* 13*s.* 4*d.*) pro introitu novi sacerdotii coactus impendere.'

4 *Singula millia denariorum*] Angl. 33*l.* 6*s.* 8*d.*

5 *Et bina*] Bina millia denariorum, Angl. 66*l.* 13*s.* 4*d.*

6 *Eorum erogatio ceteris præferretur*] Ii, qui erogationem inferent, ceteris præferentur.

7 *Ambitiosarum sportularum*] Sportulis, donisve, favor quærebatur.

senatum, atque etiam ex plebe tantum numerum vocare, ut sæpe mille homines, interdum etiam plures convenirent, binosque denarios[1] vel singulos acciperent. Ne imprudenter egisse argueretur, monuit Principem. Is Plinium, quod ambitionem sportularum timeret, laudavit. Voluisset quidem ut, non per corpora, sed viritim singuli ex notitia ad solennes sportulas contraherentur. Ne quid tamen imperiosius novaret, maxime cum nihil impatientius ferant civitates, quam si gentiles usus mutantur, id Plinio remisit, quem elegerat ut formandis illius provinciæ moribus ipse moderaretur, et ea constitueret, quæ ad perpetuam ejus quietem essent profutura.[2]

Hæc pacis decora belli curis, instante navigationis opportunitate, Trajanus mutavit; vitatisque Alpibus, ne moras objicerent, Adriaticum mare trajecit,[3] et per Illyricum Mœsiam petiit, inde Daciam ingressurus: comitem assumsit Hadrianum, qui eo anno tribunus plebis factus,[4] nunc primæ legioni Minerviæ[5] præpositus est. Hostes jam præoccupaverat terror. Multi, ubi primum audierant Decebalum a senatu hostem fuisse judicatum, bellumque non per duces, sed a Trajano confectum iri, ad eum defecerant. Ipse Decebalus, prioris belli adversa et cœptæ defectionis pericula reputans, de pace egerat:[6] sed jussus 'arma *seque ipsum tradere,'* horruerat; ratusque nihil sibi fœdius posse evenire, belli discrimen adire decrevit. Tum arma copiasque palam paravit; utque vicinas gentes ad bellum traheret, eas acriter monuit,[7] 'si consilia viresque sociarent, certam esse libertatem: si sese disjungerent, imminere servitium: se quidem primum peti, ut, cum foret superatus, ceteri indefensi et bello impares in ruinam impellerentur. His artibus increvisse Romanum imperium: quibus olim succubuisse miserum fuit, nunc succumbere, probrosum.' At vel junctis viribus non satis confisus, dolo ac scelere grassatus est; misitque transfugas,[8] qui Trajanum, dum adhuc erat in Mœsia, interficerent. Is tanto apertius insidiis patebat, quod suapte natura

1 *Binosque denarios*] Angl. 1*s.* 4*d.*
2 *Profutura*] Plin. Ep. x. 117.
3 *Trajecit*] Columm. Trajan. Tab. LIX. Adriaticum mare.
4 *Tribunus plebis factus*] Spartian. in Hadriano, cap. 3.
5 *Primæ legioni Minerviæ*] Quam Domitianus instituerat, et ob distinctionem de nomine Minervæ appellaverat.
6 *De pace egerat*] Dio, LXVIII. p. 774.
7 *Acriter monuit*] Dio, LXVIII. p. 774.
8 *Misitque transfugas*] Dio, LXVIII. p. 775.

et ob disponendi belli necessitatem maxima esset admissionum facilitas. Sed plerumque turbidæ et efferæ sunt sceleris meditationes; quidam earum suspectus, comprehensus est; tormentisque subditus, crimen sociosque patefecit.

Trajanus, suo periculo cautior, hostile solum ingressus est. In ejus venerationem obsequiumque ruit Dacorum pars,[1] quæ ad eum defecerat. Parentes liberosque, manus tendentes, opem fidemque implorantes, benigne excepit: sacrisque operatus,[2] precatus est Deos, ut cœptis annuerent, mala averterent: dissonis Romanorum Dacorumque precibus ingeminata sunt vota. Mox cæsæ materiæ, munitaque castra.[3] Interim hostis,[4] unde bellum ingrueret certus, partim oppida munitionibus valida, partim castella montibus imposita occupat. Nihil tutum fuit adversus Romanorum impetum. Capta oppida, expugnata castella; ingensque fuit hostium strages.[5] Cum tamen ad eorum propugnaculum, triplici muro vallatum,[6] perventum esset; primum substitit impetus: mox difficultate irritata est militis audacia; tresque muros superavit. Necdum certa victoria: ibi enim hostis plurimus; et singula inter valla mutuis cædibus dimicabatur, cum Trajanus supervenit,[7] et suis fiduciam, hostibus terrorem injecit.

At hujus anni prospera non virtus, sed fraus Decebali interturbaverat. Longinum enim,[8] legionis præfectum, qui adversus eum multa strenue gesserat, cuncta ejus arbitrio permittendi specie ad colloquium vocatum, interceperat. Ut id accepit Trajanus, simulque ne feliciter cœpta aut temporum adversis aut hostium dolis perverterentur, exercitum in hyberna mature reduxit.[9] Decebalus autem, cum Longinum de consiliis Trajani publice interrogasset, isque se nihil proditurum respondisset, liberæ eum custodiæ tradidit, honorificeque habuit; ratus se eo, ut pacis vade, uti posse. Legatum itaque Trajano mittit, qui proponat, 'ut sibi terræ ad

1 *Ruit Dacorum pars*] Columm. Trajan. Tab. LX. et LXI.

2 *Sacrisque operatus*] Columm. Trajan. Tab. LXII. ad LXVII.

3 *Munitaque castra*] Columm. Trajan. Tab. LXVIII.

4 *Interim hostis*] Columm. Trajan. Tab. LXIX.

5 *Hostium strages*] Columm. Trajan. Tab. LXX. et LXXI.

6 *Triplici muro vallatum*] Columm. Trajan. Tab. LXXII.

7 *Trajanus supervenit*] Columm. Trajan. Tab. LXXIII.

8 *Longinum enim*] Dio, LXVIII. p. 775.

9 *Mature reduxit*] Inde ut vidimus supra Tab. XXXIII. amphitheatrum quoque exhibet Columm. Trajan. Tab. LXXV.

Danubium usque permittantur, bellique impensæ restituantur, se Longinum redditurum.' Responsum ita moderatus est Trajanus, ut nec Longini virtutem minueret, nec efferret; ne aut nimiis laudibus cresceret redemtionis pretium, aut modicis Longini vita periclitaretur. Decebalus his ambagibus impeditus, hæsit; quid ageret incertus. Interim Longinus, adversis non fractus, secum reputabat quomodo patriæ subveniret: libertique opera venenum nactus, ne qua oriretur suspicio, arctiorve custodia adhiberetur, se Decebalum inter et Trajanum pacis sequestrum fore simulavit. Hac de re supplices componit literas, quas liberto tradit perferendas. Eo profecto, nocte venenum hausit, et repente exanimatus est. Trajanus, quid Longinus meditaretur certus, libertum retinuit. Decebalus, se illusum indignans, libertum repetit, Longini cadaver et decem præterea captivos traditurum se pollicitus. Centurionem, cum Longino captum, misit, qui id significaret. At Trajanus liberti et centurionis salutem, ob imperii dignitatem, Longini sepulturæ antehabendam ratus, neutrum remisit:[1] de captivis haud ita solicitus, quod nihil adversus eos auderet Decebalus, ne majori suorum sanguine rependeretur.

Dum Cæsar ultra Danubium victoriis imperium propagabat, illud ejus auspiciis per Arabiam diffuderat Corn. Palma, Syriæ præses. Eam quidem Cn. Pompeius[2] olim terruerat, non domuerat. Dein Divus Augustus, intelligens quanti interesset regionem odorifera sylvarum fertilitate inclytam, opibus potentem, et commerciis opportunissimam, imperio adjicere, Ælio Gallo,[3] Ægypti præfecto, hanc expeditionem mandavit. Aderat et Nabatæorum favor, qui se adjutores sociosque fore spoponderunt. Nec rex Obodas erat impedimento; cum, uti mos est earum gentium regibus, otio resolutus pacem negligeret, bellum ne attingeret quidem, sed ejus curam Syllæo, procuratori, penitus committeret. Præterea adversus gentes præliorum ignaras et timidas, mercaturæ addictas, ferme decem millia Romanorum peditum et sociorum ex Ægypto transvexerat; ipseque Syllæus quingentorum Judæorum et mille Nabatæorum ductor. At is animo perfidus, et inhians bello parandis opi-

1 *Neutrum remisit*] Dio, LXVIII. p. 776.

2 *Cn. Pompeius*] Pompeius, occupatis Cœlesyria et Damasco, Arabas terruit. Joseph. Antiq. Jud. XIV. 3. Vide et eruditum Belley, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions.* Vol. XXX. p. 309.

3 *Ælio Gallo*] Strabo, XVI. p. 780. XVII. p. 819.

bus, quas, si falleret, solus occuparet, continuis per sex menses erroribus potius, quam itineribus, inter loca aspera, arida, deserta, ita exercitum debilitavit, ut, licet Romani sæpe cum barbaris conflixissent, eorum ad decem millia uno prælio interfecissent, plura oppida cepissent, et suorum septem tantum amisissent, ceteri omnes morbis, laboribus, fame, et itinerum difficultate perierint. Syllæus quidem, dum adhuc amicitiam simulabat, aliorum quoque criminum convictus, in Urbe securi percussus est.[1] Sic expiata est perfidia: deinde tamen ab Augusto, et, qui eum secuti sunt, Principibus, seu incuria, seu desidia, neglecta est Arabia.

At Trajanus, qui non modo opimæ terræ thesauros noverat, sed et dolebat singulis annis magnam Romani auri argentique vim Arabicis odoribus mutari,[2] nec unquam remeare, Indicaque commercia,[3] quorum ingens tum erat celebritas, et, crescente in dies luxu, necessitas, ni possideretur Arabia, tarda esse et parum proficua, Palmæ imperaverat, ut eam, non terrore, sed prudentia occuparet. Quod callide Palma præstitit. Arabiam enim desertam, cujus incolas inopes simul et fortes superare velle et inutile era et periculosum, reliquit. Petrææ vero et Felici Arabiæ victrices Orientis legiones ostentavit: laudavit gentes, 'quæ super ceteros terrarum populos opibus abundarent, iisque ita provide uterentur, ut apud eas privatam rem augentibus præmium, minuentibus pœna[4] esset constituta, nec laborarent nisi regum suorum vitiis, in quorum vitam sæpe erat inquirendum.[5] Penes eas esse ignavum fœdumque servitium excutere, et sese Romano imperio inserere. Se iis sub optimo suo Principe, fortunarum incrementum, et quod in fortuna dulcissimum est, securitatem adpromittere. Adesse legiones, si adnuerint, non in excidium, sed in præsidium paratas.' Placuit imperii novitas et magnificentia:

1 *Securi percussus est*] Strabo, XVI. p. 782.

2 *Arabicis odoribus mutari*] Inde in Arabiam confluebant maximæ Romanorum et Parthorum opes, teste Plinio, VI. 28. 'In universum gentes (Arabum) ditissimæ, ut apud quas maximæ opes Romanorum Parthorumque subsistant, vendentibus quæ e mari aut sylvis capiunt, nihil invicem redimentibus.'

3 *Indicaque commercia*] Plinii ætate jam India, Seres, et Arabicæ margaritæ, minima computatione, millies centena millia sestertium, Angl. 833,333*l.* 6*s.* 8*d.* annis omnibus imperio Romano adimebant. Tanto iis deliciæ et fœminæ constabant. Plin. XII. 18.

4 *Minuentibus pœna*] Strabo, XVI. p. 783.

5 *Erat inquirendum*] Strabo, ibid.

nec victa, sed acquisita est Arabia.[1] Præcipuæ urbes Bostra et Petra,[2] ob mutatos dominos, lætitiam statim testatæ sunt, hocque anno novæ dominationis suæque felicitatis tempora computare instituerunt. Nec minorem, quam Palma promiserat, indulgentiam, expertæ sunt: ea quoque magnificentia adornata fuit Bostra, ut Nova Trajana Bostra nuncuparetur.

Cum ita cresceret imperium, contigit tristissima sex urbium clades:[3] terræ motu collapsis Elæa, Myrina, Pitane, et Cyme in Asia, Opunte in Achaia, et Oritano in Eubœa.

A. U. 859. J. C. 106.—L. Ceionio Commodo Vero, L. Tutio Cereale consulibus. Belli curas ne per hyemem quidem Trajanus omiserat: immo cuncta paraverat, ut ei finem imponeret. Operi maxime instabat, quod nunc vincendæ Daciæ, post retinendæ, plurimum inserviret. Expertus enim priore bello vi frigoris et gelu[4] diffractas esse naves, ortasque inde moras, cum magna laborum et impensarum jactura; ne id incommodi rediret, jusserat pontem in Mœsia[5] strui, qui Daciam Romano imperio annec-

1 *Acquisita est Arabia*] Fuit in Museo Collegii Ludovici Magni nummus ex ære magno, IMP. CAES. NERVAE TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. caput Trajani laureatum. In adversa parte, SPQR OPTIMO PRINCIPI. SC. Stat Arabia stolata, dextra ramum thuris, sinistra calamum odoratum tenet: ad ejus pedes calamus. Infra, ARAB. ADQVIS. id est, 'Arabia adquisita.' Habetur et in Thesauro Regio nummus æreus, laudatus ab Harduino, Selecta opera, p. 750. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙCΑΡ ΤΡΑΙΑΝΟC ΔΑΚΙΚΟC, capite laureato. In adversa parte, Arabiæ effigies, pectore tenus, in sinu gestat infantes duos, geminæ Arabiæ, Felicis ac Petrææ, symbola. Infra, ARABIA, Latinis literis. Partem maximam Arabiæ Felicis, Orientalem nempe, Trajanus ipse postea acquisivit.

2 *Bostra et Petra*] Chronic. Alexandrin. Testes quoque nummi plurimi Bostrenorum quos videre est apud Cl. Pellerin, *Médailles des Peuples et des Villes*, Vol. III. p. 244. et C. Belley, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions*. Vol. XXX. p. 307. et seq. Bostra, urbs Arabiæ, tunc dicta est Nova Trajana Bostra, in nummis ΝΕΑ ΤΡΑΙΑΝΗ ΒΟCΤΡΑ. Nunc dicitur *Bosra*, et ut alii scribunt *Bassora*. Petra autem, urbs Arabiæ Petrææ, nunc appellatur *Krac*.

3 *Sex urbium clades*] Euseb. in Chronic. Elæa, nunc *Jalea;* Myrina, nunc *Sanderlic;* Cyme, nunc *Namourt*. Ceteræ intercidere. Ille terræ motus occupavit ducenta viginti millia passuum ab Oriente in Occidentem. Myrinam et Cymen prostratas vidimus Annal. II. 47.

4 *Vi frigoris et gelu*] Plutarchus, de frigore, cap. 6.

5 *Pontem in Mœsia*] De hoc ponte, ob operis famam, plura sunt dicenda.

Magnificentiam pontis, quo Trajanus Mœsiam Daciamque supra Danubium junxit, maximis laudibus extulit Dio, LXVIII. p. 776. Tantam operis molem se satis admirari non posse exclamat; eamque, licet egregia fuerint cetera Trajani opera, omnibus tamen antecellere contendit. 'Pontis pilæ,'

teret. Architectus fuit Apollodorus, origine Damascenus. Is inquit, 'sunt viginti ex lapide quadrato; quarum singulæ, præter fundamentum, altæ pedes 150. latæ pedes 60. distant inter se intervallo pedum 170. suntque fornicibus devinctæ.' Quantæ 'in tantum opus impensæ!' Quanta difficultas, cum 'magno in fluvio, cujus cursus alio averti non potuit, vorticosa in aqua, limosoque solo pilæ fuerint firmandæ! Adde 'tanto rapidiorem profundioremque Danubium, quanto hoc in loco arctiorem.' Tot tantisque difficultatibus superatis, intelligitur quanta fuerit Trajano animi magnitudo ut tam arduum opus susciperet, tantaque celeritate exequeretur. Cumque Principis animo par esset prudentia, structa in utraque fluminis ripa præsidia, quæ pontem defenderent.

Præter Dionem Historici multi de hoc ponte scripserant: hujus quoque meminerant, teste Tzetze, Chiliad. II. 35. tum Philæterius in libro de Portuum structuris et fundamentorum positionibus, tum Theophilus, proconsul, qui ait Apollodorum, nobilissimum architectum, et pontis opificem, ante jacta fundamenta arculam, quam κιβώτιον vocat, fabricasse longitudine pedum 120. latitudine 80. Firmata nempe tali arcula singularum pilarum fundamenta. Ipse quoque Apollodorus de suo ponte librum scripserat. Utinam illa opera extarent, quibus multa de antiquorum artibus abstrusa et ignota doceremur, quidque de ponte, de quo nunc agimus, sit sentiendum, intelligeremus.

Nonnulla enim occurrit difficultas. Multi existimant totum illum pontem fuisse lapideum; suasque in partes trahunt Dionem, qui γέφυραν λιθίνην dixit. At Columna Trajani, Tab. 74. pilas quidem quadratas quadratoque lapide compactas exhibet, sed fornices, concameratis lignis structos et pilis impositos ostendit. In argenteis quoque Trajani nummis, inscriptis DANVVIVS, videre est Danubium sub fornice ligneo. Itaque existimaverim Apollodorum destinasse pontem illum lapidea concameratione firmare: ipsa Columna Trajani initium concamerationis lapideæ in duabus primis pilis demonstrat. Sed ob instantem belli necessitatem, Apollodorus ligneos fornices astruxit: deinde operibus, quæ in Urbe ædificavit, distractus, prius consilium omisit, probante Principe, qui ea, quæ intenderat, erat assecutus. Mox Hadrianus, Trajano invidus, Apollodoroque infensus, superiorem pontis partem evertit, periculum obtendens, si hostis, expugnatis præsidiis, pontem occuparet, et Mœsiam invaderet. Extabant adhuc pilæ; testeque Dione, nihil esse quod humano ingenio effici non possit comprobabant. Nunc, temporum injuria et fluminis violentia dirutæ, sub aquis delitescunt.

Manent tamen conspicua in utraque Danubii ripa ruinarum vestigia: at ex iis nova oritur difficultas. Arguunt enim non tantam esse fluminis latitudinem, quantam scripsit Dio. Hanc difficultatem movit Cl. Comes Aloysius Ferdinandus Marsigli, tum in Epistola ad R. P. de Montfaucon, tum in egregio opere, cui titulus, 'Danubius Pannonico-Mysicus,' Vol. II. p. 25. et seq. nec tamen ipse loca satis diligenter invisit et explicavit. Illustrissimus Princeps Eugenius, ductus curiositate, quæ Principem Trajani æmulum deceret, pontis vestigia exploravit, et comperit lapideos non fuisse fornices, nec eam, quæ ferebatur, pontis longitudinem. Mensuras admovit Cl. Baro Hingelhard, et inter saxeas moles, quibus arcus incumbebant, reperit intervallum esse 535. *Klaffters*, quod efficit Gallicas hexapedas 520. At vel in his angustiis pons Trajani maximus haberi debet, cum septuplo major sit ponte Regio, qui supra Sequanam prope hortos Regios, *Tuilleries*, Parisiis visitur.

Forte dicet aliquis quomodo in sig-

magnificentiam, Principi insitam, animo ita complexus est, ut, licet postea in Urbe multa exstruxerit, quæ admirationem vicerint, hoc tamen in opere major et præcellentior sit habitus. Pontem quidem in angusto Danubii sinu statuit. Sed quanto *ibi* arctior fluvius, tanto profundior erat et rapidior. Quadrato lapide *positæ* sunt pilæ viginti; singulæ, super fundamentum, altæ pedes cen-

nanda pontis longitudine tantum errare potuerit Dio, vir consularis, scriptor diligens, et qui, cum vicinam Mœsiæ Pannoniam præses rexerit, superstites pilas videre potuit. Proclivis fuit error, vel in scriptore, vel in librariis; et pedes pro palmis architectonicis usurpavere, ut ingeniose observavit Cl. d'Anville, *Mémoire sur le Pont de Trajan.* Ædificia autem et ædificiorum loca palmis, non pedibus, architectos metiri esse solitos constat veteri et continuo architectorum Romanorum usu. Nulla ergo, ut opinor, de hac explicatione suboriri potest difficultas.

Superest itaque ut ex emendato Dione locique ratione proponamus mensuram pontis, quem Trajanus supra Danubium struxit. Viginti fuere pilæ; singulæ, præter fundamentum, altæ pedes Parisienses 100. latæ, pedes 40. distantes inter se, pedibus 115. Arcula, qua singulæ pilæ sunt firmatæ, emendato errore Theophili, qui pedes quoque pro palmis accepit, fuit pedum Parisiensium 80. longitudine, 53. latitudine. Nunc vero meritas laudes obtinet Cl. Perronet, quod pontem Neulliacum, *le pont de Neuilly*, constantem sex arcubus, quorum singuli longi sunt pedes 120. partim in insula, partim in angusto Sequanæ alveo ædificaverit. Plurimas quoque assecutus est Cl. de Labellie, qui Londini, supra Tamesam, pulcherrimum pontem de *Westminster*, prope *Whitehall*, quindecim arcubus insignem, latum pedes 44. longum pedes 1223. per decem annos construxit: suis laudibus ne defraudetur Apollodorus, qui supra Danubium, tam exiguo temporis intervallo pontem longum pedes 3090. struxit. Nec objicere est ligneam fuisse concamerationem. Id postulavit instans belli necessitas, parsque lapide concamerata architecti scientiam consiliumque, si per tempus licuisset, satis comprobat. Neque difficiles erant Romanis lapidei illi fornices, ut satis ostendit pons super Tagum, qui hodieque extat in Hispania oppidoque *Alcantara.* Altus est aqua tenus pedes 200. longus pedes 670. latus pedes 28. constat arcubus sex, qui singuli longi sunt pedes 80. Municipia provinciæ Lusitaniæ, stipe collata, architecto Lacero, id opus perfecerunt, et Trajano dicaverunt A. D. 105. Inscriptiones vide apud Gruterum, p. 162. n. 1. 2. et 3.

Romana industria non in solis fluminibus sese exeruit: major clariorque visa est in mari, cum veteres architecti, certissima perpendiculi scientia usi, sine calce, sine cæmento, pilas ipso in mari firmare, arcusque imponere ausi sunt. Talis est pons nunc appellatus *de Suaço*, apud Gades, *Cadiz.* Longus est pedes 700. latus pedes 15. et amplius: anterides, altæ 15. *estados*, seu pedes 75. Ponti addita alia utilitas, cum simul esset aquæductus, quo aqua *Tempul* a monte *de las Cabras*, prope *Xerez de la Frontera*, per undecim leucas perduceretur. Suarez de Salazar, *Grandezas y Antiquedades de la Isla y Ciudad de Cadiz*, I. 16. et *Emporio de el Orbe*, *Cadiz illustrada por Geronimo de la Concepcion*, p. 318.

Hæc autem observasse haud erit inutile, cum artes exemplis et æmulatione vigeant.

tenos quinquagenos, latæ pedes sexagenos, inter se distantes pedibus centenis septuagenis, et fornicibus concameratæ. Opus, quanquam ante aliquot annos cœptum, nondum erat absolutum. Expeditus tamen transitus: tramissoque exercitu, Cæsar sacrificiis[1] et religionem et lætitiam testatus est.

Huc eum convenere Dacorum legati,[2] pacem orantes: admissi quidem sunt, et auditi. Id tantum sinebat Principis clementia. Nam super ceteras belli causas, regis per superiorem annum flagitia ultionem pœnasque reposcebant. Jussus ergo exercitus[3] progredi. Adventantem Principem, structis aris, excepere milites,[4] in Dacia per hyemem relicti. Dein suovetaurilibus lustratus est exercitus;[5] tribunalque conscendit Trajanus, et milites allocutus,[6] monuit 'adesse laborum finem: hunc annum æternam ipsis gloriam, Romano imperio provinciam additurum. Macti virtute, in disciplina militari perstarent, qua una datum Romanis bellare et vincere.' Mox quid cuique esset gerendum præscripsit.[7] Tum pars in castra commeatus comportat,[8] dum sociorum cohortes et legionum vexilla[9] hostem petunt.

Nacti agros,[10] jam messibus albentes, eos demessuere, ut, cum angustior foret res, furor resideret. Dein valido Dacorum oppido propinquatum,[11] cujus tamen non statim cœpta obsidio, quod prope esset hostium exercitus. Placuit rem potius prælio transigere,[12] consternatis enim clade animis, certa deditio. Utrimque ergo instructæ acies: atroci certamine conflictum est: ex utraque parte multæ primum mortes, plurima vulnera. Præ ceteris tamen enituit unius ex equitibus Romanis virtus. Is, gravi vulnere saucius,[13] ad tabernaculum erat delatus, ut medici fomenta adhiberent: ibi

1 *Cæsar sacrificiis*] Column. Trajan. Tab. LXXIV.

2 *Dacorum legati*] Column. Trajan. Tab. LXXV.

3 *Jussus ergo exercitus*] Column. Trajan. Tab. LXXVI.

4 *Excepere milites*] Column. Trajan. Tab. LXXVII.

5 *Lustratus est exercitus*] Column. Trajan. Tab. LXXVIII.

6 *Milites allocutus*] Column. Trajan. Tab. LXXIX.

7 *Præscripsit*] Column. Trajan. Tab. LXXX.

8 *Commeatus comportat*] Column. Trajan. Tab. LXXXI.

9 *Sociorum cohortes et legionum vexilla*] Column. Trajan. Tab. LXXXII.

10 *Nacti agros*] Column. Trajan. Tab. LXXXIII.

11 *Oppido propinquatum*] Column. Trajan. Tab. LXXXIV.

12 *Prælio transigere*] Column. Trajan. Tab. LXXXV.

13 *Gravi vulnere saucius*] Dio, LXVIII. p. 777.

audiit nullam sibi esse salutis spem: cum adhuc ferveret sanguis, et vires suppeterent, stringit gladium, equum scandit, præcipiti cursu hostem petit, lateque stragem facit, donec exsanguis, sed ultus, corruit exanimus. Tali virtutis portento recrudescit *militis* Romani ardor: undique cadunt Daci; et per calcatas eorum strages in superstitum excidium itum est. Tum in victoris potestatem cessit indefensum oppidum.

Dato tempore, ut fessus miles vires resumeret, cuncta parata, quis præsidium,[1] locorum asperitate et multiplici munimentorum serie et anfractu defensum, expugnaretur. Admotæ scalæ: funditores lapidibus, sagittarii telis eminus hostem aggrediuntur, dum alii muris succedunt, qui cominus feriant. Contra Daci ingentes saxorum moles in oppugnatores devolvunt, eosve sagittis figunt. In longum trahebatur obsidio, ni venisset Trajanus,[2] qui loca inspexit, ac præsentia consilioque animos viresque suffecit. Nihil tamen magis juvit, quam ipsa Dacorum audacia. Muros egressi,[3] in Romanos impetum faciunt: at fortiter excepti, repulsique, cæsi fuere plurimi: ceteri in fugam acti. Occupatum est præsidium; et ne fiat aliquando hosti suffugium, exscinditur.[4] Dein effossi putei,[5] cæsa sylva proxima, collectæque materiæ, ut inter arida petrosaque loca consistere posset exercitus, *nec munimentis* careret.

Inde mota castra, et propinquatum Sarmizegethusæ;[6] læto milite, qui urbem aspiceret tot periculis quæsitam, et tandem in opima spolia cessuram. Venit quidem unus e primoribus Trajano *supplicatum.*[7] Inanes fuere preces; jussusque miles urbem occupare. At, horrendum dictu! furor hostem abripit: in se Romanis sævior, suam ipse urbem[8] regiamque flammis succendit. Vitam quoque suam exosus, commune init mortis consilium; statuiturque in eorum medio vas ingens venenis plenum.[9] Ut quisque furore atrocior, rapidis haustibus mortem ebibit: hanc sibi invicem pro-

1 *Quis præsidium*] Column. Trajan. Tab. LXXXVI.

2 *Venisset Trajanus*] Column. Traj. Tab. LXXXVII.

3 *Muros egressi*] Column. Trajan. Tab. LXXXVIII.

4 *Exscinditur*] Column. Trajan. Tab. LXXXIX.

5 *Effossi putei*] Column. Trajan. Tab. XC.

6 *Sarmizegethusæ*] Column. Trajan. Tab. XCI. De Sarmizegethusa, urbe principe Dacorum, jam dictum supra.

7 *Trajano supplicatum*] Col. Trajan. ibid. n. 291.

8 *Suam ipse urbem*] Col. Traj. Tab. XCII.

9 *Venenis plenum*] Column. Trajan. Tab. XCIII.

pinant, et alacres ministrant. In hoc tamen morientium furore, superstes adhuc pietas; visusque pater morienti filio assidere.[1] Alii, quibus non ita ferox pectus, aut timidius, fuga novis[2] se objectant periclis: dum quidam, quibus nondum insana mens, ad Cæsarem confugiunt,[3] ejusque genua advoluti, vitam veniamque orant. Indignis quidem precibus nihil datum: sed humanitati indulsit Princeps, ne pari suorum scelere vitam finirent.

Interea miles, urbem ingressus, loca flammis et cadaveribus fœda purgabat; quodque supererat commeatuum opumque, collectum. Reperta ingens frumenti copia,[4] quæ viritim militi data. Dein Cæsar, milites allocutus,[5] jubet muniri castra, ut reliquum belli tuto peragatur.

Dum fervent operæ,[6] Dacorum primores Cæsarem adeunt,[7] seque ejus arbitrio permittunt. Is, increpita gentis pertinacia, et regis protervia, qui ante arrogans, nunc ignavus, fugitet, interrogat ubi lateat. Supplicum unus eum cum exercitus reliquiis ultra Sargetiam flumen[8] secessisse monstrat. Postquam Trajanus eos in fidem accepit, ligneo ponte[9] Romanum exercitum trajecit. Daci haud procul tenebant locum,[10] partim lapidibus, partim lignorum strue vallatum: cum defendi non posset, illum deseruere, ne numero obruerentur. Nondum tamen spe exciderant. Et cum Romani castra haud ita valida occupassent, Daci ausi sunt obsidionem tentare.[11] At a cœptis brevi destitere,[12] temeritate in ruinam cedente.

Tum allati sunt Trajano Decebali thesauri.[13] Hos quidem Decebalus, præsentium temporum formidine, averso captivorum

1 *Morienti filio assidere*] Col. Traj. ibid.

2 *Fuga novis*] Column. Trajan. Tab. xciv.

3 *Ad Cæsarem confugiunt*] Column. Trajan. Tab. xcv.

4 *Frumenti copia*] Column. Trajan. Tab. xcvi.

5 *Milites allocutus*] Column. Trajan. Tab. xcvi. et xcvii.

6 *Fervent operæ*] Column. Trajan. Tab. xcviii.

7 *Cæsarem adeunt*] Column. Trajan. Tab. xcix.

8 *Sargetiam flumen*] Column. Trajan. ibid. Sargetia, unus fuit ex amnibus, qui alluebant Sarmizegethusam. Idem esse creditur, qui nunc *Strey* appellatur.

9 *Ligneo ponte*] Column. Traj. Tab. xcix. n. 302.

10 *Tenebant locum*] Column. Trajan. Tab. c.

11 *Obsidionem tentare*] Column. Trajan. Tab. ci.

12 *Destitere*] Column. Trajan. Tab. cii.

13 *Decebali thesauri*] Column. Trajan. Tab. ciii.

opera fluvio,[1] et effossa humo, cum pretiosa vasorum supellectile condiderat: deinde, injecta terra saxisque aggestis, fluvium immiserat. Quicquid autem aquis humentive solo corrumpi poterat, speluncis fuerat abditum. Post captivi, quibus usus erat, ad unum occisi, ut loca ignorarentur. At Bicilis, Decebalo intimus, et secreti particeps, in adversis Dacorum præliis captus, loca aperuit; statimque jussa lecta militum manus ea scrutari, thesaurosque efferre. Militem, imposito munere perfunctum, et complures equos[2] opulentissima præda onustos trahentem, pro tribunali excepit Cæsar, ejusque fidem et diligentiam laudavit.

Interim Decebalus, hactenus vel sua inter pericula interritus, sensit, capta regia, proditis arcanis, ablatisque thesauris, cuncta sibi periisse, nihil spei esse reliquum. At neque animo fractus, nec dejecto vultu, sed firma voce, suos supremum alloquitur. 'Ad quas,' inquit, 'angustias fata res nostras adegerint cernitis: nec me vestri, nec vos, opinor, mei pœnitet. Quod penes nos fuit, præstitimus. Honor, virtus, fortitudo in tuto sunt. Diu victores, tandem vincimur. Id humanæ sortis est; quam quidem queri non possumus, cum, quod plerisque hominum negatum est, longa felicitate frui et æternum nomen parare nobis datum sit. Illam ipsam, quæ nunc imminet, necessitatem momento finire, in nostra manu est. Hæc autem nostra laus semper erit, nunquam serviisse. Addet ætas postera semperque mirabitur Dacorum gentem populo Romano terrarum victori restitisse: victos numerosissimos ejus exercitus; captos cæsosque duces, aquilam signaque rapta: Domitianum, superbissimum Cæsarum, turpem in fugam actum: Romam, Romam ipsam nobis factam esse stipendiariam: annua tributa Domitianum, Divum, ut vocant, Nervam, Trajanum ipsum pependisse. Nunc tandem victor est. At ne ejus quidem victoriæ invideatis. Certior inde promtiorque nostra ultio. Aliena rapienti nihil unquam satis est. Nostro excidio audacior avidiorque Trajanus suum in exitium ruet. Atque utinam non me mea fallat mens, Roma undique raptis opibus jam corrupta, nostris corruptior, citius in luxuriam, in ignominiam, ac tandem, sine ferro, solis suis vitiis, pudendam in ruinam resolvetur. Hæc mea spes; eaque lætus, mortem ultro sponteque obibo. Hoc unum superest, quo me mihi, me vobis approbem.'

1 *Fluvio*] Fluvio Sargetia, de quo modo dictum est. Dio, LXVIII. p. 777.

2 *Complures equos*] Column. Trajan. Tab. CIII.

Hæc locutus, omnibusque in admirationem defixis, genu terram tangit, Romæque ruinam precatus, gladium jugulo imprimit.[1] Multi, exemplum regis secuti, pariter in mortem ruunt. Alii, quibus mollior manus, se interficiendos tradunt.[2] Quidam, quos vitæ amor tenet, pretiosiorem supellectilem, quam secum tulerat Decebalus, tollunt, adeuntque Trajanum,[3] hoc pretio vitam emercaturi. Manebant tamen adhuc Dacici exercitus reliquiæ. Multi in armis palabantur, aut avia in castella sese abdiderant. Ne quid hostile relinqueretur, eques pedesque adversus eos missus.[4] Cito quidem Dacorum equites assecutus est Romanus eques;[5] et jam fessos turbidosque ita intercepit, ut penitus sint deleti. Repertum Decebali cadaver, cujus amputatum caput[6] castris illatum est: tum ostentui habitum, dein Romam perferendum, ingens victoriæ monumentum. Interim a Romano pedite palantes Daci aut cæsi,[7] aut vinclis onusti. Capta et incensa castra.[8] Horum unum pro muris etiam defendere ausi sunt Daci. Temeritas graviore exitio repensa; hæcque fuit suprema Daciæ clades. Propinquante jam hyeme, additum militi donativum, et in hyberna missus est. Remansit Trajanus, per hyemem Daciæ statui consulturus. Hadrianus, qui in hoc bello Principi strenue affuit, muneratus est adamante,[9] quem ipse Trajanus a Nerva acceperat: lætumque fuit imperii augurium.

In Urbe, quam continuæ Principis victoriæ novis in dies gaudiis extulerant, aucta est lætitia, celebrato quinquennali Jovis Capitolini certamine, a Domitiano, ut supra memoravimus,[10] instituto.

1 *Gladium jugulo imprimit*] Columm. Trajan. Tab. CIV. Dio, LXVIII. p. 777.

2 *Interficiendos tradunt*] Col. Trajan. Tab. CV.

3 *Adeuntque Trajanum*] Col. Trajan. ibid. n. 311.

4 *Adversus eos missus*] Col. Trajan. Tab. CVI.

5 *Romanus eques*] Columm. Trajan. Tab. CVII. et CVIII.

6 *Amputatum caput*] Columm. Traj. Tab. CIX.

7 *Aut cæsi*] Columm. Trajan. Tab. CX. et CXI.

8 *Capta et incensa castra*] Columm. Trajan. Tab. CXI. et CXII.

9 *Adamante*] Spartianus in Hadrian. cap. 3. Ea ætate maximum in rebus humanis pretium habebat adamas ob duritiam suam inenarrabilem, simulque ignium victricem naturam, et nunquam incalescentem, teste Plinio, XXXVII. 4. Summum quoque manet apud nos adamanti pretium, licet nec jam inenarrabilem ejus duritiem jactemus, quam ante trecentos annos frangere docuit Ludovicus de Berquen; nec prædicemus ejus naturam victricem ignium, cum compertum nobis sit recentibus experimentis adamantem non modo igne vinci, sed et dissipari, et in pulverem terreum redigi. Præcellit fulgore, cui ars vim addidit.

10 *Supra memoravimus*] In Append. Chronol. ad A. U. 839.

Sexto hoc lustro L. Valerius Pudens,[1] cum esset annorum tredecim, inter poëtas Latinos omnibus sententiis judicum coronatus est. Quod non ob claritatem ingenii, sed propter singularitatem, et proniores ad ingeniosæ pueritiæ admirationem animos, retulerim. Plerumque enim improspera præcox natura: nec portentis, sed studio et arte vigent literæ.

A. U. 860. J. C. 107.—L. Licinio Sura III. C. Sosio Senecione IV. consulibus. Danubius non jam limes, sed pars fuit imperii Romani, quod ad Tyram[2] usque fluvium propagatum est. Trajanus victoriis addiderat[3] plus quam decies centena millia passuum circuitu. Nihil omisit ut tantum terrarum non modo retineretur, sed pro virili portione ad publicas utilitates totum converteret. Prima cura fuit vias aperire[4] et sternere, ut expediti forent militares commeatus, commerciisque pateret regio. Oppida, castra,[5] strui jussa: ob pontis vicinitatem, addita Sernensium *colonia*[6] juris Italici; restituta quoque Sarmizegethusa; ibique condita per M. Scaurianum[7] colonia, quæ victoris nomine Ulpia Trajana nuncupata est. Ne quid autem turbarum unquam oriretur, ex toto orbe Romano arcessiti, qui Daciam incolerent, mores ritusque imperii transfunderent. Veteres coloni, virile ac muliebre secus, cum

1 *L. Valerius Pudens*] Extat in oppido Histonio, nunc *Guasto, in Abruzzo,* Inscriptio apud Gruterum, p. 332. n. 3.

L. VALERIO. L. F.
PVDENTI
HIC. CVM. ESSET. ANNORVM
XIII. ROMAE. CERTAMINE
IOVIS. CAPITOLINI. LVSTRO
SEXTO. CLARITATE. INGENII
CORONATVS. EST. INTER
POETAS. LATINOS. OMNIBVS
SENTENTIIS. IVDICVM.

2 *Ad Tyram*] Tyras fluvius, nunc *the Dniester;* aut ut alii scribunt *Niester.*

3 *Victoriis addiderat*] Daciam, provinciam a Trajano additam, decies centena millia in circuitu tenere docet Eutropius Libr. VIII. Immo additum esse plus quam tredecies centena millia passuum probat eruditus d'Anville, *Mémoires de l'Académie Royale des Inscriptions,* Vol. XXVIII. p. 462.

4 *Vias aperire*] Multæ adhuc extant in Dacia viæ Trajani jussu factæ; hodieque appellantur *Troïan,* corrupto nomine pro *Trajan.* Viarum illarum præcipuæ sunt, quæ a Viminiaco, nunc *Vipalanka,* Tibiscum, nunc *Temesvar,* inde Sarmizegethusam, *Varhel,* ac demum Parolissum, *Lées,* usque protendebatur. Altera ab ostiis ferme Arari fluvii, nunc *the Siret,* ad Tyram, *the Dniester,* ducebat.

5 *Oppida, castra*] Quæ inter eminebant Ulpianum, nunc, ut creditur, *Colosvar,* Castra Trajana, nunc *Ribnik.*

6 *Sernensium colonia*] Digest. Libr. L. Tit. 15. de Censibus, Leg. 1. ex Ulpiano, n. 8. Nomen adhuc retinet, et appellatur *Czernez.* Fuere aliæ coloniæ, Apulum, nunc *Albe-Julie,* et Napoca, nunc *Doboca,* inter *Colosvar* et *Szamosvivar.*

7 *Per M. Scaurianum*] Testis est Inscriptio in ruinis urbis *Warhel* reperta apud Gruterum, p. 6. n. 3.

liberis, armentis, pecudibus,[1] in imperii interiora sunt recepti, ut fera ingenia mitescerent, et procul a patria Romanis sacris legibusque facilius assuescerent.

Cum Trajanus ea providisset, Urbem repetiit.[2] Ante profectus erat Hadrianus, ut præturam iniret;[3] eique datum quadragies sestertium,[4] quo ludos ederet. Longe splendidior fuit Urbis facies ob adventum Augusti. In ejus occursum effusa tota civitas. Ardebat quisque optimum Principem revisere, et propagatori imperii gratulari. Accrevit publica lætitia, cum acta est triumphi pompa,[5] et spectata fortissimæ gentis spolia. Nihil veteris magnificentiæ tramissum: datum plebi congiarium,[6] et pomœrium[7] Urbis amplificatum. Addidit Princeps ludos quos immensa munificentia per

I. O. M.
ROMVLO. PARENTI
MARTI. AVXILIATORI
FELICIBVS. AVSPICIIS
CAESARIS. DIVI. NERVAE
TRAIANI. AVGVSTI
CONDITA. COLONIA
DACICA
SARMIZ
PER
M. SCAVRIANVM
EIVS. PROPR

In aliis Inscriptionibus memoratur COLON. VLPIA TRAIAN. AVG. DACICA SARMIZGETVSA. Fuit quoque juris Italici, ut videre est apud Ulpianum in Digest. loc. cit.

1 *Cum liberis, armentis, pecudibus*] Column. Trajan. Tab. CXIII. et CXIV. De illa columna, magnificentissimo et utilissimo opere, plura hic adderem, ni opportunius foret ea, pro rei dignitate, anno sequenti fusius persequi.

2 *Urbem repetiit*] Ob Principis adventum cusus nummus ex ære maximo in Cimelio Regio: IMP. CAES. NERVAE TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. caput laureatum Trajani. In adversa parte, ADVENTVS AVGVSTI. Imperator in equo cum hasta, Victoria præeunte, duobus militibus subsequentibus. Infra, SPQR OPTIMO PRINCIPI.

3 *Præturam iniret*] Spartianus in Hadriano, cap. 3. Sed erravit in consulibus qui nominantur, 'Sura bis et Serviano consulibus.'

4 *Quadragies sestertium*] Spartianus, ibid. 'Sestertium iterum vicies.' Quod efficit Angl. 33,333*l.* 6*s.* 8*d.*

5 *Triumphi pompa*] In nummo aureo Musei Theupolitani, IMP. TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. caput Trajani. In adversa parte, S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Quadrigæ triumphales aurigante Imperatore, dextra ramum, sinistra scipionem tenente. Quamplurimi autem sunt nummi inscripti, VIC. DAC. aut DAC. CAP. Id est, 'Victoria Dacica, Dacia capta.' DACIA AVGVSTI PROVINCIA. Aliis in nummis, spolia Dacica, aut lugentis Daciæ imagines. Singulos persequi infinitum foret.

6 *Congiarium*] Extant nummi multi ex ære magno inscripti, IMP. CAES. NERVAE TRAIANO AVG. GERM. DAC. P. M. TR. POT. COS. V. P. P. caput Trajani laureatum. In postica parte, CONGIARIVM TERTIVM. SC. imperator congiarium distribuit.

7 *Pomœrium*] Pomœrium a Trajano auctum docuit Inscriptio, quam memorat Nicolaus Galeotti, Soc. Jesu, Francisci Ficoronii Gemmæ antiquæ literatæ, p. 127. Reperta est anno 1735. juxta Cœnobium Monachorum Sancti Stephani supra Cacum. Postea periit.

centum viginti tres dies[1] edidit. In iis cæsa sunt undecim millia ferarum pecudumve, decem millia gladiatorum certavere. Tantorum spectaculorum lætitia aucta visu prorsus novo, et majestate populi Romani dignissimo. Longus erat legatorum ordo, quos reges socii amicive Romam miserant Trajano victorias gratulatum. Hos inter videbantur, qui a barbaris gentibus extremisque Indis[2] missi venerant, fama incertum an timore exciti. Eos omnes Trajanus in senatorum sede ludos spectare voluit. Magnificum et ipsi erant spectaculum.

Mirum, ut efferbuere ingenia: ardent Principis laudibus sese æternitati inserere. Græcis etiam versibus Caninius[3] Dacicum bellum complecti aggressus est. Juvabat virum altissimi ingenii, quodque amplissimis operibus incresceret, latam copiosamque materiam tractare, qua, quanquam in verissimis rebus, fabulæ licentiam æquaret aut superaret. Egregium enim dicere immissa terris nova flumina, novos pontes fluminibus injectos, insessa castris montium abrupta, pulsum regia, pulsum etiam vita regem, nihil desperantem. Super hæc, actos bis triumphos, exultantisque Urbis faciem, qualem ne libertas quidem olim viderat.

Rarissimam temporum felicitatem, ni excelsa fuisset Principi mens, luctuosam fecisset aula. Ibi invisum, quicquid eminet; locoque criminis est, Principis favor. Quisquis apud eum amicitia prævalidus, palam quidem obsequiis, clam calumniis mactatur. Iis sæpe jam petitus Licinius Sura, sua integritate, Principis conscientia, inimicos eluserat. Novæ, ideoque atrociores parabantur. Præsensit Trajanus; illustrique exemplo amicum iis exemtum voluit. Itaque ne vocatus quidem, dimissa custodum corporis turba, Suram adit cœnaturus.[4] Ante oculario ejus medico oculos suos inungendos, tonsori radendam barbam permittit: ita lotus, cum amico recumbens jucundissimam init cœnam. Postero die, cum astarent, qui Suram cruentarum machinationum insimulabant, 'Erratis,' inquit; 'si vitam meam Sura peteret, heri eam eripuisset.' Quo dicto asserta tum Suræ tranquillitas, tum Trajani gloria: qui norat amicitiis fortunam Principum indigere, præci-

1 *Centum viginti tres dies*] Dio, LXVIII. p. 777.

2 *A barbaris gentibus extremisque Indis*] Dio, ibid. Indos maxime exciverat Arabiæ acquisitæ fama, et semper ingens veloxque victoriarum rumor, quem circumferebat commerciorum societas.

3 *Caninius*] Plin. Ep. VIII. 4.

4 *Suram adit cœnaturus*] Dio, LXVIII. p. 777. et 778.

puumque eorum opus esse amicos parare, et, cum paraverint, defendere.

A. U. 861. J. C. 108.—Appio Annio Trebonio Gallo, M. Atilio Metilio Bradua consulibus. Auctis imperii opibus, ad publicam Urbis magnificentiam Trajanus curas vertit. Aderat Apollodorus, quem supra memoravi,[1] vir vastissimi ingenii, et creatrice natura instinctus. Is vidit in foro Romano adultam esse populi Romani gloriam: Divum Julium Cæsarem forum alterum[2] splendidius addidisse, ingens cœpti imperii ornamentum: suum, cum crevisset Urbs, et terrarum orbi jura diceret, Divum Augustum[3] struxisse; ibique clarissimorum virorum statuas, inscriptis eorum laudibus consecrasse, ut aspectu et gloria virtus accenderetur: Divum Nervam, novum a Domitiano inchoatum, sed meliore dignum auctore, non modo absolvisse, sed quicquid etiam anteactum sublimitate operum[4] superasse. Supremum, quod omnia vinceret,[5] et æternum foret Urbis monumentum, animo concepit. Grandioribus ausis utilitatem addidit. Nempe in hoc Urbis splendore fastigium Quirinalis montis centum octo et viginti pedibus adhuc

1 *Supra memoravi*] Cum de ponte, quem supra Danubium Trajanus strui jussit, ageretur ad A. U. 859.

2 *Forum alterum*] Julius Cæsar forum suum cum æde Veneris struxit. Ejus magnificentiam prædicat Plinius, XXXVI. 15. 'Pyramidas regum miramur, cum solum tantum foro exstruendo H-S millies, (Angl. 833,333*l.* 6*s.* 8*d.*) Cæsar Dictator emerit.' Quantum enim in ædificando impendit, qui tantum in emendo solo impenderat. De Galliarum manubiis tantum opus a Cæsare inchoatum et peractum.

3 *Divum Augustum*] Augustus forum suum cum æde Martis Ultoris struxit. Illud inter 'pulcherrima operum, quæ unquam fuere,' annumerat Plinius, loc. cit.

4 *Sublimitate operum*] Manent adhuc egregia rudera ad arcum, quem vocant *de' Pantani*, et ad turrim Comitum, vulgo *Tor de Conti.* Ibi ingentes columnæ, quas vocant *le Colonacce.*

5 *Omnia vinceret*] Quanta magnificentia præniteret forum Trajani expressit Ammianus Marcellinus, XVI. 6. Constantius Imperator Romam visere gestiit. 'Cum ad Trajani forum venisset, singularem sub omni cœlo structuram, ut opinamur, etiam numinum assensione mirabilem, hærebat attonitus per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos.' Nec visendæ tantæ artis ulla erat satietas. Immo teste Cassiodoro, Variarum, VII. 6. 'Trajani forum vel sub assiduitate videre miraculum est.' Partem hujus fori videre est in nummis ex ære magno et auro inscriptis FORVM TRAIANI. Et anno 1700. in Cœnobii Monialium Spiritus Sancti fundamentis plura reperta sunt columnarum fragmenta ex Thebaico lapide candidis guttis intertincto, quæ sane fuerint Trajanæ porticus decora. Ibidem inventæ tessellæ permultæ atque crustæ ex marmore Numidico, vulgo *Giallo antico,* quibus porticus pavimentum stratum fuisse creditur. Vide eruditum Galeotti. Francisci Ficoronii Gemmæ antiquæ litteratæ, p. 109.

assurgebat. Complanato monte, vallibusque æquatis, Apollodorus forum imponere statuit, quod cuncta imperii decora, sacra, leges, ingenia complecteretur; eaque inter emineret Principis majestas, cum æterna suscepti operis memoria.

Ob id delineavit forum, columnarum magnitudine at æneis laquearibus[1] superbum, in cujus atrio Trajanus ære expressus et equo insidens spectaretur. Fori fastigia inauratis equorum atque signorum militarium simulacris circumundique ornata. Insuper tropæis et sejugi triumphali curru, cui superstabat Princeps, victricem laurum tenens et a victoria coronatus, insignis porticus.[2] Hinc juri dicundo basilica erat Ulpia:[3] inde Ulpiæ bibliothecæ,[4] quæ non ingeniorum tantum, sed senatus et imperii monumenta includerent. Ibi quoque attollebatur magnifica templi moles,[5] Deorum qui victorias tutaverant imaginibus præfulgens. Hæc inter sublimis columna marmorea,[6] egregia arte sculpenda, ut cunctos

1 *Æneis laquearibus*] Pausanias in Eliacis, v. 12.

2 *Insignis porticus*] Hæc omnia vide in nummis inscriptis, FORVM TRAIANI.

3 *Basilica erat Ulpia*] Basilicæ Ulpiæ frontem columnis, statuis, equisque insignem exhibent nummi auro et ære magno cusi et inscripti, BASILICA VLPIA SPQR OPTIMO PRINCIPI. Eam quoque memorat P. Victor, de Regionibus Urbis, Reg. VIII. 'Basilica Trajani in foro ejusdem.'

4 *Bibliothecæ*] Dio, LXVIII. p. 778. Vide et Aulum Gellium, XI. 17. qui bibliothecam templi Trajani memorat, in qua erant edicta veterum prætorum. Libros quoque linteos bibliothecæ Ulpiæ commemorat Vopiscus in Aureliano, cap. 1. et 8. Immo et libros elephantinos, id est eboreos, ejusdem bibliothecæ laudat Vopiscus in Tacito, cap. 8. 'Habet bibliotheca Ulpia in Armario sexto librum elephantinum, in quo hoc S. C. perscriptum est: cui Tacitus ipse manu sua subscripsit. Nam diu hæc S. C. quæ ad Principes pertinebant, in libris elephantinis scribebantur.'

5 *Templi moles*] Hujus templi frontem octo columnis et Deum imaginibus præfulgentem videre est in nummis ex ære magno inscriptis, IMP. CAES. NERVAE TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. caput Trajani laureatum. In adversa parte, SPQR OPTIMO PRINCIPI. Templum octo columnarum. *Quibusdam in nummis templum hoc hinc et inde porticibus ornatum.*

6 *Columna marmorea*] De hac columna P. Victor, de Regionibus Urbis, Reg. VIII. 'Forum Trajani cum templo, et equo æneo, et columna cochlide, quæ est alta pedes 128. habetque intus gradus 185. fenestellas 45.' Extat adhuc egregium illud et præstantissimum antiquitatum Romanarum monumentum, cui explicando nos immorari non erit ingratum.

Sublimis adhuc Romæ extat Trajani Columna, alta pedes 128. Intus ad ejus fastigium ascenditur per 185. gradus. Fenestellæ 43. lucem ministrant. Tota columna constat 34. lapidibus marmoreis stupendæ magnitudinis, quorum octo tenet basis, unum torus, viginti tres columna: uno constat capitulum, uno apex, cui olim imposita Trajani statua.

Basis singula latera lata sunt pedes Romanos 21. Pars media basis lata est pedes Romanos 18. uncias 4. cum minutis

Dacici belli eventus repræsentaret; eaque altitudine, quæ intuenti-

duobus. Pes Romanus dividitur in uncias 12. singulæ unciæ dividuntur in minuta 5. In hac parte media basis multa arte sculpta arma, signa, vestes victarum gentium: quæ inter Inscriptio, quam tenent duæ Victoriæ.

SENATVS POPVLVSQ ROMANVS
IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE
TRAIANO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF
MAXIMO. TRIB. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P. P.
AD DECLARANDVM. QVANTAE ALTITVDINIS
MONS. ET. LOCVS TANTIS OPERIBVS SIT EGESTVS.

Male alii supplent *tantis ruderibus*, vel *tantis ex collibus*, ut recte observat eruditus Fabretti, Syntagma de Columna Trajana, p. 52.

Supra quatuor basis angulos stant aquilæ, quarum ductu et auspiciis partæ victoriæ Dacicæ. Aquilæ unguibus tenent lemniscos et quercearum laurearumque coronarum insignia. Hæc basis, præter egregiam sculpturæ artem, præstat adhuc nobili simplicitate, a qua tantum recedimus, dum triumphales nostras bases catenatis distortisque victarum gentium figuris deturpamus.

Supra basim attollitur torus, laurea corona insignis, cujus diameter est pedum 17. Altitudo basis et tori est pedum 21. unciarum undecim, cum minutis duobus. Supra torum assurgit columnæ scapus, constans, ut jam memoravi, 23. marmoreis lapidibus. Ejus diameter est pedum 12½. in inferiore columnæ parte; in superiore parte, pedum 10½. Altitudo autem columnæ cum capitello est pedum 90½. Hæc est columna, quæ insculptos exhibet Romanorum, Dacorum, Sarmatarum exercitus, commeatus, castra, flumina, pontes, sacrificia, prælia, allocutiones, singulos denique utriusque belli Dacici eventus, quos in superiorum annorum historia explicavi. Tanta vero est ars in singulis hujusce columnæ partibus, ut quicquid postea præstantius eo in genere effectum est, inde sit repetitum. Quantum autem ea imitatione profecerint summi pictores Raphael Urbinas, Julius Romanus, Joannes Franciscus Polydorus, Hieronymus Mutianus, Nicolaus Poussin, Carolus le Brun, cum Constantini Magni, Alexandri Magni, aliasque Principum victorias expressere, curiosis omnibus artium amatoribus compertum est. Præter equos et quampluri-mas alias figuras, in hac columna numerare est homines bis mille et quingentos. Figuræ altæ sunt circiter pedes binos, modo paulo plus, modo paulo minus. Nec crescunt, prout excelsior est columna, ut voluit Ciacconius: sed ejusdem sunt altitudinis in infima mediaque columnæ parte. Observatur tantum in suprema parte, quæ capitello subjacet, figuras esse proceriores tribus quatuorve unciis.

Diameter capitelli est pedum 14¼. Apicis diameter est pedum 9⅙.

Apici imposita erat colossea Trajani statua, jam dudum injuria temporum disturbata: sed repertum ad columnæ pedem Trajani caput. Quod cum a vertice ad mentum haberet pedes 2⅓. statuam altam fuisse pedes 21. credidit eruditus Ciacconius: eam nempe statuam per novem capita metiebatur. At cum antiquæ et præstantissimæ statuæ juvenum habeant tantum capita 7½. hominum heroumque, capita 8. Trajani statuam altam fuisse pedes 18. recte definivit eruditus Bellori.

Statuam illam adhuc videre est in nummis ex ære magno, IMP. CAES. NER. TRAIANO OPTIMO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. caput Trajani laureatum. In adversa parte, SENATVS POPVLVSQVE

bus omnibus quantum montis fuisset tantis operibus egestum declararet. Columnæ capiti imposita colossea Trajani statua, dextra orbem gestantis, sinistra innixi hasta. Ceterum cum optimus Princeps in hos usus neque ærarii neque fisci opes impendi vellet, sed contractas tantum ex vendita Dacica præda pecunias destinaret, foro inscriptum: EX MANVBIEIS.[1] Ut placuit, plaudente senatu populoque Romano, operis meditamentum, quale nullum unquam fuit majus excogitatum, statim conquisitæ operæ, asportatæ materiæ; omniumque fuit impetus, ut quod erat artis, fieret celeritatis miraculum.

Interim altioribus curis distinebatur Princeps; certusque ex majestate simul et ex utilitate esse, ut Roma latius mari, quam terris præsideret, huc imperium propagare decreverat. Jam Oceanum, jam mare Mediterraneum tenebant classes Romanæ. Sub ipso Divo Claudio Cæsare, jam agitata, ut ante memoratum est,[2]

ROMANVS. Columna, in cujus apice Trajani statua. Hujus columnæ loco, Sixtus v. Pontifex maximus statuam beati Petri Apostoli ex ære aurato, altam pedes XIII. posuit anno Pontificatus sui IV.

Intra Trajanam columnam elaborata est cochlea, in ipsa crassitudine marmoreorum lapidum; quod soliditati plurimum confert. Cochleæ pars solida habet diametrum pedum 3. Singuli gradus longi sunt pedes 2½. Reliquus columnæ scapus habet pedes 2. cum minutis 4.

Hæc est columna, quæ extat adhuc, per tot sæcula temporum hominumque vim eluctata. Ipsa argumentum est quanta sint veteris Romæ rudera. Nunc enim depresso antiquæ Urbis solo, tota ferme basis lateret, ni undique effossa fuisset terra, ut pateret, et spectantium curiositati consuleretur. Cornelius Meyer, Batavus, mathematicis mechanicisque artibus illustris, audaci, non novo tamen, consilio basim totamque columnam sublimem efferre, ut fundamentum substrueretur, et recenti Urbis solo æquaretur, proposuerat. Quod casus metu incertum an ob impensæ magnitudinem haud præstitum est. Impensas tamen non excessuras nummos Romanos sex mille et trecentos, Angl. 52*l.* 10*s.* spondebat Cornelius Meyer.

Aliud consilium, et nobilissimum, mente conceperat Franciscus I. *Gallorum rex, literarum artiumque amantissimus.* Jamque sub Pontificatu Pauli III. cœperat partes aliquot columnæ ære conflare, ut eam integram in urbe Lutetia Parisiorum erigeret. Illud consilium, aut rei difficultate, aut Principis morte, impeditum. Melioribus auspiciis Ludovicus XIV. quo nullus fuit consiliorum magnitudine et gloria Trajano propior, cum Gallicam picturæ Academiam Romæ fundasset anno 1670. jussit in alumnorum utilitatem egregia antiquitatis monumenta conquiri et repræsentari. Prima cura fuit ut Trajana columna gypso exprimeretur. Inde cum mira artium literarumque utilitate increvit ejus celebritas, et pervulgata exemplaria.

1 *Ex manubieis*] Gellius, XIII. 24. 'In fastigiis fori Trajani simulacra sunt sita circumundique inaurata equorum atque signorum militarium: subscriptumque est, EX MANVBIEIS.'

2 *Ante memoratum est*] In Suppl. Annal. X. 32.

per Rubrum mare commercia; sed tenuia et languida, quod nulla protegerentur classe. Acquisita Arabia, patebat tandem ille sinus,[1] unde per Ægyptum Orientisque regna in immensum opes quondam diffusæ. Ut nunc in Urbem confluerent, Trajanus in mari Rubro classem instituit;[2] æmulatusque quod olim Sesostris[3] Ægypti, Darius[4] Persarum rex tentaverant, Ptolemæusque Philadelphus[5] promoverat, navigabilem alveum fecit; ducta a Babylone ad Heroum oppidum[6] fossa, quæ Nilum Arabicumque Sinum conjunxit. Præter assertam Arabiæ fidem, his operibus hinc imminebat opulentis Æthiopiæ oris, inde Indiam petebat, et, si læderetur commerciorum societas, bellum vastationemque spargere[7] meditabatur. Nunquam latius prudentiusque fuerat imperitatum; ita coalescente Romanæ dominationis vi, ut nihil intus esset divulsum, nihil externum nisi cum suo exitio posset hostilia exercere.

Id tamen ausi Sarmatæ, acti prædæ cupidine. Compressi sunt ab Hadriano,[8] qui tum legatus prætorius Pannoniam regebat; quantoque apud Trajanum favoris cupidior, tanto retinendæ militaris disciplinæ diligentior. Civilia quoque pari studio tractabat; et procuratores, quos non fiscus, sub optimo Principe æquus et modestus, sed privata avaritia ad injurias adigebat, coërcuit.

A. U. 862. J. C. 109.—Aulo Cornelio Palma II. Caio Calvisio Tullo II. consulibus. Annus inquies fuit terræ motibus. Iis tres urbes[9] in Galatia prostratæ. Perterritus quoque extremus Oriens,[10] simul adeo atroci conflictatus fame, ut corporibus humanis vesceretur. Cæsar, haud minus securitati, quam splendori Urbis intentus, hæc mala pro virili portione præcaverat. Nunquam enim

1 *Ille sinus*] Nunc *the Arabian gulf.*

2 *Classem instituit*] Cassiodorus in Chronic.

3 *Sesostris*] Strabo, Libr. XVII. p. 804. Ante Trojanum bellum, id a Sesostride tentatum.

4 *Darius*] Darius primus, Histaspis filius. Strabo, ibid.

5 *Ptolemæusque Philadelphus*] Diodorus Siculus, libr. I. p. 21. Vide et Strabonem loc. cit.

6 *Heroum oppidum*] Heroopolis, nunc *Ageroud*. Fossa in Heroopoliticum sinum, nunc *Suez*, desinebat. Fossa illa a Ptolemæo, IV. 5. Τραιανοῦ ποταμὸς, 'Trajani fluvius,' appellatur. Macrizi quidem, ut videre est apud Golium in Not. ad Alferganum, p. 153. ait canalem illum esse *Hadriani Cæsaris*, forte quod cœpta a Trajano perfecerit. Neque ex auctoritate scriptoris recentioris minuenda Trajani gloria, a Ptolemæo asserta.

7 *Vastationemque spargere*] Cassiodor. in Chronic.

8 *Compressi sunt ab Hadriano*] Spartianus in Hadrian. cap. 3.

9 *Tres urbes*] Euseb. in Chronic.

10 *Extremus Oriens*] Terræ motum, horrendamque illam famem memorat quoque Historia Sinensis Kia-tsee-houei-ki.

major fuit annonæ cura; et, ut ad posteros etiam ejus solicitudo tenderet, reperit firmavitque pistorum collegium.[1] Adversus quoque aut imminentes terræ tremores, aut Tiberis exundationes, quarum vim magnam jam exhauriebat fossa a providentissimo Principe facta, uti supra relatum est,[2] statuit ne domorum altitudo sexaginta pedes[3] superaret. Eadem caritas, assiduæ per provincias largitiones, et continua in urbes beneficia: præcipuo tamen, ut Cæsarem decebat, Italiæ amore, cujus non modo commoditati, sed æternitati[4] in omnibus consultum voluit. Inde non quæsita, sed Principum beneficiis semper devota, erupit omnium veneratio. Undique, quod nunquam ante auditum, propagatori imperii,[5] locupletatori civium acclamabatur. Unus omnium timor, sola querela, quod aliquando fata optimum Principem raperent, nec esset ei soboles, quam sui similem et hæredem institueret.

Circumspiciebat quidem Trajanus virtutes, quas in id fastigium assumeret. At difficilis ob raritatem delectus, et semper anceps, quod privatorum virtutes plerumque in regnantum vitia cedant. Præterea ambitione et cognatione gliscebat Hadrianus, Licinii Suræ amicitia, Plotinæ, Trajani uxoris, favore, oraculis[6] etiam, quæ semper audaciæ promta sunt, subnixus. Aderat et commendatio ob Sabinam,[7] Marcianæ, sororis *Trajani*, neptem, quam uxorem duxerat. Hæsitabat tamen Trajanus, et reformidabat leve et versatile ingenium, Græcorum literis, moribus, artibus impensius, quam Principem decet, deditum, subdolum etiam, quod

1 *Pistorum collegium*] Aurel. Victor, de Cæsaribus.

2 *Supra relatum est*] Ad A. U. 856.

3 *Sexaginta pedes*] Aurel. Victor, in Epitome. Vide et Annal. xv. 43.

4 *Æternitati*] Vide Tabulam æneam apud eruditum Gori, Inscriptiones Antiq. Vol. I. p. 65. in qua indulgentissimus Imperator Trajanus AETERNITATI ITALIAE SVAE prospicit.

5 *Propagatori imperii*] In veteri Inscriptione apud eruditum Fabretti, Syntagma de Column. Trajani, p. 206.

IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE TRAIA
NO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF. MAX
TRIB. POT. XIII. IMP. VI. COS. V. P. P. PROPA
GATORI. ORBIS. TERRARVM. LOCVPLETA
TORI CIVIVM. CVLTORES. LARVM. ET. IMA
GINVM. DOMVS. AVGVSTAE. SOLO. PRIVATO
SVA. PECVNIA. FECERVNT

6 *Oraculis*] Spartian. in Hadrian. cap. 2.

7 *Ob Sabinam*] Sabina matrem habuerat Matidiam, filiam Marcianæ.

vitia et virtutes pariter simularet. Ut curatius introspiceretur, cumque Hadrianus fortiter in bello Dacico se gessisset, et recens Pannoniam egregie rexisset, hoc anno consul suffectus est.[1] In eo magistratu a Sura comperit se esse adoptandum. Ubi primum id vulgari cœptum, semper pronis ad fortunæ reverentiam animis, momento mutata de Hadriano hominum judicia. Ante ejus mores contemtui, artes irrisui habebantur. Statim in immensum crevere virtutes: nulla fuere vitia. Passim ut literarum et elegantiarum arbiter celebratur: canere, psallere, mederi etiam peritus omnium laudibus attollitur: musicus quoque, et geometra, et pictor, et fictor ex ære, vel marmore, proxime Polycletos et Euphranoras,[2] prædicatur. Has inter adulationes, seu virtus, seu invidia fuit, infensi mansere Palma et Celsus.[3] Apollodorus[4] autem, æmulationis expers, sed ingenita nobilitate ingeniorum, cum in ejus operibus aliquid coram Trajano Hadrianus arguisset, libere eum allocutus: ‘ Hæc,’ inquit, ‘ nihil ad te. Tuas cura cucurbitas.’[5] Quæ nunc tanto patientius dissimulavit Hadrianus, quanto acriorem parabat ultionem,[6] si unquam rerum potiretur.

A. U. 863. J. C. 110.—Ser. Salvidienio Orfito, M. Pæducæo Priscino consulibus, Pantheon[7] tactum fulmine; auctaque assiduis tempestatibus et crebris diluviis mala. Exundavit Tiberis, demissioribus ripis alte superfusus: ipse Anio,[8] delicatissimus amnium, fractis raptisque quibus inumbratur, nemoribus, late per agros villas tectaque disjecit, et, super ruinas evectus, pariter divitum apparatus gravemque supellectilem, et ruris instrumenta, armentaque, boves et rectores abstulit. Nec malo vacant, quos excelsioribus terris illa tempestas non deprehendit. Hos premit assiduus imber, et

1 *Consul suffectus est*] Spartian. in Hadrian. cap. 3.

2 *Polycletos et Euphranoras*] Aurel. Victor. in Epitome. Polycletus et Euphranor pingendi fingendique fuere summi artifices. Hic centesima quarta olympiade, ille octogesima septima floruit.

3 *Palma et Celsus*] Spart. in Hadrian. cap. 4.

4 *Apollodorus*] Apollodorus, Damascenus, hac ætate architecturæ laude summus. Præter pontem supra Danubium, Romæ forum Trajani, gymnasium, odeumque condidit. Dio, LXIX. p. 789.

5 *Tuas cura cucurbitas*] Ἄπελθε, καὶ τὰς κολοκύνθας γράφε. Dio, LXIX. p. 789.

6 *Parabat ultionem*] Eum exilio, dein morte multavit Hadrianus. Dio, ibid.

7 *Pantheon*] Euseb. in Chronic. Templum illud, splendidum magnificentiæ Romanæ monumentum, adhuc extat; et, ob rotundam suam formam, *Rotunda* dicitur.

8 *Ipse Anio*] Plin. Ep. VIII. 17. Anio, nunc *Teverone*.

dejecti nubibus turbines. Proruta opera, quassata atque etiam decussa monumenta; multi ejusmodi casibus debilitati, obruti, obtriti; plurima passim damna. Repentinæ calamitati subvenit Trajanus, Italiamque restituit.[1] Egregium quoque subsidium paraverant jam diu coalitæ pax et concordia,[2] earumque comes abundantia. Magna quidem horum temporum laus, sed non ita grata legentibus. Varietate placent bellorum motus et fori strepitus: æqualem et inconcussam felicitatis tranquillitatem fastidimus. At detur virtuti, detur exemplo, sæpe cupita, raro visa, et forte serius reditura, memorari tempora, quibus Princeps et populus mutuo felices, sibi invicem plaudentes, læti acquiescebant: hic in reverentiam, ille in benevolentiam intentus. Præeminebat quidem Princeps, non dignitate tantum, sed, quibus semper certum Principibus placere, liberalitate et affabilitate. Tantaque ejus popularitas, ut nimiam erga omnes comitatem amici culparent. At voces, veteris servitutis retinentes, egregio, et per omnes ætates in Principum documentum ituro, corripuit dicto, 'Talem se Imperatorem esse privatis, quales esse sibi Imperatores privatus optasset.'[3]

Inter eas civilis vitæ delicias, nihil de Principalibus curis remissum. Novis quotidie operibus promovebatur publica commoditas. Jam superi inferique maris portus[4] absolvebantur. Jam præclara arte maximisque impensis strata erat per Pomptinas paludes via:[5] eam produxit Cæsar, et a Benevento Brundusium[6]

1 *Italiamque restituit*] Testis nummus ex ære magno apud Harduinum, Selecta opera, p. 750. IMP. CAES. NERVAE TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. caput Trajani laureatum. In adversa parte, SPQR OPTIMO PRINCIPI. S. C. Infra, REST. ITAL. Id est, *restitutori Italiæ*. Imperator Italiam, cui duo pueri assistunt, procidentem in genu sublevat.

2 *Pax et concordia*] Vide apud eundem Harduinum loc. cit. nummos inscriptos, ΕΙΡΗΝΗ ΚΑΙ ΟΜΟΝΟΙΑ L. ΙΓ. Id est, 'anno tertiodecimo' imperii. Dea geminum cornu copiæ tenet.

3 *Privatus optasset*] Eutropius, in Breviario, libr. VIII.

4 *Superi inferique maris portus*] In mari supero, portus Anconitanus. In mari infero, portus Centumcellarum; de quibus dictum supra ad A. U. 856.

5 *Per Pomptinas paludes via*] Vide jam dicta ad A. U. 856.

6 *A Benevento Brundusium*] Testis Inscriptio apud Gruterum, p. 151. et Andream *della Monica*, Hist. Brundusii, II. 7.

IMP. CAESAR
DIVI NERVAE F
NERVA TRAIANVS
AVG. GER. DAC.
PONT. MAX. TRIB. POT
XIII. IMP. VI. COS. V
P. P
VIAM A BENEVENTO
BRVNDVSIVM
PECVNIA SVA FECIT.

pecunia sua fecit. Ex altera imperii parte iter per feras gentes conditum, quo facile ab usque Pontico mari in Galliam[1] permearetur. Simul Sauromatæ regis[2] amicitia disjunctas terras consociabat, Orientemque Occidenti connectebat. Tantam imperii amplitudinem, consensu validam, Trajanus novo firmavit invento, quo, quantum patitur hominum natura, omnia, numinis instar, intueretur, omnia exaudiret. Admota nempe publici cursus media,[3] ut quicquid ubique e republica gerebatur, ocius nosceretur, et, si quid egeret regimine, statim adesset Principatus vis et auctoritas.

Singulæ imperii partes in optimo statu erant constitutæ. Novum ac mirabile ex ipsis Principis oblectamentis decus accessit. Ingens erat fama immensarum navium, quas Ægypti reges[4] et Hiero,[5]

1 *Pontico mari in Galliam*] Aurel. Victor, de Cæsaribus. Ponticum mare, nunc *the Black Sea*. A Tyra fluvio, *the Niester*, iter illud in Galliam Belgicam ducebat.

2 *Sauromatæ regis*] Sauromatæ II. regis Bospori, aureus nummus extat in Cimelio Regio, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΑΥΡΟΜΑΤΟΥ. Caput Sauromatæ diadematum. In adversa parte, caput Trajani laureatum, HΥ, id est, anno 408. æræ Bospori, cujus initium repetendum est ab autumno A. U. 456. Plures extant hujus regis nummi, quos vide apud eruditum Cary, *Histoire des Rois du Bosphore*, p. 57. et seq.

3 *Publici cursus media*] Aurel. Victor, de Cæsaribus.

4 *Ægypti reges*] Ptolemæus Philadelphus maximas naves ædificare cœperat. Multo majores fecit Ptolemæus Philopator. Harum una fuit ordinum quadraginta, longa ducentos octoginta cubitos; lata octo et triginta; ad acrostolion usque alta octo et quadraginta cubitos; a puppis tabulis ad mare usque; alta cubitos quinquaginta tres. Amplam hujus navis descriptionem vide apud Athenæum, libr. v. p. 203. Monuerim tantum duodecim tabulata in ea nave fuisse singula senum cubitorum. Perperam in Græcis Latinisque libris legitur ἑξακοσίων πηχῶν corrigendum ἓξ πηχῶν. Alteram fecit Philopator, quam Thalamegon vocavit, ut in Nilo navigaret, paulo quidem minorem, sed regio ornatu et gemmis superbam. Ejus longitudo fuit dimidii stadii, seu pedum 312.; latitudo major, quam cubitorum triginta; altitudo cum tabernaculi fastigio parum a quadraginta cubitis aberat. Navem illam fusius describit idem Athenæus, libr. v. p. 204. Ne audias Cl. Deslandes, *Essai sur la Marine des Anciens*, qui ita negligenter Athenæum legit, ut et erret in navium magnitudine, et se deridendum propinet, cum eas naves fabulosas et absurdas contendat, p. 27.

5 *Hiero*] Hiero II. Syracusarum rex, adjutus divino Archimedis ingenio, eximiam navem fecit, quam descripsit Athenæus, libr. v. p. 206. Si quis autem velit cognoscere quantum in re celeberrima et notissima delirare possit vir ingeniosus, adeat Cl. Deslandes, *Essai sur la Marine des Anciens*, p. 29. Verba ipsa referam: 'Il est facile de se convaincre que, si cet ouvrage du Tyran de Syracuse a jamais existé, ce ne pouvoit être qu'un bâtiment sur pilotis, auquel on avoit donné, par affectation, la forme d'une galère.' Quomodo navis

clarissimus Syracusarum rex, quondam struxerant. Trajanus hæc artis miracula, bellis quidem et commerciis minus habilia, sed ob magnificentiæ et artificii commendationem æternum memoranda, renovare atque etiam superare aggressus est: ratus dignum esse populo Romano spectaculum, et interesse ut, qui orbem virtute et armis vicisset, eum quoque ingeniis et artibus vinceret.

Itaque quintodecimo ab Urbe lapide delegit Aricinum lacum,[1] profundissimum, illimi aqua, nec ullis unquam casibus obnoxium. Locus erat non modo viæ Appiæ vicinia, et Numæ regis[2] memoria celeberrimus, sed amœnissimis quoque collibus, semper virentibus sylvis, saluberrima aëris temperie, ditique solo, et lætis prospectibus gratissimus. Ibi aggestis immensis larignarum, pinearum, cupressinarum, quercearumque arborum struibus cum ingentibus ferreorum, æreorum, et roboreorum clavorum acervis, structa est navis,[3] omnium quæ unquam fuere maxima, quingentos sex pedes longa,[4] lata ducentos quinquaginta tres, profunda sexaginta.

illa fuit ædificium fistucationibus palationibusque fundatum, quæ Syracusis Alexandriam remulco deducta est. At tales opiniosissimi viri conjecturas refellere supervacuum est. Erudito lectori gratius erit epigramma de ea nave Græce scriptum, et ab erudito Grotio Latinis versibus redditum legere: 'Trans tra quis in terris rex hæc ingentia fecit, Aut quibus in pontum funibus acta ratis? Qui surrexerunt ex alvo stamina? Navi Quæ faceret clavos, unde securis erat? Verticibus par, Ætna, tuis, aut maxima qualis Innatat Ægæis Cyclas in æquoribus; Tollitur æquatis laterum compagibus? Hoc ne Ad supera admorunt astra Gigantes opus? En lorica triplex mediis in nubibus extat: Inter sidereas ludit aplustre faces. Sic illam vinctam tenet anchora, sicut Abydos Cum Sesto Xerxis juncta labore fuit. Quis molem e terris in aquas devolverit istam, In vastis humeris litera picta docet. Nempe Hieron Hierocle satus, quo Græcia dante Triticeas fruges insulaque omnis habet, Sicelidos terræ rex Doricus: æquore tuta Hæc, Neptune, tuo munere puppis eat.' Si Græca volueris, adi Athenæum, ibid.

1 *Aricinum lacum*] Nunc *the lake of Nemi*, prope Cynthianum oppidum, hodie *Gensano*.

2 *Numæ regis*] In proximum nemus Aricinum, Numa *sine arbitris* velut ad congressum Deæ Egeriæ, se persæpe inferebat, Livius I. 21.

3 *Structa est navis*] In explicanda hac Trajani nave, ducem sequor Franciscum Marchi, testem peritissimum et oculatum, qui, quæ ipse vidit, descripsit in præstantissimo et rarissimo opere, *Della Architettura militare del Capitanio Francesco de' Marchi, Bolognese, Gentilhuomo Romano, libri tre; nelle quali si descrivono li veri modi del fortificare, che si usa a tempi moderni. In Brescia.* 1599. In folio maximo, *Apresso Comino Presegni.* Is, libro II. cap. 82. fol. 42., narrat quomodo adjutus machina quam Guillielmus da Lorena repererat ut aquas intraret, et sub iis diutius commoraretur, ipse Aricinum lacum subiit, navem exploravit, et dimensus est die 15. Julii mensis, anno 1535.

4 *Quingentos——pedes longa*] Marchi, loc. cit. 'La lunghezza, e canne

Prima cura fuit, ut tanta moles validissima compage coagmentaretur; iisque in partibus, unde hiscere potuisset, solidius firmaretur. Tabulæ non junctæ tantum, sed minoribus tabulis,[1] latis circiter quaternos digitos, per striaturas insertis, connexæ, et roboreis clavis constrictæ: cautum tamen est ne clavi foras exirent, ut exterior tabularum facies purior et firmior maneret. Nullus usquam fuit ferreorum clavorum usus, nisi iis in locis, in quibus aut rubigine infici, aut excidere, sine ullo navis damno poterant. Quicquid robustiore et perenni junctura fuit continendum, æreis clavis, quorum multi binos palmos erant longi, transfixum est. Ultra progressa est cura; juvitque, cum duraturum pararetur monumentum, extimam totam navim plumbeis laminis[2] vestire. At, ne quid humidi penetraret, ligneasque materias corrumperet, inter navis tabulas et plumbeas laminas infarctæ lanæ[3] suave olenti pice imbutæ. Præterea, ut pars navis, aquis mergenda, incorruptior foret, licet jam ibi major esset tabularum crassitudo, duplicibus adhuc plumbeis laminis redimita est: in superiore autem dimidia parte simplices tantum fuere. Æreis clavis fixæ erant laminæ; et,

settanta: la larghezza, e canne trenta cinque: l' altezza dal fondo alla cima della sponda, canne otto.' De hac canna ipse Marchi: 'Dieci palmi Romani fanno una canna, la qual misura e in una tavola di marmo in campidoglio. E questa misura adoperano li Romani a misurar li terreni et fabriche.' Palmus autem Romanus ex imagine quam exhibet Cl. Marchi et ex observationibus Cl. Cassini est, ut vulgo loquimur, 8. pollicum Parisiensium et 3. linearum. Navis ergo Trajani longa fuit pedes Parisienses 481. pollices 3. lata pedes 240. pollices 7½. alta pedes 55.

1 *Minoribus tabulis*] Marchi, ibid. 'Le tavole, che facevano il fondo, e sponde, e ogni brasso vi era una commettitura di legno larga quatro dita, che entrava in l' uno, e l' altro tavolone, che teneva serrate le tavole insieme, dove erano di questi cavigli di rovere, che passavano quelli legni, che serravano le tavole insieme, ma non riuscivano fuori delle sponde, le quali sponde erano di tavoloni grossi sei dita, chi piu e chi meno. Quelle da basso erano piu grosse, che quelle di sopra.'

2 *Plumbeis laminis*] Marchi, ibid. 'Le lamme di piombo erano poste sopra in doi modi, da mezzo in giu erano poste doppie, e da mezzo in su sempie, ma sopra poste tutte l' una all' altra, alla congiuntura erano grosse le piastre quanta e la costa d' un cortello ordinario, piu presto piu, che meno, e dette lastre erano di fuori inchiodate nelle sponde della barca.' Supra scripserat Marchi, 'Li chiodi erano posti per di fuori della barca, e quelli tenevano le lastre de piombo—li detti chiodi erano lontani l' uno dall' altro, quanto e la palma della mano.'

3 *Infarctæ lanæ*] Marchi, ibid. 'Quelli chiodi tenevano le lastre de piombo, e la vela di lana coperta d' una mistura, che sapeva di buono e ardeva facilmente: questa era tra le sponde della barca e il piombo.'

ne desideraretur elegantia, clavorum caput in radiantium stellarum[1] formam erat figuratum.

Major in interiore nave, adversus ignium vim arenato et lateribus[2] vestita, magnificentiæ ostentatio. Ibi structa digna Principe, digna Trajano domus; præter opes et decora, quæ tantam semper sequuntur fortunam, vermiculatis pavimentis, æreisque trabibus[3] superba. Improvisum magis, eoque gratius, additum etiam ornamentum. Nempe e summo colle, qui trecentis circiter passibus[4] assurgit Septemtrionem versus, fons erumpit: ejus aqua plumbeis canalibus[5] in navim perducta, ut et commoditati sufficeret, et salientibus jactibus domus areas condecoraret.

Tantum artis prodigium stabat in medio lacu; ad ejus oras nave hinc et inde funibus alligata:[6] nec ullus intumescentium aquarum metus, excavato intra montem per tria passuum millia emissario,[7] quo superfluum exoneraretur. Civium oblectamenta inter Principis delicias non omissa. Ambitu trium circiter millium passuum explanata via,[8] lacui imminens, qua currus ducerentur. Inde per

1 *Radiantium stellarum*] Marchi, ibid. 'Erano certi raggi di rilievi a similitudine d' una stella.'

2 *Arenato et lateribus*] Marchi, ibid. 'Dentro della barca, v' erano delli pavimenti de matoni di tre palmi per ogni verso, e grossi quatro dita, le quali erano rossi come e un carmesino. Ancora cavassimo un pezzo de smalto di un pavimento, il quale era rosso e di bel colore: era cinque palmi per un verso, e otto per l' altro, grosso un mezzo palmo.'

3 *Æreisque trabibus*] Quas vidit Guillielmus da Lorena. Marchi ausus non est domus cameras ingredi, ut ipse testatur, ibid. 'In detta barca si vedevano certe scurita, le quali erano le camere del palazzo, che qui era edificato sopra questa barca, dovai non mi attentai di entrarvi per paura di non mi perdere, e ancora per il pericolo dell' instrumento.'

4 *Trecentis circiter passibus*] Marchi, loc. cit. p. 43. 'Nella ripa di Settentrione cade un' acqua de fontana.—Puo esser dalla cima per sino all' acqua [del lago] 300. passi andanti per linea dritta.'

5 *Plumbeis canalibus*] Reperti quoque sunt in Aricino lacu plumbei canales inscripti TIB. CAESAR AVG. Forte et Tiberius lacum illum incoluit; forte quoque canales illi e veteribus operibus detracti et in novos usus conversi. Vide eruditum Vulpium, Vetus Latium, Vol. VII. p. 136. et seq.

6 *Funibus alligata*] Videntur adhuc anuli, teste Cl. Marchi, ibid. 'Nella ditta ripa vi sono ancora degli anelli di ferro impiombati in grosse pietre, dove si attaccava la detta barca in la ripa verso il Ponente.'

7 *Emissario*] Marchi, ibid. 'Nella ripa del lago e un' apertura che fecero Romani, la qual e posta in la ripa di Ponente, che passa un monte, che camina tre grosse miglia. La bocca dove uscisse l' acqua, e alta da venti palmi, e larga sette. Io non viddi se non il principio, dove l' acqua corre di continuo, alta quattro palmi.'

8 *Explanata via*] Marchi, ibid. 'Le ripe di questo lago sono piane di sopra,

trecentos circiter passus facilis ad lacum descensus;[1] ibique, pari circuitu, multaque platanorum umbra,[2] commoda peditibus deambulatio. Ipso in lacu, magna cymbarum copia, ut quæ quisque longius suspexerat, propius inspiceret, adiretque, et Principis voluptatibus frueretur.[3] Id autem tradidisse operæ pretium fuit, cum nihil summum silere debeat Historia, prudensque rerum non minus ex oblectamentis, quam ex consiliis factisve Principes æstimet.

A. U. 864. J. C. 111.—C. Calpurnio Pisone, M. Vettio Bolano[4] consulibus. Structum in Martio campo amphitheatrum,[5] thermasque[6] Urbi additas, aliaque complura monumenta[7] aut a Principe

con una strada all' intorno, che vi possono andare le carozze, la qual strada puo girare tre miglia a circondare il lago.'

1 *Ad lacum descensus*] Marchi, ibid. 'Per andar a basso vi e una strada stretta, quanto vi puo andare un' huomo, la quale e lastricata di pietre selze, le quali paiono sempre onte di olio; e la detta strada e nella ripa che volta la faccia verso il Levante, e calla dalla cima per insino all' acqua, un terzo de miglio; la qual trova un' altra strada, che e piana, che circonda tutto il lago, tanto appresso l' acqua, che in doi passi si tocca; e la detta strada e un poco piu larga, di quella che calla a basso; e dimostra, che la fusse ancora lei lastricata di pietra selci.'

2 *Platanorum umbra*] Marchi, ibid. 'Questa ripa e piena all' intorno d' alberi li quali sono tanto spessi, che fanno bosco, e sono quasi tutti di sorte, che tengono la verdura tutto l' anno, come sono lauri, ginepri, agrifoli, mertella, elera, e altri simili arbori; ma vi e ancora gran quantita di platani, e ve ne e uno tra gli altri, che e alla bocca dell' apertura del lago, che e cose dignissima da vedere, fa una grande e oscura ombra, la quale fu molto stimata da gli antichi Romani.'

3 *Voluptatibus frueretur*] Frueremur et nos, si quæ supersunt hujus navis, e lacu extraherentur. Sana adhuc et ferme integra navis materiatura. Ligna tantum induere nigrum ebeni colorem, teste Cl. Marchi. Ærei clavi integri sunt et splendidi. Ferrei clavi, qui olim fuere digitalis crassitudinis, nunc vix æquant scriptorium calamum. Adeo eos attrivit rubigo. Aricinus autem lacus, in quo stat hæc navis, olim Cæsarum, nunc est Principum Columnensium. Observaverim splendidis illis Cæsarum oblectamentis adhuc recreari Sinenses Imperatores. Testis F. Attiret, qui egregie descripsit Imperatoriam villam *Yvin ming yven*, inter magnificas multas naves, quas ibi vidit, unam memorat longam tredecim hexapedas, latam quatuor, cui superba domus est imposita.

4 *M. Vettio Bolano*] Horum consulum nomina habet vetus Inscriptio apud Gruterum, p. 163. n. 7. Iis suffecti fuere C. Ursus Servianus II. et L. Fabius Justus, ut videre est in alia veteri Inscriptione apud eundem Gruterum, p. 190. n. 5. et 6.

5 *Amphitheatrum*] Magnum fuisse illud amphitheatrum docet Pausan. v. 12.

6 *Thermasque*] Fuere in III. Urbis regione, teste P. Victore, de Reg. Urb. Mulieres in iis lavisse docet Ms. Codex Vindobonensis.

7 *Complura monumenta*] Gymnasium exercendis corporibus, odeum musicis concertationibus, ab Apollodoro structa memorat Dio, LXIX. p. 789. Trajani porticum in campo Martio recenset P.

in publicos usus, aut a populis in Principis venerationem posita, licet egregia sint pacis et felicitatis ornamenta, haud tamen recensuerim, ne sit similia narrantis satietas. At, ob raritatem et exemplum, silere nefas amicitiæ decora. Exoleverant cruenta illa tempora, quibus præcipua fuit Principatus lex: 'Oderint, dum metuant.' Trajanus, id atrox et Principe indignum ratus, se Titi æmulum ferebat; et ut, quas Titus orbi delicias promiserat, ipse faceret, se optimis amicis accinxerat, quis sine nihil datum Principibus magnum aut suscipere, aut peragere. Gloriam, quam eorum consiliis sibi peperit, cum iis communicatam voluit; eosque consulatibus extulit, honoribus prosecutus est. Vidit læta civitas, non ob fortunam et opes, sed propter virtutem et amicitiam, a Principe honoratos cives, statuasque[1] in ejus foro positas Sosio, Senecioni, Licinio Suræ, et Publicio Celso.

Tanta Principis humanitate malesanos animos ad scelus provocatos referre puderet, ni interesset illustri exemplo comprobare turbida ingenia cæco impetu in novas res ferri, et, quanquam recti studia sæpe prætendant, ambitione tantum et audacia regi. Nunquam id evidentius compertum, quam cum in ea reipublicæ tranquillitate Crassus, Laberius Maximus,[2] aliique conjurationis socii, adversus optimum Principem conspiravere. Ultionem Trajanus, sua conscientia et populi amore tutus, dedignatus est. Senatus, non ex sceleris atrocitate, sed ex Cæsaris indulgentia, in reos animadvertit. Crassus et Laberius Maximus insulis clausi sunt.

Dum illi sese in exitium præcipites agebant, Hadrianus fortunæ validius se inserebat. Sura, quem modo memoravimus, mortalitatem expleverat, Principi ob familiaritatem, populo ob publicæ magnificentiæ studium conditumque gymnasium gratissimus. Ductum ei publicum funus;[3] et in perennem memoriam, thermas, recens structas, Trajanus de ejus nomine Suranas appellavit.[4] Ejus ingenio in componendis Principalibus orationibus usus erat

Victor, de Regionibus Urbis, Reg. IX. Hippodromum quoque, duo stadia longum, habet Pausanias, v. 12. Optimi magnificentissimique Principis veneratio per omnes provincias invaluit. Statuas ei posuere universi Græci, teste Pausania, v. 12. Paucis Eutropius, libr. VIII. Trajanus 'per orbem terrarum Deo proximus nihil non venerationis meruit, *et vivus*, et mortuus.'

1 *Statuasque*] Dio, LXVIII. p. 778.

2 *Crassus, Laberius Maximus*] Dio, LXVIII. p. 778. Spartian. in Hadrian. cap. 5. Eutropius, libr. VIII.

3 *Publicum funus*] Dio, LXVIII. p. 777.

4 *Suranas appellavit*] Victor, de Cæsaribus et in Epitome.

Cæsar,[1] non quod literas aut nesciret, aut despiceret: immo extant vel Græcis in literis[2] ejus ingenii monumenta. At ab ipsa juventute in castris bellisque fuerat innutritus: dein Princeps vetera ducum exempla, militaresque artes, et imperii curas tractare, quam in operosa verborum compositione, vix decora Principi, cum eam primis ab annis non calluerit, tempus terere, satius duxerat. In Suræ locum dictandis orationibus Hadrianum assumsit.[3] Magnum fuit et favoris et familiaritatis incrementum, quod Hadrianus blanditiis, Plotina artibus promoverant.

A. U. 865. J. C. 112.—Trajano Augusto VI. T. Sextio Africano consulibus. Longa imperii Romani pace creverat Parthorum superbia. Jam Pacorus[4] hostilia tentaverat: majora suscepit Chosroës. Hic, mortuo Armeniæ rege, Exedari diadema imponere[5] ausus est. Trajanus, ubi id nuntiatum est, Chosroi scripsit 'nihil adversus majestatem Romanam jusque imperii attentaret. Non Parthorum, sed Romanorum, esse Armeniæ reges dare. Meminerit veterum temporum, et Neronis,[6] qui id auctoritatis recens sibi vindicavit. Non passurum, se Principe, minui imperii decus: neque existimare se Chosroëm bellum, quam pacem, malle. Jam a Ventidio,[7] cum divisa ac turbulenta esset Romana res, superatos esse Parthorum exercitus: nunc integras bello paceque adolevisse Romani imperii vires; totasque externam vim propulsuras. Se esse hortatorem pacis; modo, ni consiliis annuat, ducem belli, læsæque populi Romani majestatis vindicem fore.'

Chosroës, insita Orienti vanitate, longinquas minas irrisit. Id Trajanus, haud illætus, rescivit; quod, parta quæsitæ pacis fama, loca paternis victoriis[8] nobilitata reviseret, Alexandri Magni premeret vestigia, et, post propagatos ultra Danubium imperii

1 *Usus erat Cæsar*] Spartian. in Hadrian. cap. 3.

2 *Græcis in literis*] Epigramma a Trajano scriptum in deformem quendam extat in Anthologia, II. 13. n. 17. Ἀντίον ἠελίου στήσας ῥίνα, καὶ στόμα χάσκων, Δείξεις τὰς ὥρας πᾶσι παρερχομένοις. Quod ita vertit Grotius: 'Si nasum radiis obvertas Solis, et hiscas Ore, videbit ibi qui volet hora quota est.'

3 *Hadrianum assumsit*] Spartian. ibid.

4 *Jam Pacorus*] Quandam Pacori cum Decebalo societatem vidimus supra ad A. U. 857. Secuta hostilia, quorum memoria periit. Id tantum superest, quod habet Suidas in verbo ἐπίκλημα.

5 *Diadema imponere*] Dio, LXVIII. p. 778.

6 *Et Neronis*] Vide supra Annal. XVI. 23. et Suppl. Annal. XVI. 37.

7 *A Ventidio*] Supra Hist. V. 9.

8 *Paternis victoriis*] Vide supra Append. Chronol. ad A. U. 828.

fines, trans Euphraten Tigrimque Romanas aquilas ostentaret: ibi cum immortali sui nomine clarissima patriæ tropæa positurus; Indias etiam, si fata siverint, penetraturus. In has belli cogitationes intentus, incertosque mortalitatis casus reputans, quantum potuit, reipublicæ consuluit; providitque ut maneret Urbis *felicitas*, cœptaque in ejus splendorem opera absolverentur. Par circa provincias Principis caritas; cumque Neratium Priscum, virum quem hæc ætas virtutis laude et juris scientia summum tulit, alloqueretur: 'Commendo tibi,'[1] inquit, 'provincias, si *quid* mihi fataliter contigerit.' Ubi cuncta disposita sunt, vota suscepit[2] Princeps, ut Dii bellum prosperarent; senatus populusque Romanus, ut periculis immunem, salvumque, Principem optimum reducerent; additaque Trajano patri cœlestis religio,[3] ut filium ardua tentantem protegeret. Mox Trajanus profectus est,[4] comitibus Plotina, quæ nunquam a marito discessit, et Matidia, cujus mater, Marciana, soror Principis, expleta mortalitate, Deum honores receperat.[5] Hadrianus, Plotinæ favore,[6] inter legatos ascitus.

Cum id bellum moras pateretur, iter Trajanus ita instituit, ut in provinciarum utilitatem cederet; multasque invisit. *Postquam* Athenas advenit, ei occurrere Parthorum *legati*.[7] *Audita* Trajani

1 *Commendo tibi*] Spartianus in Hadriano cap. 4.

2 *Vota suscepit*] In aureo nummo Cimelii Regii, IMP. CAES. NER. TRAIANO OPTIMO AVG. GER. DAC. caput laureatum Trajani. In adversa parte, P. M. TR. P. COS. VI. P. P. SPQR. VOTA SVSCEPTA. Trajanus togatus cum senatore togato ante aram sacrificat.

3 *Trajano patri cœlestis religio*] Fuit in Museo Collegii Ludovici Magni nummus argenteus IMP. TRAIANO O. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. caput laureatum Trajani. In adversa parte, DIVVS PATER TRAIANVS. Sedet in sella curuli, nudo capite, cum hasta et patera. In alio nummo argenteo ejusdem Musei, IMP. TRAIANO AVG. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. caput Trajani laureatum. In postica parte, DIVI NERVA ET TRAIANVS PAT. capita duo adversa, Nervæ Augusti laureatum, Trajani patris nudum.

4 *Trajanus profectus est*] In nummo aureo Cimelii Regii eadem quæ in superioribus nummis inscriptio. In adversa parte, PROFECTIO AVGVSTI. Trajanus sedet in equo, præeunte uno milite, tribus subsequentibus.

5 *Deum honores receperat*] In nummo aureo Cimelii [illegible]ii, DIVA AVGVSTA MARCIANA. caput Marcianæ. In adversa parte, Aquila, CONSECRATIO. In eodem Cimelio nummus est argenteus, IMP. TRAIAN. AVG. GERM. DAC. COS. VI. P. P. MATIDIA AVG. Matidia, Marcianæ *filia*, dextra pateram tenet. In adversa parte, DIVA AVGVSTA MARCIANA. caput Marcianæ.

6 *Plotinæ favore*] Spartianus in Hadriano cap. 4.

7 *Parthorum legati*] Dio, LXVIII. p. 778.

profectione, Chosroës, territus quod minis facta tam cito instarent, belloque invalidus, hos miserat, 'ut pacem orarent; Armeniam peterent pro Parthamasiride, qui et ipse Pacori erat filius; nuntiarentque Exedarem a se regno esse pulsum, quod adversus Romanos et Parthos æque indigne se gereret.' Legati, oblatis muneribus, regis mandata exposuere. Trajanus munera rejecit; idque tantum respondit: 'Amicitiam operibus, non verbis, æstimari: se Syriam mox petiturum: ibique quid facto opus consulturum.'[1]

Inde Asia, Lycia, locisque finitimis lustratis, flexit ad Ægyptum, ut turbatas res provinciæ mobilis et ventosæ, at ob Urbis annonam cautius coërcendæ, componeret. Ibi hortantibus amicis ut de belli eventu consuleret Heliopolitanum Deum,[2] cujus responsa magna celebritate multisque experimentis comprobata ferebantur; Cæsar, ne qua humana fraus subesset veritus, prius religionis fidem exploravit; misitque signatos codicillos,[3] ad quos sibi rescribi vellet. Deus jussit 'afferri chartam, eamque signari puram, et mitti.' Stupuere plurimum sacerdotes, qui conditionem codicillorum ignorabant. Hos vero maxima cum admiratione Trajanus excepit, quod ipse quoque puris tabulis cum Deo egisset. Tum quasi religionis certus, aliis codicillis conscriptis signatisque consulit 'an Romam, perpetrato bello, rediturus sit.' Vitem centurialem[4] Deus ex donariis, in æde dedicatis, deferri jussit, divisamque in partes sudario condi, ac proinde ferri. Obscurum responsum, nunc prout cuique sensus aut adulatio in varia tractum, post, cum defuncti Trajani ossa Romam relata sunt, ambitiose laudatum, Cæsar ad properandi necessitatem melius convertit. Itaque compositis Ægypti rebus, vicinos adiit Judæos,[5] gentemque inquietem, et fanatico impetu malisque ad atrocia semper pronam, compescuit; ne quid turbarum retro audiret, dum Armeniis Parthisque incumberet.

1 *Consulturum*] Dio, ibid. Hæc omnia omisit Moses Chorenensis: alia memorat de quodam Artase, quæ satis arguunt hujus scriptoris vanitatem, qui ferme totus est in incredibilibus.

2 *Heliopolitanum Deum*] Heliopolis, urbs Ægypti Solis cultu percelebris. Hodieque dicitur *Ain el chams*, id est, oculus Solis. Fertur Jesum Christum hic habitasse, cum in Ægypto commoratus est. Urbs illa non multum distabat a fossa, qua Nilum et mare Rubrum Trajanus conjunxit, ut diximus supra ad A. U. 861.

3 *Signatos codicillos*] Macrobius, Saturnal. I. 23.

4 *Vitem centurialem*] Vitem fuisse insigne centurionum vidimus Annal. I. 23.

5 *Judæos*] Quos Moses Chorenensis, Hist. Armeniac. II. 52. Palæstinos appellat.

Inter has peregrinationes, cum Hadrianus factus esset Athenarum princeps, quem Archontem vocant, mulier bicipitem fœtum[1] Romæ edidit. Aruspicum responso in Tiberim abjectus est. Felicior fuit mater, quæ Alexandriæ uno utero quinque liberos[2] genuit: hos Trajanus suis sumtibus ali jussit. Eadem anno sequenti tres peperit.[3]

A. U. 866. J. C. 113.—L. Publicio Celso II. L. Clodio Priscino consulibus. Asserta per provincias tranquillitate, Trajanus Seleuciam venit.[4] Urbi proximus est mons Casius, quem placuit Cæsari conscendere, non modo ut excelso ejus e cacumine quarta vigilia orientem per tenebras Solem aspiceret,[5] brevique circumactu corporis diem noctemque pariter experiretur; sed major erat religio Jovem, summum loci numen, venerari; eique argentea vasa aliaque Dacicæ victoriæ monumenta sacrare. Pietatem Cæsaris carmine Græco[6] celebravit Hadrianus, quem nulla unquam fugit placendi

1 *Bicipitem fœtum*] Phlegon, de Rebus mirabilib. cap. 25.

2 *Uno utero quinque liberos*] Phlegon, de Rebus mirabilib. cap. 29. In his liberis tres erant masculi, duæ fœminæ. Manet adhuc Ægypto vis illa fœtifica, a veteribus auctoribus sæpe laudata.

3 *Tres peperit*] Phlegon, ibid.

4 *Seleuciam venit*] Dio, LXVIII. p. 778. Hæc est Seleucia Pieria, urbs Syriæ, nunc *Suveidia*. Ob Trajani adventum cusus est nummus, qui fuit olim collegii Ludovici Magni, ex ære minimo, ΑΥΤΟΚΡ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟϹ ΑΡΙϹΤ. ΚΑΙ. ϹΕΒ. capite laureato. In adversa parte, ϹΕΛΕΥΚΕΩΝ ΠΙΕΡΙΑϹ. Id est, 'Seleucensium Syriæ Pieriæ.' Fulmen super mensa positum. Sub mensa, A. In alio nummo e Museo P. de Vitry, ϹΕΛΕΥΚΕΩΝ ΠΙΕΡΙΑϹ. Mons Casius, in quo templum. Infra, ΖΕΥϹ ΚΑϹΙΟϹ. Ad latus Iϑ. hoc est, 'anno XVI.' tribuniciæ potestatis Trajani.

5 *Solem aspiceret*] Plin. v. 22. Casius mons est Syriæ, cujus 'altitudo per directum, IV. M. pass.' Plin. v. 22. Solem ex ejus cacumine quarta vigilia aspici, non intelligendum de initio quartæ vigiliæ, id est, tribus horis ante Solis exortum, sed circa finem quartæ vigiliæ, ut postulat montis altitudo.

6 *Carmine Græco*] Epigramma hac de re ab Hadriano scriptum memorat Suidas, verbo *Κάσιον*. Illud integrum ex Ms. Anthologia edidere Salmasius et Kusterus: *Ζηνὶ τόδ' Αἰνεάδης Κασίῳ Τραϊανὸς ἄγαλμα Κοίρανος ἀνθρώπων, κοιράνῳ ἀθανάτων Ἄνθετο, δοιὰ λιτὰ πολυδαίδαλα, καὶ βοὸς οὔρου Ἀσκητὸν χρυσῷ παμφανόωντι κέρας· Ἔξαιτα προτέρης ἀπὸ ληΐδος, ἦμος ἀτειρὴς Πέρσεν ὑπερθύμους ᾧ ὑπὸ δουρὶ Γέτας. Ἀλλὰ σὺ οἱ καὶ τήνδε, κελαινεφὲς, ἐγγυάλιξον Κρῆναι εὐκλειῶς δῆριν Ἀχαιμενίην· Ὄφρα τοι εἰσορόωντι διάνδιχα θυμὸν ἰαίνῃ Δοιὰ, τὰ μὲν Γετέων σκῦλα, τὰ δ' Ἀρσακίδων.* Quod Latine vertit eruditus Grotius: 'Æneades Casio Trajanus dona Tonanti Rex hominum regi dedicat ista Deum. Uri grande bovis cornu quod bractea levit Aurea, præterea stragula picta duo: De præda donata sibi, quo tempore victrix Ipsius indomitos perculit hasta Getas. At tu, summe pater, da nunc nova rursus ut illi Gloria Mavortis surgat Achæmenii; Ut coram positis spoliis lætere duobus Et Geticæ gentis, gentis et Arsaciæ.'

occasio. Inde Antiochiam[1] ventum. Ingens fuit ob receptum Principem urbis lætitia, sed in Christianorum luctum versa.

Supra memoravimus[2] Trajani literas, quibus Christianos quidem conquiri prohibitum. Id ultro indulserat Cæsaris clementia. At, si deferrentur et arguerentur, eos puniri jussum; quod vetita esset externa quæque religio, ni a senatu probaretur. Ignatius,[3] Antiochiæ Christianorum antistes, difficilia tempora, quibus multi periere, erat elapsus, cum, tandem accusatus, coram Trajano sistere se jussus est. Is pervicax perstitit, seque *Theophorum* dicebat. Trajanus jubet 'eum comprehendi, duci Romam, et in amphitheatro bestiis objici, ut populus Romanus *Theophori* spectaculo fruatur.'

Tum Cæsar ad belli curas conversus est. Eum convenit Arbandes, Abgari Arabum regis[4] filius. Pater, qui regnum magna pecuniæ summa a Pacoro redemerat,[5] fidem exuere nondum audebat: cupidus tamen gratiam apud Trajanum occupandi, filium præmiserat, qui munera et obsequia deferret. Juvenem, vultu formosum,[6] procerum corpore, ætate florentem, multa cum humanitate Cæsar excepit: amice tantum questus, quod ad legationis officia, non in belli et periculorum societatem venisset; ejusque inaurem attrectans, (illi enim gentili de more perforatæ aures, et aureis inauribus onustæ,) 'hanc tibi,'[7] inquit, 'libenter avellerem,

1 *Antiochiam*] Urbem Syriæ principem, nunc *Antakia*.

2 *Supra memoravimus*] Ad A. U. 857.

3 *Ignatius*] Vide Acta Sanctorum ad diem 1. Februarii, et Acta primorum Martyrum sincera et selecta, ab erudito Ruinart edita. Peccant tamen vel sincera illa Acta, dum Ignatium passum esse anno quarto Trajani, vel consulibus Sura et Senecione II. Hæc vitiosa sunt, cum compertum sit A. U. 855. Trajanum non fuisse in Oriente, sed in Dacia, ubi Decebalum profligabat. Inde placuit eruditis viris pro *Sura et Senecione* II. emendare *Sura* III. *et Senecione* IV.; qui quidem annus est U. 860. Favet Joannes Malela, Antiochenus, libr. x. Chronic. Is enim ait Trajanum Antiochiam venisse mense Audynæo, sive Januario, die septima, feria quinta, horta quarta matutina. Κατῆλθεν ὁ βασιλεὺς Τραϊανὸς ἀπὸ Δάφνης, καὶ εἰσῆλθεν ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας... μηνὶ Αὐδυνέῳ, τῷ καὶ Ἰανουαρίῳ, ἑβδόμῃ, ἡμέρᾳ ε΄, ὥρᾳ ἡμερινῇ δ΄. Hoc enim tantum anno 860. dies Januarii septima in feriam quintam incidit sub Trajani principatu. Nihilominus, cum Malela vanus sit et fabulosus scriptor, mors Ignatii in annum 866. fuit differenda, cum Trajanus Antiochiam venit Armenios Parthosque bello petiturus.

4 *Abgari Arabum regis*] Annal. XII. 12. Arabum nomine designatum vidimus regnum Osroënæ, quod Abgarus occupabat.

5 *A Pacoro redemerat*] Suidas in verbo Ὠνητή.

6 *Vultu formosum*] Suidas in verbo Ἄκρα. Dio, LXVIII. p. 780.

7 *Hanc tibi*] Suidas in verbo Ἑλλόβια.

ut in posterum non hoc cultu, sed armis, Romanum Imperatorem adeas.' Alia addidit filio patrique grata.

Dein Antiochia profectus est cum valido exercitu: geminus ei erat,[1] alter legionum, alter sociorum: ingens insuper auxiliarium copia, et multi in numeros relati. Armeniam primum petiit. Ut ejus finibus propinquavit, undique in occursum et venerationem accucurrere vicini satrapæ regesque,[2] sua quisque offerentes munera, et si quid haberent singularitate curiosum ostentantes. Hæc inter visus equus,[3] doctus anteriora genua flectere, cervicemque pedibus ejus, qui prope aderat, submittere. Dum fervent salutantum officia, Parthamasiris, adversus ingruentem belli procellam impotens, literas ad Trajanum misit,[4] usurpato regis nomine. Nihil ei rescriptum. Alteras, omisso regis titulo, scripsit; petiitque ad se mitti Marcum Junium, Cappadociæ præsidem, quicum ageret. Trajanus, Junii filio eum adire jusso, ipse Samosata proficiscitur,[5] quibus citra pugnam potitus est. Mox, ne Parthamasiris nectendo moras illuderet, magnis itineribus indefensam Armeniam penetrat; captisque Satalis,[6] Anchialum, Heniochorum et Machelonum[7] regem, ob fidem, donis remunerat.[8] Deinde occupat Elegiam:[9] ibi munita castra; dataque Parthamasiridi Cæsarem adeundi copia. Is, intra castra pro tribunali admissus, Trajanum salutat. Nihil autem humile, nihil abjectum reputans, dum regnum obtineat, diadema capiti detrahit: eoque ante Cæsaris pedes posito, stat silens et venerabundus, ejus jussa opperiens. Miles, lætus videre Arsacidarum sanguinem, Pacori filium, Chosrois fratre genitum, quasi captivum, ante Romanam majestatem demissum, ingenti clamore Trajanum, ut victo hoste profligatoque bello, imperatorem consalutat. Improviso tumultu horret Parthamasiris, eumque sui injuriam interpretatus, fugam trepidus

1 *Geminus ei erat*] Suidas in verbo Κατάλογος, ex Æliano.

2 *Satrapæ regesque*] Dio, LVIII. p. 779.

3 *Visus equus*] Dio, ibid.

4 *Ad Trajanum misit*] Dio, ibid.

5 *Samosata proficiscitur*] Samosata, urbs Commagenes, Euphrati proxima, nunc *Simsat*.

6 *Satalis*] Satala, urbs Armeniæ minoris, nunc *Arzingan*.

7 *Heniochorum et Machelonum*] Heniochi et Machelones australem oram tenebant maris Pontici, versus Orientem, ubi nunc *Issancti* et *Guria*. Australes magis erant Machelones. De Anchialo vide Arrianum in Periplo Ponti Euxini, p. 7. et 11.

8 *Donis remunerat*] Dio, LXVIII. p. 779.

9 *Occupat Elegiam*] Elegia, urbs Armeniæ in Sophene, nunc *Ilija*, trans Euphratem.

circumspicit. At se undique cinctum milite intuens, hæret, et deprecatur 'ne in tanta turba eloqui cogatur.' In Principis tabernaculum deducitur; regnumque orat: sed nihil impetrat; certo Cæsare Armeniam Romano imperio continere, dum Parthico bello distineretur.

Parthamasiris, nulla regni spe subnixus, iraque infremens, e tabernaculo exilit. Jam castrorum medium attigerat, cum illum arcessi jubet Trajanus,[1] ne, si inauditus recederet, quæ inter ipsos secreto erant agitata, falsis rumoribus corrumperentur. Itaque iterum conscenso tribunali, imperat Parthamasiridem astare, et, prout libitum, causam orare. Is adhuc ira et amissi regni desiderio incensus, in libera prorumpit verba: 'Se non victum, non captum bello; sed sponte venisse, ratum apud Principes inviolatam esse Principum dignitatem: nec se aut nova, aut indebita, petere. Idem a Nerone Tiridati datum; prioresque Cæsares cum Arsacidis non ut hostes, sed ut amicos egisse. Se primum esse delectum, ut per sui contumeliam in regum injurias iretur.' Trajanus, libertate haud offensus, sed dignitatis retinens, respondit: 'Eam esse populi Romani æquitatem, ut neminem lædat: eam majestatem, ut nec reges despiciat, nec timeat. A Pompeio prioribusque Cæsaribus Armeniam regibus permissam, quod id tunc tranquillitati publicæ expediret. Nunc Chosroëm amicitiæ fœdera violasse; datisque Armeniæ regibus, dominationis Romanæ jura perfregisse: ea se sarta tectaque velle; et in posterum non regnum, sed provinciam fore Armeniam. Sibi autem sacra esse gentium jura: nec Parthamasiridem suis in castris captivum attineri. Quo vellet, abiret; Parthique, qui eum erant comitati, sequerentur.' Armenii autem, qui cum eo venerant, cum et ipsi, ut et eorum patria, pars essent imperii Romani, manere jussi sunt. Parthamasiridi additi equites,[2] qui eum ducerent, ne forte, dum discederet, turbas seditionesve machinaretur.

Tum reliqua Armeniæ occupata: vicini reges in fidem recepti, aut, si repugnavere, non præliis, sed auctoritate, in ditionem redacti. Castris præsidiisque munita provincia, Trajanus Edessam profectus est,[3] ut Parthicum bellum disponeret. Abgarus, qui, missis sæpe legatis et muneribus, amicitiam ejus coluerat, ei occurrit;

1 *Arcessi jubet Trajanus*] Dio, LXVIII. p. 780.

2 *Additi equites*] Dio, ibid.

3 *Edessam profectus est*] Dio, ibid. Edessa, urbs princeps Osroënæ, in Mesopotamia, nunc *Orfa*.

obtulitque[1] ducentos quinquaginta equos, totidem loricas atque ephippia, et sexaginta millia telorum. Tres tantum loricas accepit Trajanus; cetera remisit, sponte indulgens Abgaro, quod non prius in ejus conspectum venisset. Inde Edessam ingressus est. Magna fuit ob ejus adventum lætitia. In convivio rex *filium* suum barbarico de more saltantem induxit;[2] regnumque, quod a Parthis, ut jam retuli, redemerat, Principi ultro offerebat, in obsequia eo effusior, quo serior.

Interim Ignatius, quem supra memoravi, Romam pervenerat. Cum instaret ludorum finis, XIII. Kal. Januarias[3] leonibus objectus est, statimque discerptus; mortis, quam hominum vulgus vitæ, avidior. Non in Urbe tantum, sed in provinciis visa eadem Christianorum alacritas; iisque profuit. Puduit enim morte punire, quibus volupe erat mori. Sic restincta, quæ adversus Christianos efferbuerant, odia: cumque Tiberianus,[4] Judææ præses, Trajano scripsisset, se in eos animadvertendo esse imparem, quod sponte lætique supplicia provocarent, Cæsar prudentia simul et clementia inutiles pœnas prohibuit.

A. U. 867. J. C. 114.—Q. Ninnio Hasta, P. Manilio Vopisco consulibus. Præter lætos receptæ Armeniæ nuntios, *forum et columna*,[5] splendidissima artium miracula *recens absoluta*, Urbem gratissimo spectaculo recreabant. Consentientibus senatus et populi votis dedicata sunt; cunctique jactabant 'terram tristi pyramidum mole non obrui, nec peregrinas obeliscorum formas operosius, quam gloriosius, ostentari: tandem Romam suis artibus victoriarumque suarum monumentis splendescere, et supra quicquid prisca ætas prædicavit evehi.' Iterum Principi additum est *Optimi* cognomentum;[6] rara et majore, quam ante, gloria; cum præproperæ laudis toties populos pœnituerit, puduerit Principes. At idem erat post

1 *Obtulitque*] Suidas in verbis Αὔγαρος et Ἔδεσσα.

2 *Saltantem induxit*] Dio, LXVIII. p. 780.

3 XIII. *Kal. Januarias*] Die 20. Decembris, quo festa Sigillaria celebrabantur. Acta S. Ignatii. In veteri Kalendario Herwartiano, XIII. KAL. IANVARII MVNVS KANDIDA; id est, 'munus candidatorum.' De Sigillariis autem festis vide Macrob. Saturnal. I. 10.

4 *Cumque Tiberianus*] Suidas in verbo Τραϊανός.

5 *Forum et columna*] De quibus dictum supra ad A. U. 861. cum inchoata sunt opera.

6 *Optimi cognomentum*] Dio, LXVIII. p. 781. Huc quoque spectat nummus ex ære magno, qui fuit in Museo Collegii Ludovici Magni, IMP. CAES. NER. TRAIANO OPTIMO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. caput Trajani laureatum. In adversa parte, SENATVS

tot annos Urbis sensus, eadem Principis virtus. Pace belloque inclaruerat. Novum decus ex Parthicis rebus accessit.

Dum bellum per superiorem annum in Armenia flagrabat, Mannus, Arabiæ, quæ Mesopotamiæ contermina est, rex,[1] et Sporaces, Anthemusiæ phylarchus[2] (id ibi nomen regibus), seu fide in Parthos, seu ob incertos belli eventus ambigui, neque Trajanum adierant, neque legatos miserant. Eorum quoque exemplum secutus Manisarus,[3] licet intestinis cum Chosroë dissidiis Armeniam Mesopotamiamque occupasset, tuncque eos inter vigerent hostilia. At ubi audiere Cæsarem, Mesopotamiam ingressum, ad Abgarum venisse, statim misere, qui de pace componerent. Manisarus se regionibus, quas occupaverat, cessurum pollicebatur. Respondit Cæsar: 'Veniret ipse, fidemque factis,[4] non verbis, probaret.' Suspectus magis Mannus, quod copias Mebarsapi, Adiabenes regi, subministrasset. At Cæsaris diligentia fuerant interceptæ. Ne aut societate, aut tempore, valescerent, visum satius esse eorum obsequia imperare, quam expectare. Itaque Trajanus, suadente Abgaro, Anthemusiam profectus est, ut inde Adiabenen peteret.

Certus autem longinqua in primis bella imperatoris exemplo et militari disciplina profligari, pedes cum exercitu incedebat, tranabatque flumina: militari victu, lardo, caseo, posca[5] contentus. Si movenda erant castra, ipse instruere exercitum, ordinesque pro locorum temporumque varietate disponere: identidem falsos etiam rumores spargere,[6] ut vigil et impiger miles bellum caute capes-

POPVLVSQVE ROMANVS. Dea stans tenet dextra caduceum, sinistra cornu copiæ. Alios ejusmodi nummos cum iisdem inscriptionibus habet Museum Theupolitanum, in quibus columna Trajana, vel Victoria, vel tropæa exhibentur.

1 *Mannus, Arabiæ rex*] Dio, LXVIII. p. 780. Parti Arabiæ desertæ imperabat Mannus, quæ etiam trans Euphratem erat diffusa.

2 *Sporaces, Anthemusiæ phylarchus*] Dio, ibid. Anthemusia regio fuit Mesopotamiæ; ibi urbs Anthemusias, inter Edessam, nunc *Orfa*, et Batnas Sarugi, nunc *Serug*.

3 *Manisarus*] Dio, LXVIII. p. 781. Ad hunc regem eruditus Corsinus nummum argenteum retulit; at incertæ est scripturæ: immo non Minisari nomen, sed ΑΔΙΝΝΙΓΑΟ potius legitur. Vide eruditum Frœlich, Dubia de Minnisari aliorumque Armeniæ regum nummis, p. 5. et seq.

4 *Fidemque factis*] Dio, ibid.

5 *Caseo, posca*] Spartianus in Hadrian. cap. 10. Posca, potio erat aqua et aceto mista.

6 *Falsos etiam rumores spargere*] Suidas, in verbo Προσκόπων. Dio, LXVIII. p. 781.

seret. Cum in exercitu nihil esset vagum, nihil solutum, ducesque Cæsaris exempla æmularentur, quicquid armis petitum, cessit. Capta Anthemusia: acquisita Arabia.[1] Lusius Quietus, bello Dacico clarus,[2] Singara[3] aliaque Mesopotamiæ oppida citra pugnam potitus est. Nisibin,[4] urbem validissimam, Batnasque[5] Cæsar expugnavit. Tum cum ultra Euphratem victrices aquilæ dominarentur, regnaque, Parthici, imperii decora et auxilia, parere essent coacta, Cæsar *Parthicus* appellatus est.[6] Gloriosum quidem nomen; sed ei lætum magis[7] nomen *Optimi*: quod in bello bellicæ tantum virtutis laus erat: in hoc autem, præter animi morumque commendationem, se amare populum, se a populo redamari audiebat.

A. U. 868. J. C. 115.—L. Vipstanio Messala, M. Vergiliano Pedone consulibus. In Oriente summa erat Romani nominis claritas; in Urbe abundantia et opes. Has amplificaverant Dacia et Pannonia,[8] metallorum feraces. Auro, argento, æreque effossis, quod fuit monetæ,[9] aut usu detritum, aut fraude adulteratum, aut

1 *Acquisita Arabia*] Arabiam Petræam, partemque Arabiæ Felicis acquisitam, duce Corn. Palma, vidimus supra ad A. U. 858. Partem Orientatem Arabiæ Felicis nunc acquisivit Trajanus.

2 *Bello Dacico clarus*] Vide supra ad A. U. 855.

3 *Singara*] Dio, LXVIII. p. 781. Singara, urbs Mesopotamiæ, nunc *Sinjar*.

4 *Nisibin*] Dio, ibid. Nisibis, urbs Mesopotamiæ, nunc *Nesibin*, vel *Nesbin*.

5 *Batnasque*] Dio, LXVIII. p. 781. Βάτνας. Male interpres Latinus vertit, 'captis Batanis.' Trans Tigrin fuere Batana. Batnæ autem, urbs Mesopotamiæ, nunc *Serug*.

6 *Parthicus appellatus est*] Dio, ibid. Tum frequens fuit in nummis *Parthici* cognomen. Sit satis unum ex argento appellasse, qui fuit in Museo Collegii Ludovici Magni, IMP. CAES. NER. TRAIANO OPTIMO AVG. GER. DAC. caput laureatum Trajani. In adversa parte, PARTHICO P. M. TR. P. COS. VI. P. P. SPQR. *Dea stat cum hasta*, dextra radium tenet, quo orbem terrarum ad pedes positum ostendit, PROVID. id est, 'Providentia' Cæsaris.

7 *Lætum magis*] Dio, ibid.

8 *Dacia et Pannonia*] In utraque provincia sunt adhuc uberrimæ fodinæ.

9 *Quod fuit monetæ*] Dio, LXVIII. p. 777. Huc quoque pertinet nummus ex ære minimo, qui fuit in Museo Collegii Ludovici Magni, IMP. TRAIANO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. caput laureatum Trajani. In adversa parte, METALLI VLPIANI PANN. Id est, 'Pannonici.' Dea Moneta, cum libra et cornu copiæ. Insignes autem sunt tres bases, Romæ ad S. Clementem effossæ anno J. C. 1585.

HERCVLI AVG
SACR
FELIX AVG. LIB. OPTIO ET
EXACTOR AVRI ARG. AERIS

avaritia clausum, reparatum est; versæque in victoriarum monumenta divitiæ, Cæsaris virtute et providentia partæ. Talibus monumentis materiam continuo suppeditabant, qui ex Oriente afferebantur, nuntii. Simul crescebat amor Principis, qui tot se objectabat periculis. In Urbe, in provinciis vota pro ejus incolumitate suscepta; et, ut præsens semper foret pater patriæ, passim positæ ejus imagines.

Ipse interim per domitas gentes Romanam dominationem firma-

ITEM SIGNAT. SVPPOSTORES
MALLIATORES MONETAE CAESARIS. N.
SIGNATORES SVPPOSTORES MALLIATORES
PVDENS LIB. SATYRVS LIB. GORGIAS LIB.

Cetera nomina omiserim, quæ vide apud Gruterum, *Inscript. Antiq.* p. 170. In fine scriptum:

D. V. K. FEB. D. S. D. D.
L. VIPSTANIO MESSALLA. M. VERGILIANO PEDONE COS.

In altera basi,

FORTVNAE AVG.
SACR
OFFICINATORES MONETAE
AVRARIAE ARGENTARIAE
CAESAR. N.
FELIX LIB. OPTIO ET EXACTOR
AVRI ARGENTI AERIS
VRBANVS LIB. OPTIO
LACHES LIB. OFF
LYSIMACHVS LIB. ITEM
OPTATVS LIB. IT.
STOLVS LIB. IT.

Cetera nomina vide apud Gruterum, p. 74. Sed multa in hac Inscriptione describenda peccavit, quæ ex Mss. Sirmondi schedis emendavi. Et ne ulla sit difficultas, adverte: Laches lib. off. id est, 'Laches libertus officinator.' Lysimachus libertus item, id est, 'officinator;' et sic de ceteris.

In fine,

D. S. D. D. DEDICAT. V. KAL. FEBR.
L. VIPSTANIO MESSALLA M. VERGILIANO PEDONE COS.

In tertia basi,

APOLLINI AVG. SAC.
FELIX AVG. LIB. OPTIO ET EXACTOR
AVRI. ARGENTI. ET AERIS

tum ibat. Parthamasiride occiso,[1] Armenia et Mesopotamia[2] in potestatem populi Romani redactis, capta et Parthia:[3] Cardueni[4] Medi, Mardique[5] occupati: Iberorum, Sauromatarum, Bosporanorum, Arabum, Osroënorum, Colchorumque reges in fidem accepti.[6] Et ut Oriens intelligeret Romanos non capere terras, sed injurias ulcisci, et pacatum orbem velle, Trajanus teras victoriis partas diribuit, regesque imposuit, qui auctoritate populi Romani jura populis dicerent. Magnifica semper scena, lætissima fuit, cum in hostili ante solo, procul a priscis imperii finibus, præsente victore exercitu, visi sunt tres reges,[7] nudo capite supplices, Cæsaris jussa excipere: iis obsequia professis assignata regna.

Tum placuit Cæsari eorum fidem absentia experiri: simul mens erat imperii rebus propius consulere, ut, cum cuncta forent tuta, bello Parthico finem audentior imponeret. Itaque destinavit

Quartam basim Victoriæ inscriptam, sed mutilam, videre est apud eruditum Muratori, Inscript. Antiq. p. 319. n. 2.

1 *Parthamasiride occiso*] Corrupte Eutropius, Libr. VIII. *Pharnace Syrio occiso.*

2 *Armenia et Mesopotamia*] Breviter Eutropius, Libr. VIII. 'Armeniam, quam occupaverant Parthi, recepit.' At egregius, et hac in re præstantissimus est nummus ex ære magno, qui fuit in Museo Collegii Ludovici Magni, IMP. CAES. NER. TRAIANO OPTIMO AVG. GER. DAC. PARTHICO P. M. TR. P. COS. VI. P. P. caput Trajani laureatum. ARMENIA ET MESOPOTAMIA IN POTESTATEM P. R. REDACTAE S. C. Stat Imperator paludatus, dextra hastam, sinistra scipionem Imperatorium tenet, inter amnes duos humi jacentes, Tigrin et Euphratem, intermediamque provinciam, jacentem quoque, et manus post terga revinctam, cui in capite tiara Armena est.

3 *Capta et Parthia*] In aureo nummo Cimelii Regii, IMP. CAES. NER. TRAIAN. OPTIM. AVG. GER. DAC. PARTHICO. caput Trajani laureatum. In adversa parte, P. M. TR. P. COS. VI. P. P. SPQR. Tropæum cum captivis. Infra, PARTHIA CAPTA.

4 *Cardueni*] Rufus Festus, in Breviario. Nunc *Kurdistan.* A Plinio, v. 15. appellantur *Corduent.*

5 *Medi, Mardique*] Corrupte Eutropius, Libr. VIII. 'Marchomedos occupavit.' Medi, nunc *Aderbigian*, Mardi. nunc *Deilem*, mari Caspio proximi.

6 *In fidem accepti*] Eutropius, Libr. VIII. Idem habet Cassiodorus in Chronico; sed perperam id retulit sub consulibus, Commodo et Cereali.

7 *Visi sunt tres reges*] Qua de re cusus nummus ex ære magno, qui fuit in Museo Collegii Ludovici Magni, IMP. CAES. NER. TRAIANO OPTIMO AVG. GER. DAC. PARTHICO P. M. TR. P. COS. VI. P. P. caput laureatum Trajani. In adversa parte, REGNA ADSIGNATA. Trajanus in tribunali sedet laureatus, cui astant Romani duo. Ante tribunal stant tres reges, quibus regna a Trajano assignantur. Infra, SC. Qui sint tres illi reges, quibus assignata regna, haud ita compertum est. Julianum quidem Apsilis regem a Trajano esse datum memorat Arrianus, in Periplo Ponti Euxini, p. 12. Rex quoque Albanis datus, Eutrop. Libr. VIII.

hyemem Antiochiæ agere. Ut eam urbem, Syriæ caput, repetiit, illuc undique confluxit infinita hominum multitudo: alii ut publicas privatasque res, alii ut externas, tractarent: multi ut optimum Principem, tanta victoriarum fama præfulgidum spectarent et venerarentur. Pedo quoque consul Roma advenit. Aderat et ingens militum copia. Ne iis quidem temporibus, quibus valuit Oriens, unquam fuerat Antiochiæ tam magna hominum vis, tanta imperii majestas. Splendida lætaque urbis facies momento funeribus et luctu mutata. Præcessere quidem fulmina, tonitrua, et insolita ventorum procella, haud credita tamen tantorum malorum prænuntia.

His autem sopitis, a. d. decimum Kal. Januarias[1] ante diluculum auditus repente terribilis sonus; simul intumescit, tremitque terra: nutantia hinc inde mœnia tectaque attolluntur: mox pondere depressa et mutuo occursu arietantia, horribili cum fragore columnis, trabibus, lateribus, saxisque crepitantibus, ruinas per vacuum etiam viarum arearumque spargunt. Avulsæ quoque radicitus arbores sursum vibratæ subsultant. Hos inter strepitus tam densa cooritur pulveris nubes, ut nec videre, nec loqui, nec audire quisquam valeat. Interim immensa hominum vis exanimatur: alii sub tectis oppressi; alii, dum tentant fugere, multiplici ruina elisi, aut obruti. Triste in hac strage subsidium mors. Sors enim tristior hos manet, quos parte tantum corporis obtritos premunt columnarum trunci, trabiumve aut saxorum fragmina, mortis certos, in tormenta vivaces. Dies multos, multas noctes duraverat horrendus ille motus, cum tandem resedit. Tum visi, qui evaserant: pauci quidem incolumes, multi cruribus brachiisve fractis, alii rupto capite, alii sanguinem evomebant: hos inter fuit Pedo consul, et paulo post extinctus. Ut oppressis, si qui adhuc viverent, subveniretur, mota urbis rudera. Dum fervet flebilis labor, audita unius mulieris querula vox, quæ se et infantem lacte suo pasta, una cum infante eruta est incolumis. Ceterorum reperta tantum cadavera, præter tenellum puerum mortuæ matris ubera adhuc sugentem. Unicum fuit tantæ cladis solatium servatus Trajanus. Ubi primum terra intremuit, per fenestram ex ædibus

1 *A. d. decimum Kal. Januarias*] Die 23. Decembris. Joannes Malela scripsit diem 13. feria prima. Certe emendandum die 23. Hoc enim anno dies 23. erat feria prima: ac dies 13. erat feria quinta. Horrendum illum terræ motum fuse narrat Dio, LXVIII. p. 781. 782. et 783.

evasit; occurritque vir corporis vi et proceritate insignis, qui eum levissimo tantum vulnere saucium foras eduxit. Dum duravit motus, in Circo sub dio egit.

Extra urbem sævierat tremor; multæque urbes[1] afflictæ aut versæ. Casius mons, Antiochiæ imminens, ita concussus est, ut inclinata ejus culmina novam ruinam minitarentur. Alii montes subsedere: emissi novi aquarum rivi: siccata veterum loca.

A. U. 869. J. C. 116—L. Ælio Lamia, Æliano Vetere consulibus. Provisis, quæ restituendæ Antiochiæ sublevandisque miseris erant opportuna, Cæsar bellum Parthicum eo acrius repetiit, quo, breve et incertum vitæ expertus, cito parandæ immortalitatis cupidine flagrantior. Superiore anno, antequam Antiochiam proficisceretur, cum summa esset circa Tigrin lignorum raritas, jusserat apud Nisibim, ubi magna erat eorum copia, naves fabricari, ita tamen paratas, ut ob faciliorem usum et conjungi et dissolvi possent.[2] Hæ cum fuissent structæ, plaustris comportatæ sunt, ut ad Gordyæos montes[3] Tigris ponte jungeretur. Adversa ripa barbaris erat insessa: eorum vim infringere opus fuit. At cum maximus esset navium numerus, ingensque Romanus exercitus, pars naves gravis armaturæ milite et sagittariis plenas in barbaros dirigunt, pars per diversa loca trajectum minantur: simul alii mira cum alacritate pontem instruunt. Consternati barbari tanta navium multitudine, maxime in locis sylvarum nudis, et veriti ne invadantur, diffugiunt. Libero tum transmissu, Cæsar ineunte vere Adiabenen[4] ingreditur.

Cum exercitus Adenystris[5] (munitissimum erat Adiabenes castellum) propinquasset, Sentius, centurio, legatus Mebarsapi ante missus, et ab eo cum sociis perfide detentus, inditisque vinclis, castello abditus, occasione usus est. Consilio cum suorum audacissimis inito, rumpit vincula, præsidii præfectum interficit; suisque in libertatem vindicatis, se ad exercitum recipit. Comite victoria, peragrata est Adiabene: et in ditionem redacta. Juvit invisere celeberrima Orientis loca, Ninon,[6] clarissimam quondam

1 *Multæque urbes*] Dio, LXVIII. p. 781.

2 *Dissolvi possent*] Dio, LXVIII. p. 783.

3 *Gordyæos montes*] Dio, ibid. Ii montes nomen fecere regioni, quam appellamus *Kurdistan*.

4 *Adiabenen*] Trans Tigrin Adiabene, nunc *the eastern part of Kurdistan*.

5 *Adenystris*] Dio, LXVIII. p. 781. Quem locum occupaverit hoc castellum, incertum est.

6 *Ninon*] Loco in quo fuit urbs

regum Assyriæ sedem, Gaugamela,[1] vicum Darii castris notum, et Arbela, quis æternam gloriam circumdedit Alexandri Magni victoria.

Inde per vastam hostium solitudinem Babylonem ventum.[2] Intestinis discordiis ita exhausti fuerant Parthi, ut ne conspectum quidem Romani militis sustinere auderent. Trajanus lustravit urbem. Chaldaicarum gentium olim caput, nunc Medorum Parthorumque invidia exinanitam, sed vel suis in ruderibus venerandam. Ædes adiit, in quibus Alexander mortalitatem exuerat. Cum ei parentasset, invisit aggerem,[3] opus, ut ferebatur, Semiramidis, altitudine pedum viginti quinque, latitudine pedum quinquaginta, longitudine ducentorum stadiorum: magnum veteris magnificentiæ monumentum. Vidit quoque lacum bituminis,[4] quo ferruminati[5] Babylonis muri; specumque halitus tam pestilentis,[6] ut quodque animalium et volucrum genus, vel tenuissimo ejus spiritu afflatum, exanimaretur.

Artis et naturæ mira speculatus, ad ingentia, quæ volvebat animo, consilia curas vertit. Destinaverat fossam ab Euphrate ad Tigrin perducere, ut, transvectis navibus, Tigrin ponte junge-

Ninus, aut Ninive, manet nomen *Nino*, ex adverso urbis *Mosul*.

1 *Gaugamela*] Vicus fuit Assyriæ, Darii clade nobilissimus, sexcentis ferme stadiis, ab Arbelis, nunc *Erbil*, dissitus. Penes tamen Arbela mansit victoriæ nomen, quod ante ignotus vicus Gaugamela, clarius vero oppidum Arbela.

2 *Babylonem ventum*] Dio, LXVIII. p. 783. Urbis omnium antiquissimæ manent adhuc rudera, locoque nomen *Babil*, ad Euphratem.

3 *Invisit aggerem*] Suidas in verbo χῶμα, Ille ager post murum Babylonis fuit.

4 *Lacum bituminis*] Dio, LXVIII. p. 783. Lacum illum R. P. Emmanuel a Sancto Alberto, ex ordine Carmelitarum discalceatorum, ante annum 1742. adiit. Lacus est cis Tigrim, fluvioque proximus: distat ab urbe *Bagdad* tredecim dierum itinere: ejus ambitus est duorum circiter millium passuum. Plenus est bitumine, quod ardore solis liquescit, noctu spissescit. Fons, unde erumpit, ebullire videtur. Mirum quanta vis aquaticorum animalium, dum immergunt, agglutinetur, ita ut nunquam possit se expedire. Fertur leones, canes, aliasque feras, quæ præda trahuntur, capi. Id bitumen in navium aliorumque operum usus adhuc impenditur. *Voyage Ms. du P. Emmanuel de S. Albert d'Alep en Perse.*

5 *Ferruminati*] Plin. XXXV. 15. Suidas quoque in verbo Ἀδιαβηνή, ait hoc bitumen tantam firmitatem ædificiis afferre, ut cum coctis lateribus parvisque lapillis commixtum, quovis ferro validius evadat.

6 *Specumque halitus tam pestilentis*] Dio, LXVIII. p. 783. Suidas, ibid. Nec mirum, cum his in regionibus terræ et aquæ sulphureis aliisque diris vaporibus inficiantur, teste P. Emmanuele a S. Alberto, quem supra laudavi.

ret.[1] At Euphrate multo excelsiore comperto quam Tigri, consilio destitit, ne immissus Euphrates exhauriretur, tollereturque ejus navigatio. Itaque jussit naves machinis trahi; iisque per brevissimum Euphraten inter et Tigrin spatium deportatis, cum Seleucia[2] prius esset potitus, Ctesiphontem occupat.[3] Fugiente semper hoste, capta Chosrois filia, aureaque Arsacidarum sella,[4] tot regum regnorumque opibus superba. Trajanus, victor Parthorum, *imperator* consalutatus est,[5] iterumque *Parthicus* cognominatus. Trecenta quinquaginta millia passuum ultra Ctesiphontem adhuc progressus, Susam cepit,[6] veterem Persarum regiam.

Tantarum fortunarum nomina, Assyrii, Medi, Persæ, Parthique ditioni Romanæ accesserant. Cum hæc Romam nuntiata, a senatu decretum est ut Trajanus triumphos, quotquot vellet, ageret.[7] At is propagandi imperii et augendæ famæ cupidior, voluit Persicum sinum[8] et mare Rubrum[9] scrutari. Haud ingens ei classis, Cæsare tamen digna. Quinquaginta erant naves,[10] quarum quatuor, imperatoriis signis splendidæ, prætoriam navem funibus alligatam trahebant.[11] Hæc autem longitudine triremem,

1 *Ponte jungeret*] Dio, LXVIII. p. 784.

2 *Seleucia*] Cis Tigrim est Seleucia, nunc *Al-Modaïn*; de qua dictum est Annal. VI. 42.

3 *Ctesiphontem occupat*] Ctesiphon fuit trans Tigrim ferme ex adverso Seleuciæ. Unde utrique loco nomen *Al-Modaïn*, id est, duæ urbes. Proprie tamen Ctesiphonti nomen nunc est *Soliman Pak*. Tunc Parthici regni caput erat Ctesiphon.

4 *Aureaque Arsacidarum sella*] Spartianus in Hadrian. cap. 13. Manent adhuc inter Ctesiphontis ruinas veteris ædificii rudera, quibus nomen est *Takt-Kezra*, id est, solium Chosrois. Quam magnifica fuerit Arsacidarum sella æstimare possumus ex Turcici Imperatoris solio, aureis columnis suffulto, et ex Mogolico solio, quod hac nostra ætate Thamas-Kouli-Kan rapuit. Inde non mirum, si Parthi sellam illam ab Hadriano repetiere, et si postea inter bella de ea sit actum.

5 *Imperator consalutatus est*] Dio, LXVIII. p. 784. Tunc cusus videtur nummus ex ære magno, qui fuit in Museo Collegii Ludovici Magni. IMP. CAES. NER. TRAIANO OPTIMO AVG. GER. DAC. PARTHICO P. M. TR. P. COS. VI. P. P. caput laureatum Trajani. In adversa parte, Trajanus cohortes alloquitur. Infra IMPERATOR. VIII. SC.

6 *Susam cepit*] Auctor Dialogi φιλοπάτριδος apud Lucianum, p. 1128. Susa, a Tithono, Memnonis patre, ædificata, iterum a Dario Hystaspis filio condita, nunc appellatur *Suster*.

7 *Triumphos, quotquot vellet, ageret*] Dio, LXVIII. p. 784.

8 *Persicum sinum*] Hodieque *the Persian Gulf*.

9 *Mare Rubrum*] Dio, LXVIII. p. 784.

10 *Quinquaginta erant naves*] Suidas in verbis Ναῦς et Ἀκροστόλια, ex Arriano.

11 *Alligatam trahebant*] Sic et nos trahimus naves; quod dicimus, *to take a vessel in tow*.

latitudine et altitudine onerarias naves, quanta maxima est vel Nicomedea,[1] vel Ægyptiaca,[2] æquabat. Ejus aplustria auro insignia, summoque in velo Trajani nomen et imperatoris tituli præfulgebant. Intus conclavia erant, quæ numero et ornatu Cæsaris fortunam decerent. Classis tres in partes divisa est, ne, si continuo ordine succederet, inter se allisis navibus, cursus interturbaretur. Appulit ad Mesenem,[3] Tigris insulam, in qua regnabat Athambilus, qui se ultro ditioni Romanæ subdidit, et tributa se persoluturum spopondit. Cum inde proveheretur classis, vi tempestatis, fluminis violentia, æstuque maris[4] ita conflictata est, ut summum in discrimen Trajanus foret adductus, ni, qui Characem,[5] oppidum Pasitigri[6] proximum, incolebant, parebantque Athambilo, eum perhumaniter excepissent.

Defunctus periculo, et audentior, Oceanum ingreditur.[7] Cum in ejus naturam inquireret, vidit navem, quæ in Indiam cursum dirigebat. Olim lacrymas Divo Julio excusserat visa Alexandri Magni imago. Ipse Alexander illacrymaverat, audito partem orbis terrarum, quam non vicisset, superesse. Trajanus, utrique par animo, virtute melior, suam tantum ætatem queritur. 'O si,' inquit, 'forem juvenis, Indiam peterem.'[8] Mox gloriæ impetu æstuans, populorum mores, vires, opesque sciscitatur: quæ sit

1 *Nicomedea*] Nicomedia, urbs Bithyniæ, nunc *Is Nikmid.*

2 *Vel Ægyptiaca*] Quantæ essent Ægyptiacæ naves æstimare possumus ex Ms. Vindobonensi codice, qui sub Augusto Cæsare memorat Alexandrinam navem, quæ, præter frumentum aliasque merces, attulit vectores 1200. et obeliscum, cum base, altum pedes 87.

3 *Ad Mesenem*] Dio, LXVIII. p. 784. Mesene, insula inter duos Tigris alveos comprehensa, nunc *Digel;* de qua vide Plinium, VI. 27.

4 *Æstuque maris*] Vadosa hæc ora, et reciproco mari infesta.

5 *Characem*] Dio, LXVIII. p. 784. oppidum illud vocat τὸν Χάρακα τὸν Σπασίνου. Fuit Charax inter oppida *Hafar* et *Hesn Modhi.*

6 *Pasitigri*] Tigris, 'ubi remeavere aquæ' duorum alveorum, quos modo memoravimus, 'Pasitigris appellatur.' Nec Tigris tantum, sed Choaspes, Euphratesque longo tempore ab accolis agros rigantibus præclusus, Pasitigri deferuntur in mare. Plin. VI. 27.

7 *Oceanum ingreditur*] Dio, LXVIII. p. 784. Oceanum intellige mare Rubrum.

8 *Indiam peterem*] Dio, ibid. Spurius quidem est et antiquariis ignotus nummus, quem ex Occone, viro sublestæ fidei, inter Trajani nummos retulit Mediobarbus, in quo legitur INDIA PROPR. Id est, 'India, provincia populi Romani.' Consiliis tamen vastandæ Indiæ non abstinuit Trajanus, cum, teste Eutropio, Libr. VIII. 'in mari Rubro classem' instituerit, 'ut per eam Indiæ fines vastaret.'

cœli solique natura interrogat. Comperto tertiam hanc esse terrarum partem, numerosissimas gentes, incredibilem agrorum fertilitatem, infinitam opum copiam et varietatem, miram aëris salubritatem, alibi effœtam, hic vegetam esse naturam, 'beatum' pronuntiat 'Alexandrum: se illo longius progressurum[1] fuisse, et ultimos Orientis sinus scrutaturum.' His cogitationibus plenus, literas ad senatum scribit, quibus quas vicerit gentes, quas victas velit significat.

At fortuna virtutis, quæ mortalium sortem supergreditur, semper invida, crudeles parabat ludos, et momento tot victorias funestare contendit. Amici victique reges, rebellionis turbine circumacti, undique conspirant: in præsidia apud se relicta, aut imposita, insurgunt. Alia pulsa, alia cæsa. Hæc audit Trajanus[2] longinquo in mari, procul a castris, cum paucæ adessent naves, exigua militum manus: audit tamen interritus, nec unquam major visus. Hostium turbas, ut suas ante acies, dividit; mittitque Maximum, Lusium Quietum, Erucium Clarum, et Julium Alexandrum, expertos probatosque duces, qui rebelles comprimant, dum ipse petit Ctesiphontem, ut Parthos contineat. Nec adeo iniqua fuit sors, ut nihil opis relinqueret. Mansit enim Athambilo fides, magnumque fuit renaviganti Cæsari subsidium. Parthi quoque, seu terrore, seu impotentia, in ceterorum furorem non adacti. Cum ferveret adhuc rebellionis æstus, Maximus prælio victus occubuit. Lusius Quietus, cum ultus, Nisibin recuperavit: mox Edessam petiit; infensusque Abgari perfidiæ, expugnatam urbem primum direptioni permisit, deinde incendio abolevit. Antea Erucius Clarus et Julius Alexander Seleuciam ceperant. Urbem, plebis urbanæ sexcentis millibus[3] potentem, ut exemplo et ostentui esset, delevere et incendere.

Ex adverso Seleuciæ Cæsar Ctesiphontem tenebat; cunctaque ejus præsentia erant tranquilla. At ne, cum abesset, Parthi nova molirentur, placuit iis regem imponere. Qui tum aderant Romani

1 *Progessurum*] Dio, ibid.

2 *Audit Trajanus*] Trajanus, cum hæc audiit, jam revehebatur. Dio, ibid.

3 *Plebis urbanæ sexcentis millibus*] Plin. VI. 26. Inde intelligere est quantæ essent Orientis urbes. Et cum tanta esset Seleucia, Ctesiphontis tamen vicinitate exhauriebatur. Quid ergo miramur in tanta locorum longinquitate plebis multitudinem quæ Lutetiam et Londinum implet, dum duæ urbes, Seleucia et Ctesiphon, uno Tigri fluvio discretæ, multo plus continuere? Apud Sinas adhuc videre est illam multitudinem, qua Oriens olim inclaruit.

Parthique in ingentem planitiem convocati sunt. Structum ibi excelsum tribunal Cæsar conscendit: ante tribunal inter Romana signa stabat Parthamaspates.[1] Tum Cæsar orsus a Deum favore, qui ipsum populumque Romanum ad id felicitatis evexerant, ut quicquid fuerat discordiarum continuo victoriarum cursu esset sedatum, paxque Romana ultra Euphratem atque Tigrin diffusa, Deos precatus est 'ut Romam subditosque populos æternæ pacis fœdere consociarent. Non sibi curæ esse immensos imperii fines, infinitas opes, interminatam potentiam: at cordi esse orbis pacem, securitatem, felicitatem. Hæc sua esse vota; hanc unam se reputare gloriam, hanc solam cupere.' Dein flexa ad Parthos et Parthamaspaten oratione, illos fidei admonuit. 'Discordiis imperiorum ruinam, populorum exitium peti: testes ipsos esse, qui antequam victricibus Romanorum armis subderentur, intestinis dissensionibus florentissimum suum imperium jam exinaniverant. Excidio flammaque vastatam Seleuciam documento esse quæ sors discordes rebellesque maneat.' Parthamaspaten dein allocutus, eum ad humanitatem, clementiam, æquitatem, principatusque curas hortatus est. 'Iis virtutibus se Romæ, se suis populis approbaret. Intelligeret tandem Oriens quantum superbiæ præstet regnantum modestia; ipseque experiretur quanto dulcius sit amantibus, quam servientibus, populis imperare.' Tum per præconem regno regnique conditionibus pronuntiatis, Parthamaspates, flexo genu, supplicesque manus tendens, diadema, dignitatis insigne, accepit. Ab Urbe condita, et apud gentes quæ memoria hominum latius sunt dominatæ, nondum illuxerat tanta, tam speciosa dies, cum ab extrema Britannia ad Parthiam usque per quadragies centena millia passuum Cæsar jura diceret, regna diriberet. Tigris Romanæ dominationis terminus[2] institutus est.

Talem imperii felicitatem intervertere se posse rata est fanatica Judæorum gens.[3] Ingenio et calamitate ad furorem prona, animos sustulerat, Orientis motu inflata. Gliscere quoque cœperant ora-

1 *Stabat Parthamaspates*] Dio, LXVIII. p. 785. Illum exhibet nummus ex ære magno, qui fuit in Museo Collegii Ludovici Magni, IMP. CAES. NER. TRAIANO OPTIMO AVG. GER. DAC. PARTHICO P. M. TR. P. COS. VI. P. P. caput laureatum Trajani. In adversa parte, REX PARTHIS DATVS. Imperator in suggesto sedens, astante præfecto prætoriarum cohortium, per præconem infra stantem, declarat regem Parthorum eum, qui ante suggestum in genu procumbit.

2 *Tigris Romanæ dominationis terminus*] Rufus Festus, in Breviario.

3 *Judæorum gens*] Dio, LXVIII. p. 786. Eusebius Hist. Eccles. IV. 2.

cula, miseris turbulentisve hominibus semper parata, quæ funesta diraque[1] imperio portendebant. Iis omnibus accensi, cum undique terrarum et lucri cupidine et scelerum pœna sint dispersi, uno et eodem impetu per Cyrenaicam provinciam,[2] Ægyptum, Cyprum insulam, et Mesopotamiam debacchantur. Quicquid ibi aut Romanum, aut Deorum religionibus imbutum, ut impium, prosternunt et discerpunt. Quanto plus audaciæ, tanto plus crudelitatis. In Cyrenaica, duce Andræa, eo ferociæ prorupere, ut ducenta viginti millia hominum horribilibus suppliciis ludibriisve absumserint. Pasti humana corpora, eorum redimiti visceribus, obliti sanguine, pellibus induti, furiati discurrunt, et interceptos aut a cervice serris medios dissecant, aut objiciunt bestiis, aut invicem pugnare et perire cogunt. Vastata Cyrenaica, atrox illa procella per Ægyptum diffunditur, quam Lucuas dux jam cædibus fœdaverat. Effera magis per Cyprum insulam Artemionis rabies. Is urbem Salamina[3] subvertit, et ducenta quadraginta millia hominum internecione delevit. Eadem efferbuerat per Mesopotamiam atrocitas: sed a Lusio Quieto Judæorum excidio statim fuit oppressa. Nec tarda fuit ubique vindicta, ubi primum a consternatione resipuere animi. Lupus, Ægypti præfectus, ipsique Ægyptii hanc pestem abolevere, et Judæorum, qui *Alexandriæ agebant*, sanguine fuit expiata. In Cypro insula, Martius Turbo, vindex sceleris missus, Judæos omnes interfecit; et in posterum statuta pœna, ut si quis hujus gentis homo Cyprum appelleret, tempestatis etiam vi delatus, capital foret. Ut repente exortus, sic repente oppressus furor ille Judaicus.

Dum tantis rerum conversionibus ludebat fortuna, lusit et natura singulari sexus mutatione. Mulier, Laodiceæ nupta, vir evasit; et quæ modo erat et appellabatur Æteta, fuit et dictus est Ætetus.[4]

A. U. 870. J. C. 117.—Quintio Nigro, C. Vipstanio Apro-

1 *Funesta diraque*] Quas vaticinationes videre est in Dialogo, cui nomen est Φιλοπάτριδι, apud Lucianum, p. 1127.

2 *Cyrenaicam provinciam*] Ægypto proxima fuit Cyrenaica, Occidentem versus; ita dicta ab urbe Cyrene, nunc *Curin.*

3 *Urbem Salamina*] Salamis, urbs Cypri clarissima postea dicta Constantia, unde loco adhuc nomen *Costanza.*

4 *Dictus est Ætetus*] Phlegon, de Rebus mirabilibus, cap. 9. se oculatum testem profitetur. Quantum Romani delectarentur hermaphroditis testantur statuæ, quæ adhuc extant, et auctor Dialogi Φιλοπάτριδος, apud Lucianum, p. 1127.

miano consulibus. Crebrescebant oracula, malorum prænuntia; ipsumque mensem Mesori[1] (id nomen apud Ægyptios Augusto mensi) feralem designabant. At publicam lætitiam in tanto imperii splendore nihil morabatur. Senatus, lectis, quas a Trajano missas memoravi,[2] literis, et cum continuo aliæ afferrentur, quæ ne notas quidem nomine subactas gentes nuntiabant, decrevit 'Principem de quotcumque provinciis vellet triumphos acturum:'[3] arcum quoque[4] in ejus foro strui jussit, Parthicæ victoriæ monumentum, ut columnam, Dacicæ. Additum, 'ut senatus redeunti Principi longius, quam solitum, obviam procederet.'

Cæsar autem, firmandæ dominationi intentus, Atrenos, qui in prioris anni motu rebellaverant, nec hostiles animos posuerant, exscindere, aut si ob insuperabilem locorum difficultatem deleri penitus non possent, ita infringere parabat, ut nunquam rediret nocendi vel voluntas, vel facultas. Iis erat in Mesopotamia civitas haud ampla, nec dives, Arabum legibus et ditioni subdita. Late circum regio magnam partem deserta: raræ aquæ, aut insalubres: summa ligni pabulique penuria. Præcipuum, sed muni-

1 *Mensem Mesori*] Auctor Dialogi, modo laudati apud Lucianum, p. 1126. Hæc quidem oracula et apud Christianos serpebant. Nec mirum, et excusatione dignum. Quanto magis pii erant et miseri, tanto magis in credulitatem proni.

2 *Memoravi*] Sub anno superiore.

3 *Triumphos acturum*] Dio, LXVIII. p. 784.

4 *Arcum quoque*] Dio, ibid. Extant adhuc Romæ egregia hujus arcus monumenta, quæ nunc spectantur in arcu Constantini. Inter viros, qui in bello Parthico inclaruere, insignis extat memoria Cn. Plætorii, quam quidem videre est apud Gruterum, p. 1096. n. 6. sed in multis mancam et corruptam. Ideo juvat eam emendate ex ipsis Mss. Sirmondi schedis describere.

CN. MARCIO
CN. F. GAL.
PLAETORIO CELERI
QVAEST. II. VIR. 7. LEG. VII.
GEMIN. 7. LEG. XVIII. FIRM.
DONIS DONATO A DIVO
TRAIANO IN BELLO PARTHIC.
CORONA MVRALI TORQVIBVS
ARMILLIS PHALERIS. 7. LEG. II
AN. 7. LEG. XIIII. GEM. MART. VICTR.
7. LEG. VII. CIPI. 7. LEG. I. ADI. P. F. P. P. LEG.
EIVSD. PRAEPOSITO NVMEROR.
TENDENTIVM IN PONTO AB
SARO TRIB. COH. II. VIG.
PATRONO COL.
D. D.

tissimum præsidium, Atræ,[1] urbs rupi imposita. Magna ibi Solis, cui urbs sacra, veneratio. Solæ opes, sed ingentes, donaria templis condita. Haud ægre Romanus miles, quæ urbem ambiebant, occupavit. At ubi opus fuit urbem obsidere, machinasque admovere, ibi sudor laborque plurimus. Præmissi equites equitatu, quo Arabes præpollent, gravi cum damno proturbati sunt, eosque hostis in castra usque insecutus est. Cæsar, ad accendendam suorum virtutem, ipse, inter obsidentes, urbem petit. Ejus præsentia tantum ardoris indidit, ut pars murorum urbis fuerit diruta; haud sine Principis discrimine: licet enim, ne agnosceretur, vestem imperatoriam exuisset, ejus canitie vultusque gravitate permoti barbari, certique talem esse debere Imperatorem, in eum ejaculabantur; equesque ei proximus transverberatus est.

Suo quidem periculo immotus erat Cæsar: at portentis[2] territus est exercitus. Quoties enim impetum faceret, quasi eam urbem invadere profanum foret, cœlum coruscare fulguribus, tonitribus personare, versicoloribus irradiare luminibus, procellæ, grando, fulmina erumpere. Jam et ante tetra lues castris incubuerat: tanta nempe culicum vis, ut iis fœdatos omnes cibos exercitus nausea respueret. Hæc Cæsarem variis sententiis persisteretne, an desisteret, distractum tenebant. At reputans nec sapientis, nec optimi Principis esse naturæ imperare velle, tantumque gloriæ et salutem exercitus temeritate perditum ire, obsidionem solvit.

Tum anceps utrumne exercitum in Mesopotamiam reduceret, an bellis finem imponeret, dein affecta sua valetudine anxius, paulo post gravem in morbum incidit. Venenum,[3] atrox summæ potentiæ malum, vel optimis Principibus formidatum, suspectans, in Italiam navigare destinat. Simul supremæ animo obversabantur curæ. Modo decorum videbatur Alexandri Magni exemplo sine certo successore[4] decedere. Modo, ut quantum posset reipublicæ provideret, satius rebatur successorem deligere, qui imperium

Observa Plætorium fuisse e tribu Galeria: duosque errores inter describendum irrepsisse: Pro LEG. II. AN. legendum, LEG. II. AVG. et pro LEG. VII. CIPI. corrigendum LEG. VII. CL. P. F. id est, 'legionis septimæ Claudianæ piæ felicis.'

1 *Atræ*] Manet loco nomen *Hatder*. De hac urbe, quam Severus Imperator postea incassum obsedit, vide Herodianum, III. 9.

2 *At portentis*] Dio, LXVIII. p. 785.

3 *Venenum*] Dio, LXVIII. p. 786.

4 *Certo successore*] Spartianus in Hadrian. cap. 4.

sibi a Divo Nerva traditum, a se acceptum, iisdem in publicam felicitatem studiis regeret. Nec facilis delectus. Ambigebat enim Neratiumne Priscum[1] virtute et legum scientia præstantem anteponeret, an Lusium Quietum[2] tantis bellorum experimentis probatum. Mox ne infausta successoris designatione memoriam suam oneraret, expeditius ducebat, missa ad senatum oratione,[3] viros proponere, quos inter senatus, quem optimum probasset, legeret. Egregia imperii Romani tempora, quibus Princeps optimus, optimi Principis filius,[4] optimos, qui succederent, valuit designare!

At de successore in incertum volvuntur Principum consilia. Dum Trajanus virtute provisum imperio volebat, artibus sese fortunæ inserebat Hadrianus. Jam dudum Principis favorem aucupabatur, et virtutum assimulatione, et quod plerumque validius est, vitiorum æmulatu. Fuisse enim Trajano vitia haud silebit Historia; nec eum humanæ conditionis sorte excusatum feret. At, vel inter vitia, laus ejus erit propria, quod imperii regimini nunquam ea immiscuerit.[5] Immo, cum Divi Nervæ societate et exemplo quandoque indulgere vino[6] cœpisset, curari vetuerat jussa post longiores epulas. Suos autem delicatos (huic quoque amori serviebat Cæsar) ad voluptates, non in consilia admittebat. Licet ergo Hadrianus et vinolentiæ assuevisset,[7] et libertos delicatosque[8] Cæsaris blanditiis, promissis, donis diu captasset, nihil profecerat, ni Tatianus et Plotina subvenissent: ille vetere studio, cum Hadriani tutor fuisset; hæc muliebri ambitione, ut, quod auctoritatis mariti morte decederet, dato imperio recuperaret. Aulæ autem periti, non urgendo, (obstabant enim certa Hadriani vitia, incertæ virtutes, nec unquam in eum pronus Principis favor), sed declinando, eum summæ spei admovere. Ingravescente enim

1 *Neratiumne Priscum*] De quo dictum supra ad A. U. 865. Vide et Spartianum in Hadriano, cap. 4.

2 *Lusium Quietum*] Dacicis Parthicisque bellis sæpe nobis memoratum. Quidam addunt Servianum a Trajano dignum imperio fuisse judicatum. Sed perperam, et ex corrupto Dionis loco, id volunt; ut egregie demonstravit eruditus Reimarus in Notis ad Dionem, LXIX. p. 795.

3 *Ad senatum oratione*] Spartianus in Hadriano, cap. 4.

4 *Optimi Principis filius*] Trajanus adoptione filius Nervæ Principis optimi.

5 *Ea immiscuerit*] Dio, LXVIII. p. 772.

6 *Indulgere vino*] Dio, ibid. Victor, de Cæsaribus et in Epitome.

7 *Vinolentiæ assuevisset*] Spartianus in Hadrian. cap. 3.

8 *Libertos delicatosque*] Spartian. in Hadrian. cap. 4.

Trajani morbo, antequam e Mesopotamia discederet, effecere ut Hadrianus exercitui in Syria præficeretur.[1] Ingens erat potentiæ adjumentum, et quibusvis artibus paratum. Increvit dein morbus, profluvioque sanguinis,[2] quo Cæsar singulis annis per alvum purgabatur, interrupto, vix ulla supererat salutis spes. Seleucia[3] tamen pervenit Selinuntem,[4] Ciliciæ urbem. At cum apoplexia fuisset oppressus, simul et intercute aqua laboraret, conclamata ejus salute, Plotina hominem prope lectum occuluit, qui morientis et exanimi Principis voce simulata adoptionem Hadriani[5] dictaret. Ejus nuntium quinto Idus Augusti[6] mensis accepit Hadrianus. De ea quoque missæ ad senatum literæ, non Trajani, sed Plotinæ manu[7] subscriptæ. Ubi novo imperio satis provisum, a. d. tertium Idus[8] evulgata Trajani mors. Is fuit Trajani finis, anno ætatis sexagesimo secundo,[9] imperii vigesimo. Promiscuis laudibus vulgus Principum attollatur, nobis unica et summa Trajani laus erit ipse TRAJANUS OPTIMUS. In hominum memoria vivit semperque vivet. Appellatus dulcedine, narratus admiratione animos implebit. Forte vana et turgida adulatio Principes Trajano meliores optabit. Æqua veraque posteritas optimos habebit Trajano proximos.

Morte, quæ tot Principum gloriam obruit, ejus accrevit claritas. Cremato ejus corpore, cineres Tatianus Plotinaque et Matidia, Divæ Marcianæ filia, excepere, ut eos Romam deferrent. Obviam processit Hadrianus,[10] patrisque reliquias veneratus, justa persolvit,

1 *In Syria præficeretur*] Dio, LXVIII. p. 786. Spartianus, ibid.

2 *Profluvioque sanguinis*] Dio, LXVIII. p. 786.

3 *Seleucia*] Seleuciam Isauriæ appellavit Eutropius Libr. VIII. more suæ ætatis, quæ partem hanc Ciliciæ contribuebat. Seleucia urbs erat Ciliciæ asperæ ad Calycadnum sita, nunc *Selefkeh.*

4 *Selinuntem*] Dio, LXVIII. p. 786. Selinus, urbs maritima Ciliciæ, nunc *Selenti.*

5 *Adoptionem Hadriani*] Spartianus in Hadrian. cap. 4.

6 *Quinto Idus Augusti*] Die 9. Augusti. Spartianus, ibid.

7 *Plotinæ manu*] Dio, LXIX. p. 788.

8 *A. d. tertium Idus*] Die 11. Augusti.

9 *Sexagesimo secundo*] Secundo et quadragesimo ætatis anno imperare cœperat. Dio, LXVIII. p. 772. Selinunti, qua in Urbe Trajanus obiit, is honor habitus est, ut postea appellata sit Trajanopolis. Dio, LXVIII. p. 786. Confectus, ut videtur, mœrore amissi domini optimi, Selinunte pridie Idus Augusti occubuit M. Ulpius Phædimus, Trajani libertus. Inscriptionem vide apud Gruterum p. 578. vel apud Fabretti, de Columna Trajani, p. 185.

10 *Obviam processit Hadrianus*] Selinunte Seleuciam ad mare, Pieriam quoque dictam, nunc *Suveidia*, ubi naves erant Romanæ, vectæ sunt Trajani reli-

comesque fuit itineris, donec, conscensa classe, funebris pompa Italiam repetiit. Tum Hadrianus Antiochiam regressus est.[1] Feralis autem pompa ibat, ut ante nonaginta octo annos visa, quæ tristes Germanici exuvias[2] ferebat. Fatale enim fuit iisdem ferme locis oppressos esse et Cæsarum optimum[3] et optimum Principum: utrumque militari gloria circumdatum, pari utrumque comitate et affabilitate, utrumque desideratissimum, quod ille in maximas spes adolesceret, hic maximas implevisset.

Ut Romæ propinquatum est, senatus populusque obviam effusi; mœrent simul et mirantur. Nempe omnes luctu impleverat feralis urnæ visus: simul animis obversabatur victoriarum fama, propagati imperii gloria, et merita tot triumphorum laus. Quæsitum tantæ virtuti novum decus; et, quod nemini hactenus datum, ipsa in Urbe, locoque Urbis splendidissimo, in foro, quod Trajanus struxerat, ejus cineres triumphali[4] pariter et funebri apparatu conditi sunt, et columnæ suppositi. Mox lectis Hadriani literis,[5] super cœlestes honores[6] aliosque quos Hadrianus affatim postulaverat, multi adhuc additi; institutique ludi Parthici,[7] perenne victoriarum monumentum. Hadriani in Urbem adventus[8] novæ et majoris celebritatis causa fuit. Is enim, cum triumphum a senatu sibi oblatum remisisset, dictitans 'honores a patre meritos[9] in se

quiæ. Antiochia obviam processit Hadrianus.

1 *Antiochiam regressus est*] Spartian. in Hadrian. cap. 5. Antiochia, nunc *Antakia*, caput Syriæ.

2 *Tristes Germanici exuvias*] Vide Annal. III. 1.

3 *Cæsarum optimum*] Germanicus extinctus est Antiochiæ, Trajanus Selinunte.

4 *Ejus cineres triumphali*] Victor in Epitome. Dio, LXIX. p. 788.

5 *Hadriani literis*] Spartian. in Hadrian. cap. 6.

6 *Cœlestes honores*] Tum cusus nummus aureus e Cimelio Regio, DIVO TRAIANO PART. H. AVG. PATRI. Id est, 'Divo Trajano Parthico Hadriani Augusti patri.' Caput laureatum Trajani. In adversa parte, Phœnix, radiato capite, insistit ramo cinnamomi.

7 *Ludi Parthici*] Dio, LXIX. p. 788. Ludi illi celebrabantur die 18. Septembris, ut accipimus ex veteri Kalendario Herwartiano: XIV. KAL. OCTOBRIS N. TRAIANI. TRIUMPHALES CMXXIIII. Id est, 'Natalis Trajani, (ludi) triumphales, circenses missus viginti quatuor.' Immo in veteri Kalendario apud Lambecium, Bibliothec. Vindobon. Vol. IV. p. 277. scriptum CMXLVIII. Id est, Circenses missus quadraginta quatuor; nempe 24. ob natalem, et 24. ob ludos triumphales. Videntur per duos dies celebrati. Idem enim Kalendarium Herwartianum habet, XII. KAL. OCTOBRIS LVDI TRIVMPHALES.

8 *Hadriani in Urbem adventus*] Hadrianus, 'præposito Syriæ Catilio Severo, per Illyricum Romam venit.' Spartianus in Hadrian. cap. 6.

9 *A patre meritos*] Ob adoptionem, Hadrianus Trajani filius dictus est.

non esse conferendos,' Trajani imaginem[1] triumphali curru vexit, præeunte senatu et exercitu; eamque columnæ[2] imposuit, ut Princeps optimus sua inter opera sublimis Urbi præsideret: ludis quoque, qui deinde in ejus honorem ederentur, balsama et crocum[3] per gradus theatri fluere jussit. Durent crescantque honores Principis optimi;[4] æternaque ejus memoria intelligant Principes sua in fortuna cuncta esse fluxa et caduca, virtutem tantum et beneficentiam fore immortales.

1 *Trajani imaginem*] Spartianus in Hadriano, cap. 6.

2 *Eamque columnæ*] Victor in Epitome.

3 *Balsama et crocum*] Spartianus in Hadrian. cap. 19.

4 *Crescantque honores Principis optimi*] Crevere hactenus; optimorumque Principum laudi datum, ut Trajano similes dicerentur.

C. CORNELII TACITI

POLITICA.

GABRIEL BROTIER

POLITICO LECTORI.

Regere imperio populos ars fuit Romanorum propria. Artem, dignitate nobilissimam, præstantissimam utilitate, aperuit C. Cornelius Tacitus; tantoque duce ac magistro gloriati sunt, quotquot postea publicarum rerum scientia inclaruere. Quam sibi doctrinam multa lectione, assidua meditatione, ægre pepererunt, eam lætam magis magisque parabilem fore sum ratus, si, quæ apud Tacitum dispersa sunt, colligerem, civilisque prudentiæ corpus conflarem. Ut id exequerer, C. Cornelii Taciti politica ad præcipua quædam capita revocavi, quibus rei civilis summa continetur. Ne quis tamen reputet me universos politicæ scientiæ fontes, qui passim in Tacito occurrunt, exhausisse: immo multo plures, eosque feracissimos, adhuc latere profiteor, quos lectori volupe erit scrutari, quibusque repertis uti ac frui gratius erit atque laudabilius. Mihi satis sit viam monstrasse, artisque novæ elementa proposuisse, quibus erudiantur ingenia, mores instruantur, animi ad viriles curas exsuscitentur; et, quod mihi ut et Cornelio Tacito semper in votis fuit, omnes ad vitiorum odia studiaque virtutum inflammentur, quibus stat humana societas, florent vigentque imperia.

POLITICORUM CAPITA.

I. RELIGIO.[1]

Colenda divina, humana non impedienda.

Oportere dividi sacros et negotiosos dies, quis divina colerent, et humana non impedirent. Tacit. Annal. xiii. 41.

Cavendum ne inter prospera imminuatur religio.

Benignitati Deum gratiam referendam, ne ritus sacrorum inter ambigua culti, per prospera obliterarentur. Annal. xi. 15.

Est in Religione modus.

Sanctius ac reverentius visum de actis Deorum credere, quam scire. De Mor. German. xxxiv.

Ne fœdetur vanitate.

Multa vana sub nomine celebri vulgabantur. Annal. vi. 12.

Inter adversa gliscit superstitio.

Sunt mobiles ad superstitionem perculsæ semel mentes. Annal. i. 28.

Tunc audiuntur prodigia.

Quod in pace fors, seu natura; tunc fatum et ira Dei vocabatur. Hist. iv. 26.

Inclinatis ad credendum animis, loco ominum etiam fortuita. Hist. ii. 1.

Plura prodigia, rudibus sæculis, etiam in pace observata, quæ nunc tantum in metu audiuntur. Hist. i. 86.

Divina quoque obtenduntur sceleribus.

Ob interfectam Octaviam, dona templis decreta. Quod ad eum finem memoravimus, ut quicumque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus noscent, præsumtum habeant, quotiens fugas et cædes jussit Princeps, totiens grates Deis actas; quæque rerum secundarum olim, tum publicæ cladis insignia fuisse. Annal. xiv. 64.

Scelerum vindex conscientia.

Facinora atque flagitia sua *Tiberio* quoque in supplicium verterant. Neque frustra præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus et ictus, quando ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, malis consultis, animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque ipse pœnas fateretur. Annal. vi. 6.

Nero cunctos per artus tremens, seu numine exterrente, seu facinorum recordatione, nunquam timore vacuus. Annal. xv. 36.

II. PATRIA.

Dulce et jucundum quodque patriæ solum.

Germaniam informem terris, asperam cœlo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit. De Morib. German. ii.

Omnibus, Principibus maxime, cara sit.

Cunctas sibi curas amore patriæ leviores. Annal. xv. 36.

Optimus quisque amat patriam, et ejus malis ingemiscit.

Optimus quisque reipublicæ cura mœrebat. Annal. iii. 44.

Vulgus etiam iis movetur.

Duos omnium mortalium impudicitia, ignavia, luxuria deterrimos, velut ad perdendum imperium fataliter electos, non senatus modo et eques, quis aliqua pars et cura reipublicæ, sed vulgus quoque palam mœrere. Hist. i. 50.

Ejus malis qui lætentur?

Multi odio præsentium et cupidine mutationis, suis quoque periculis lætabantur. Annal. iii. 44.

III. LIBERTAS.

Libertas, commune bonum.

Libertatem natura, etiam mutis animalibus datam. Hist. iv. 17.

[1] Nos meliora Divinaque de religione edocti, nihil habemus quod a Tacito hac in re mutuemur. Quid tamen de ea scripserit, haud fuit omittendum.

Virtutis altrix.

Etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis obliviscentur. Hist. IV. 64.

Nihil libertate acrius.

Longa Romanorum cum Germanis bella: multa invicem damna. Non Samnis, non Pœni, non Hispaniæ, Galliæve, ne Parthi quidem sæpius admonuere: quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. De Mor. German. XXXVII.

Sunt et libertatis vitia.

Germanos non juberi, non regi, sed cuncta ex libidine agere. Hist. IV. 76.

Illud ex libertate vitium, quod non simul, nec ut jussi conveniunt. De Mor. German. XI.

Nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulant. Rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus: ita dum singuli pugnant, universi vincuntur. Vit. Agric. XII.

Periculosiores sunt inimicitiæ juxta libertatem. De Mor. German. XXI.

Audacia libertatis placita.

Quomodo lucem diemque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. Hist. IV. 64.

Sicuti cœlum Diis, ita terras generi mortalium datas: quæque vacuæ, eas publicas esse. Annal. XIII. 55.

Flagitiis quoque libertas obtenditur.

Libertas et speciosa nomina prætexuntur: nec quisquam alienum servitium et dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet. Hist. IV. 73.

Falso libertatis vocabulum obtendi ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei, nisi per discordias habeant. Annal. XI. 17.

Ut imperium evertant, libertatem præferunt: si perverterint, libertatem ipsam aggredientur. Annal. XVI. 22.

Libertatem et dominationem miscere difficile.

Haud facile libertas, et domini miscentur. Hist. IV. 64.

Optimis etiam Principibus placet libertatis modus.

Quomodo pessimis Imperatoribus sine fine dominationem, ita quamvis egregiis modum libertatis placere. Hist. IV. 8.

IV. DOMINATIONES.

Varia dominationum genera.

Cunctas nationes et urbes populus, aut primores, aut singuli regunt. Annal. IV. 33.

Earum natura.

Populi imperium, juxta libertatem. Annal. VI. 42.

Paucorum dominatio, regiæ libidini propior est. Annal. VI. 42.

De mixta dominatione Taciti idea et sensus.

Delecta ex his et consociata reipublicæ forma, laudari facilius, quam evenire; vel si evenit, haud diuturna esse potest. Annal. IV. 33.

Formam mixtæ dominationis primi tentavere Germani.

De minoribus rebus principes consultant, de majoribus omnes: ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur. De Morib. German. XI.

Pro hominum ingenio et opibus varia imperia.

Gothones regnantur paulo jam adductius, quam ceteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. De Morib. German. XLIII.

Est apud *Suionas* et opibus honos, eoque unus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi. De Morib. German. XLIV.

Suionum gentibus Sitonum gentes continuantur. Cetera similes, uno differunt, quod fœmina dominatur: in tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant. De Morib. German. XLV.

Summæ paupertatis mores.

Fennis mira feritas, fœda paupertas,

non arma, non equi, non penates: victui herba, vestitui pelles, cubile humus: sola in sagittis spes....Idemque venatus viros pariter ac fœminas alit....Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur: huc redeunt juvenes, hoc senum receptaculum....Securi adversus homines, securi adversus Deos, rem difficillimam assecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus sit. De Morib. German. XLVI.

Dominationum vis in concordia.

Apud Seleucenses, trecenti opibus, aut sapientia delecti, ut senatus: sua populo vis, et quotiens concordes agunt, spernitur Parthus; ubi dissensere, dum sibi quisque contra æmulos subsidium vocant, accitus in partem, adversus omnes valescit. Annal. VI. 42.

Quam flagrans dominandi cupido?

Cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior est. Annal. XV. 53.

Nihil ei sacrum.

Pharasmani cupido regni fratre et filia potior, animusque sceleribus paratus. Annal. XII. 47.

Ardescit periculis.

Imperium cupientibus, nihil medium inter summa et præcipitia. Hist. II. 74.

Adsunt semper studia et ministri.

Primas dominandi spes in arduo: ubi sis ingressus, adesse studia et ministros. Annal. IV. 7.

Dominationem inchoantibus quid expedit?

Novum imperium inchoantibus utilis clementiæ fama. Hist. IV. 63.

Mithridates atrocior, quam novo regno conduceret. Annal. XI. 9.

Dominationis scelere quæsitæ sors.

Nemo unquam imperium, flagitio quæsitum, bonis artibus exercuit. Hist. I. 30.

Non posse principatum, scelere quæsitum, subita modestia et prisca gravitate retineri. Hist. I. 83.

V. DOMINATIO ROMANA.

Ejus majestas.

Apud Romanos vis imperii valet, inania transmittuntur. Annal. XV. 31

Virtute, non pecunia, nixa.

Sub Vitellio Principe, *imperii* vires luxu corrumpebantur, contra veterem disciplinam, et instituta majorum, apud quos virtute, quam pecunia, res Romana melius stetit. Hist. II. 69.

Fraudibus, et occultis, invisa.

Non fraude, neque occultis, sed palam et armatum populum Romanum hostes suos ulcisci. Annal. II. 88.

Deditis clemens, victis gravis.

Victis graves pœnas, in deditionem venienti paratam clementiam. Annal. II. 10.

Levius servitium apud Romanos deditis, quam captis. Annal. XV. 1.

Populos recens subditos voluptatibus liberalibusque artibus demulcebat.

Voluptatibus Romani plus adversus subjectos, quam armis valent. Hist. IV. 64.

Apud Britannos hyems saluberrimis consiliis absumta: namque ut homines dispersi ac rudes, eoque bello faciles, quieti et otio per voluptates assuescerent; hortari privatim, adjuvare publice, ut templa, fora, domus exstruerent, laudando promtos, et castigando segnes: ita honoris æmulatio pro necessitate erat. Jam vero principum filios liberalibus artibus erudire, et ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent: inde etiam habitus nostri honor, et frequens toga: paulatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus, et balnea, et conviviorum elegantiam: idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset. Vit. Agric. XXI.

Utebatur et religionibus.

In Britannia templum Divo Claudio constitutum, quasi arx æternæ dominationis aspiciebatur; delectique sacerdotes, specie religionis, omnes fortunas effundebant. Annal. XIV. 31.

Regibus quoque.

Vetus ac jam pridem recepta populi

Romani consuetudo, ut haberet instrumenta servitutis et reges. Vit. Agric. xiv.

Jactis odiorum seminibus continebantur longinqui populi.

Semina etiam odiorum jacienda, ut sæpe Principes Romani eandem Armeniam specie largitionis turbandis barbarorum animis præbuerint. Annal. xii. 48.

Quomodo spectatum scelus externum?

Omne scelus externum cum lætitia habendum. Annal. xii. 48.

vi. PRINCEPS.

Cum imperii magnitudine adolevit Principatus necessitas.

Vetus ac jam pridem insita mortalibus potentiæ cupido, cum imperii magnitudine adolevit, erupitque. Nam rebus modicis, æqualitas facile habebatur: sed ubi subacto orbe, et æmulis urbibus regibusve excisis, securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter patres plebemque certamina exarsere: modo turbulenti tribuni, modo consules prævalidi, et in Urbe ac foro tentamina civilium bellorum. Mox e plebe infima C. Marius, et nobilium sævissimus L. Sylla, victam armis libertatem in dominationem verterunt. Post quos Cn. Pompeius occultior, non melior. Et nunquam postea, nisi de Principatu quæsitum. Hist. ii. 38.

Adulta necessitate, pacis interfuit rem Romanam regi a Principe.

Non aliud discordantis patriæ remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur. Annal. i. 9.

Omnem potestatem ad unum conferri pacis interfuit. Hist. i. 1.

Civile Principis nomen invexit Augustus.

Qui cuncta discordiis civilibus fessa sub nomine Principis accepit. Annal. i. 1.

Non regno, neque dictatura, sed Principis nomine constituta respublica. Annal. i. 9.

Ut præmineret, tribuniciam potestatem addidit.

Id summi fastigii vocabulum (*tribuniciam potestatem*) Augustus reperit, ne regis aut dictatoris nomen assumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia præmineret. Annal. iii. 56.

Ne turbarent religiones, addita quoque summi pontificatus dignitas.

Nunc Deum munere, summum pontificum etiam summum hominum esse; non æmulationi, non odio, aut privatis affectionibus obnoxium. Annal. iii. 58.

Quæ Principum auctoritas, populorum officia?

Principibus summum rerum judicium Dii dedere; *populis* obsequii gloria relicta est. Annal. vi. 8.

Eam conditionem esse imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur. Annal. i. 6.

Unum esse reipublicæ corpus, atque unius animo regendum. Annal. i. 12.

Quanto major est Princeps, quanto invidiæ magis obnoxius, tanto excelsiores sint ejus cogitationes.

Non ædilis, aut prætoris, aut consulis partes sustineo: majus aliquid et excelsius a Principe postulatur; et cum recte factorum sibi quisque gratiam trahant, unius invidia ab omnibus peccatur. Annal. iii. 53.

Præcipuum in bonis amicis momentum.

Nullum majus boni imperii instrumentum, quam bonos amicos esse. Hist. iv. 7.

Amicorum Principis munus.

Honestis sermonibus aures Imperatoris imbuant. Hist. iv. 8.

Quomodo amici Principis æstimentur?

Principem daturum plane documentum, honestis, an secus, amicis uteretur, si ducem amota invidia egregium, quam si pecuniosum et gratia subnixum per ambitum deligeret. Annal. xiii. 6.

Caveat Princeps ne irrumpat adulatio.

Vere enim Galba Pisonem alloquens:

Fidem, libertatem, amicitiam, præcipua humani animi bona, tu quidem eadem constantia retinebis; sed alii per obsequium imminuent. Irrumpet adulatio; blanditiæ pessimum veri affectus venenum; sua cuique utilitas. Etiam ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur; ceteri libentius cum fortuna nostra, quam nobiscum. Nam suadere Principi quod oporteat, multi laboris: assentatio erga Principem quemcumque, sine affectu peragitur. Hist. I. 15.

Laudes expendat.

Nec occultum est quando ex veritate, quando adumbrata lætitia facta Imperatorum celebrentur. Annal. IV. 31.

Inter laudes, sæpe mæror est.

Mœrens Burrus, ac laudans. Annal. XIV. 15.

Intempestiva severitate abstineat.

Galbæ nocuit antiquus rigor et nimia severitas, cui jam pares non sumus. Hist. I. 18.

Offensis quoque et blanditiis caveat.

Vitellium, subitis offensis aut intempestivis blanditiis mutabilem, contemnebant metuebantque. Hist. II. 92.

Nimiæ potentiæ diffidat.

Nec unquam satis fida potentia, ubi nimia est. Hist. II. 92.

Negotiosa est Principis vita.

Tiberius, nihil intermissa rerum cura, negotia pro solatiis accipiens, jus civium, preces sociorum tractabat. Annal. IV. 13.

Laus ejus magna honores digne mandare.

Tiberius mandabat honores, nobilitatem majorum, claritudinem militiæ, illustres domi artes spectando: ut satis constaret non alios potiores fuisse. Annal. IV. 6.

Caduca Principum dona, nisi sint ex utilitate publica.

Vitellius, diffidentia properus, festinare comitia, quibus consules in multos annos destinabat: fœdera sociis, Latium externis dilargiri: his tributa dimittere; alios immunitatibus juvare: denique nulla in posterum cura, lacerare imperium. Sed vulgus ad magnitudinem beneficiorum aderat: stultissimus quisque pecuniis mercabatur: apud sapientes cassa habebantur, quæ neque dari, neque accipi, salva republica, poterant. Hist. III. 55.

Liberi sanguisque Principum validissima Principatus præsidia.

Non legiones, non classes, perinde firma imperii munimenta, quam numerum liberorum. Hist. IV. 52.

Amicos tempore, fortuna, cupidinibus aliquando, aut erroribus imminui, transferri, desinere: suum cuique sanguinem indiscretum, sed maxime Principibus: quorum prosperis et alii fruantur, adversa ad junctissimos pertineant. Hist. IV. 52.

Principum filii in publicam fortunam adolescunt.

Ita nati estis, ut bona malaque vestra ad rempublicam pertineant. Annal. IV. 8.

Ne nimis civiles sint.

Displicere regnantibus civilia filiorum ingenia. Annal. II. 82.

Id nocuit Germanico.

In Germanicum favor, et spes. Nam juveni civile ingenium, mira comitas, et diversa a Tiberii sermone, vultu, arrogantibus et obscuris. Annal. I. 33.

Quanto quis imperio propior, tanto sit cautior.

Suspectum semper invisumque dominantibus, qui proximus destinaretur. Hist. I. 21.

In legibus subsidium Principis.

Satis onerum Principibus, satis etiam potentiæ: minui jura, quotiens gliscat potestas: nec utendum imperio, ubi legibus agi possit. Annal. III. 69.

Cuncta legum et magistratuum munia in se trahens Princeps *Claudius*, materiam prædandi patefecerat. Annal. XI. 5.

Munimentum, in sceleris pœna.

Vitellius omnes *Galbæ interfectores* conquiri et interfici jussit, non honore

Galbæ, sed tradito Principibus more, munimentum ad præsens, in posterum ultionem. Hist. I. 44.

Reputet Princeps se esse mortalem, æternam rempublicam.

Principes mortales, rempublicam æternam esse. Annal. III. 6.

Famam et prosperam sui memoriam curet.

Ceteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent: Principum diversam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. Annal. IV. 40.

Cetera Principibus statim adesse: unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam. Annal. IV. 38.

Quæ vera ac magnifica sint Principum decora ac monumenta, egregie explicavit Tiberius, cum divinos honores ab Hispania ulteriore sibi oblatos recusaret.

Ego me, patres conscripti, mortalem esse, et hominum officia fungi, satisque habere, si locum principem impleam, et vos testor, et meminisse posteros volo: qui satis superque memoriæ meæ tribuent, ut majoribus meis dignum, rerum vestrarum providum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pavidum, credant. Hæc mihi in animis vestris templa, hæ pulcherrimæ effigies et mansuræ: nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulchris spernuntur. Proinde socios, cives, et Deos ipsos precor: hos, ut mihi ad finem usque vitæ, quietam et intelligentem humani divinique juris mentem duint: illos, ut quando concessero, cum laude et bonis recordationibus, facta atque famam nominis mei prosequantur. Annal. IV. 38.

Principibus certa et brevis est recti regula.

Utilissimus idem, ac brevissimus bonarum malarumque rerum delectus, cogitare, quid aut volueris sub alio Principe, aut nolueris. Hist. I. 16.

Princeps subditos, ut cives, habeat.

Non dominationem et servos, sed rectorem et cives cogitet. Annal. XII. 11.

Majestatem tamen reverentia tueatur.

Majestate salva, cui major e longinquo reverentia. Annal. I. 47.

Dominationis suæ arcana calleat.

Augustus inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi senatoribus aut equitibus Romanis illustribus, seposuit Ægyptum: ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam claustraque terræ ac maris, quamvis levi præsidio adversus ingentes exercitus insedisset. Annal. II. 59.

In ea inquiri ne sinat. Inquirenti Gallo infensus fuit Tiberius.

Haud dubium erat eam *Galli* sententiam altius penetrare, et arcana imperii tentari. Annal. II. 36.

Id illicitum semper et anceps.

Abditos Principis sensus, et si quid occultius parat, exquirere illicitum, anceps; nec ideo assequare. Annal. VI. 8.

Annonam curet.

Annonæ curam sustinet Princeps: hæc omissa, funditus rempublicam trahet. Annal. III. 54.

In annonæ sævitia, additum a Tiberio solamen.

Sævitiam annonæ incusante plebe, Tiberius statuit frumento pretium quod emtor penderet, binosque nummos se additurum negotiatoribus in singulos modios. Neque tamen ob ea Parentis Patriæ, delatum et antea, vocabulum assumsit. Annal. II. 87.

Magnum Principem non dedecet popularitas.

Augustus civile rebatur misceri voluptatibus vulgi. Annal. I. 54.

Fœda Principatus præmia.

Otho stupra nunc, et commessationes, et fœminarum cœtus, volvit animo: hæc Principatus præmia putat; quorum libido ac voluptas penes ipsum sit, rubor ac dedecus penes omnes. Hist. I. 30.

Falluntur, quibus luxuria specie liberalitatis imponit. Perdere iste *Otho* sciet, donare nesciet. Hist. I. 30.

Invisi semel Principis miseranda sors.

Inviso semel Principe, seu bene, seu male facta premunt. Hist. I. 7.

Vulgi iniqua de Principibus judicia.

Ipsa ætas Galbæ, et irrisui et fastidio erat, assuetis juventæ Neronis; et Imperatores forma ac decore corporis, ut est mos vulgi, comparantibus. Hist. I. 7.

Contumacia ne Principem irritent populi.

Contumacia inferiorum, lenitatem imperitantis deminui. Annal. XVI. 28.

Ferenda regum ingenia, neque usui crebras mutationes. Annal. XII. 11.

Quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, et cetera naturæ mala, ita luxum et avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines: sed neque hæc continua, et meliorum interventu pensantur. Hist. IV. 74.

Se meminisse temporum, quibus natus sit, quam civitatis formam patres avique instituerint: ulteriora mirari, præsentia sequi: bonos imperatores voto expetere, qualescumque tolerare. Hist. IV. 8.

VII. MORES PRINCIPUM ROMANORUM.

AUGUSTUS.

Ejus mens.

Divi Augusti acerrima mens. Hist. II. 76.

Sub eo Principe, florens imperium.

Mari Oceano, aut amnibus longinquis septum imperium: regiones, provinciæ, classes, cuncta inter se connexa: jus apud cives, modestia apud socios: Urbs ipsa magnifico ornatu: pauca admodum vi tractata, quo ceteris quies esset. Annal. I. 9.

TIBERIUS.

Cautus Princeps.

Cautissima Tiberii senectus. Hist. II. 76.

Dissimulationis studiosissimus.

Nullam æque Tiberius, ut rebatur, ex virtutibus suis, quam dissimulationem, diligebat. Annal. IV. 71.

Eam ad mortem usque retinuit.

Jam Tiberium corpus, jam vires, nondum dissimulatio deserebat: idem animi rigor, sermone ac vultu intentus, quæsita interdum comitate, quamvis manifestam defectionem tegebat. Annal. VI. 50.

Callidus et anxius.

Ut callidum ejus ingenium, ita anxium judicium: neque eminentes virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat: ex optimis periculum sibi; a pessimis dedecus publicum metuebat. Annal. I. 80.

Tristis sub eo Roma.

Angusta et lubrica oratio sub Principe, qui libertatem metuebat, adulationem oderat. Annal. II. 87.

Non alias magis anxia et pavens civitas, egens adversum proximos: congressus, colloquia, notæ ignotæque aures vitari: etiam muta atque inanima tectum et parietes circumspectabantur. Annal. IV. 69.

Antequam in deterius mutaretur, principatus ejus forma.

Publica negotia, et privatorum maxima, apud patres tractabantur: dabaturque primoribus disserere; et in adulationem lapsos cohibebat ipse; mandabatque honores, nobilitatem majorum, claritudinem militiæ, illustres domi artes spectando; ut satis constaret, non alios potiores fuisse: sua consulibus, sua prætoribus species; minorum quoque magistratuum exercita potestas; legesque, si majestatis quæstio eximeretur, bono in usu. At frumenta, et pecuniæ vectigales, cetera publicorum fructuum, societatibus equitum Romanorum agitabantur. Res suas Cæsar spectatissimo cuique, quibusdam ignotis ex fama mandabat, semelque assumti tenebantur, prorsus sine modo, cum plerique iisdem negotiis insenescerent. Plebes acri quidem annona fatigabatur: sed nulla in eo culpa ex Principe: quin infœcunditati terrarum, aut asperis maris obviam iit, quantum impendio

diligentiaque poterat. Et ne provinciæ novis oneribus turbarentur, utque vetera sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent, providebat: corporum verbera, ademtiones bonorum aberant. Rari per Italiam Cæsaris agri; modesta servitia; intra paucos libertos domus, ac si quando cum privatis disceptaret, forum et jus. Annal. IV. 6. et 7.

Diversi ejus mores.

Morum tempora illi diversa: egregium vita famaque quoad privatus, vel in imperiis sub Augusto fuit: occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere. Idem inter bona malaque mixtus, incolumi matre: intestabilis sævitia, sed obtectis libidinibus, dum Sejanum dilexit, timuitve: postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore et metu, suo tantum ingenio utebatur. Annal. VI. 51.

CAIUS CALIGULA.

Ejus natura.

C. Cæsar turbidus animi. Hist. IV. 48.

Falsa perdidicit.

Etsi commotus ingenio, simulationum tamen falsa in sinu avi perdidicerat. Annal. VI. 45.

Sub Tiberio servus, post dominus deterrimus.

Immanem animum subdola modestia tegens, non damnatione matris, non exilio fratrum rupta voce; qualem in diem Tiberius induisset, pari habitu, haud multum distantibus verbis. Unde mox scitum Passieni dictum percrebuit, neque meliorem unquam servum, neque deteriorem dominum fuisse. Annal. VI. 20.

Ejus vitia fataque a Tiberio prævisa.

Illi, forte orto sermone, L. Syllam irridenti, omnia Syllæ vitia et nullam ejusdem virtutem habiturum prædixit: simul crebris cum lacrymis minorem ex nepotibus complexus, truci alterius vultu; Occides hunc tu, inquit, et te alius. Annal. VI. 46.

CLAUDIUS.

Socors et hebes, uxoribus et libertis serviit.

Nihil arduum videbatur in animo Principis, cui non judicium, non odium erat, nisi indita et jussa. Annal. XII. 3.

A Messallina primum illusus, mox Agrippinæ magis devinctus.

Versa ex eo civitas, et cuncta fœminæ obediebant, non per lasciviam, ut Messallinæ rebus Romanis illudenti. Adductum, et quasi virile, servitium. Palam severitas, ac sæpius superbia: nihil domi impudicum, nisi dominationi expediret: cupido auri immensa obtentum habebat, quasi subsidium regno pararetur. Annal. XII. 7.

NERO.

Claudii insectatione gratiam gloriamque primum quærit.

Formam futuri principatus præscripsit, ea maxime declinans, quorum recens flagrabat invidia. Non enim se negotiorum omnium judicem fore, ut, clausis unam intra domum accusatoribus et reis, paucorum potentia grassaretur. Nihil in penatibus suis venale, aut ambitioni pervium: discretam domum et rempublicam. Teneret antiqua munia senatus. Consulum tribunalibus Italia et publicæ provinciæ assisterent. Illi patrum aditum præberent: se mandatis exercitibus consulturum. Nec defuit fides. Multaque arbitrio senatus constituta sunt. Annal. XIII. 4.

Dein lascivia diffluit.

Otium foris, fœda domi lascivia, qua Nero itinera Urbis, et lupanaria, et diverticula, veste servili in dissimulationem sui compositus pererrabat. Annal. XIII. 25.

Patriæ ruinis usus, domum auream exstruit.

Nero usus est patriæ ruinis, exstruxitque domum, in qua haud perinde gemmæ et aurum miraculo essent, solita pridem et luxu vulgata, quam arva et stagna, et in modum solitudinum hinc sylvæ, inde aperta spatia, et prospectus: magistris et machinatoribus Severo et Celere, quibus ingenium et audacia erat, etiam quæ natura denegavisset, per artem tentare, et viribus Principis illudere. Annal. xv. 42.

Corruptus et corruptor Romanos perdidit.

Ita quatuordecim annis a Nerone assuefactos, ut haud minus vitia Principum amarent, quam olim virtutes verebantur. Hist. I. 5.

In hac corruptela, a conjuratis ejus libidines pertæsis designatur successor ei non valde absimilis.

Cœpta simul, et aucta, conjuratione, in quam certatim nomina dederant senatores, eques, miles, fœminæ etiam, cum odio Neronis, tum favore in C. Pisonem. Is Calpurnio genere ortus, ac multas insignesque familias paterna nobilitate complexus, claro apud vulgum rumore erat, per virtutem, aut species virtutibus similes. Namque facundiam tuendis civibus exercebat, largitionem adversus amicos, et ignotis quoque comi sermone et congressu. Aderant etiam fortuita, corpus procerum, decora facies: sed procul gravitas morum, aut voluptatum parcimonia: lenitati ac magnificentiæ, et aliquando luxui indulgebat. Idque pluribus probabatur, qui, in tanta vitiorum dulcedine, summum imperium non restrictum, nec perseverum volunt.

GALBA.

Princeps in Hispania assumitur.

Evulgatum imperii arcanum posse Principem alibi, quam Romæ fieri. Hist. I. 4.

Ejus mores et fortuna.

Ser. Galba, quinque Principes prospera fortuna emensus, alieno imperio felicior *fuit*, quam suo. Vetus in familia nobilitas, magnæ opes: ipsi medium ingenium, magis extra vitia quam cum virtutibus. Famæ nec incuriosus nec venditator. Pecuniæ alienæ non appetens, suæ parcus, publicæ avarus. Amicorum libertorumque, ubi in bonos incidisset, sine reprehensione patiens: si mali forent, usque ad culpam ignarus. Sed claritas natalium, et metus temporum obtentui, ut quod segnitia erat, sapientia vocaretur. Dum vigebat ætas, militari laude apud Germanias floruit. Proconsul Africam moderate: jam senior citeriorem Hispaniam pari justitia continuit: major privato visus, dum privatus fuit, et omnium consensu capax imperii, nisi imperasset. Hist I. 49.

Nocuit nimia severitas.

Constat potuisse conciliari animos quantulacumque parci senis liberalitate. Nocuit antiquus rigor, et nimia severitas; cui jam pares non sumus. Hist. I. 18.

Infirmus et credulus senex.

Hiantes, in magna fortuna, amicorum *cupiditates ipsa Galbæ facilitas* intendebat: cum apud infirmum et credulum, minore metu, et majore præmio peccaretur. Hist. I. 12.

Cuncta libertis servisque venalia.

Afferebant venalia cuncta præpotentes liberti: servorum manus subitis avidæ, et tanquam apud senem festinantes. Hist. I. 7.

Pisonem adoptat.

Piso, M. Crasso et Scribonia genitus, nobilis utrimque, vultu habituque moris antiqui, et æstimatione recta severus, deterius interpretantibus tristior habebatur: ea pars morum ejus, quo suspectior solicitis, adoptanti placebat. Hist. I. 14.

OTHO.

Ejus adolescentia.

Otho pueritiam incuriose, adolescentiam petulanter egerat, gratus Neroni æmulatione luxus; eoque jam Poppæam

Sabinam Principale scortum, ut apud conscium libidinum, deposuerat, donec Octaviam uxorem amoliretur: mox suspectum in eadem Poppæa in provinciam Lusitaniam specie legationis seposuit. Otho, comiter administrata provincia, primus in partes *Galbæ* transgressus, nec segnis, et donec bellum fuit, inter præsentes splendidissimus, spem adoptionis statim conceptam, acrius in dies rapiebat: faventibus plerisque militum, prona in eum aula Neronis ut similem. Hist. I. 13.

Ambitione ac libidine ad Principatus desiderium trahitur.

Non erat Othoni mollis et corpori similis animus. Et intimi libertorum servorumque corruptius, quam in privata domo habiti, aulam Neronis et luxus, adulteria, matrimonia, ceterasque regnorum libidines, avido talium, si auderet, ut sua ostentantes; quiescenti, ut aliena exprobrabant. Hist. I. 22.

Dissimulata in Principatu vitia.

Otho contra spem omnium non deliciis, neque desidia torpescere: dilatæ voluptates, dissimulata luxuria, et cuncta ad decorem imperii composita; eoque plus formidinis afferebant falsæ virtutes et vitia reditura. Hist. I. 71.

Morte, quam vita clarior.

Origo illi e municipio Ferentino. Pater consularis, avus prætorius; maternum genus impar, nec tamen indecorum: pueritia ac juventa, qualem monstravimus: duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio, tantumdem apud posteros meruit bonæ famæ, quantum malæ. Hist. II. 50.

VITELLIUS.

Vitellii cum Othone comparatio.

Ante utriusque exitum, quo egregiam Otho famam, Vitellius flagitiosissimam, meruere; minus Vitellii ignavæ voluptates, quam Othonis flagrantissimæ libidines timebantur. Addiderat huic terrorem atque odium cædes Galbæ; contra illi initium belli nemo imputabat. Vitellius ventre et gula sibi ipsi hostis; Otho, luxu, sævitia, audacia, reipublicæ exitiosior ducebatur. Hist. II. 31.

Vitellii gula et torpor.

Torpebat Vitellius, et fortunam Principatus inerti luxu ac prodigis epulis præsumebat, medio diei temulentus et sagina gravis. Hist. I. 62.

Epularum fœda et inexplebilis libido: ex Urbe atque Italia irritamenta gulæ gestabantur, strepentibus ab utroque mari itineribus: exhausti conviviorum apparatibus principes civitatum: vastabantur ipsæ civitates: degenerabat a labore ac virtute miles, assuetudine voluptatum, et contemtu ducis. Hist. II. 62.

Nihil eorum quæ fierent Vitellio anquirente: brevi auditu, quamvis magna transibat, impar curis gravioribus. Hist. II. 59.

Ejus aulæ fœditas.

Nemo in illa aula probitate aut industria certavit: unum ad potentiam iter prodigis epulis, et sumtu ganeaque satiare inexplebiles Vitellii libidines. Ipse abunde ratus, si præsentibus frueretur, nec in longius consultans, novies millies sestertium paucissimis mensibus intervertisse creditur. Hist. II. 95.

Nulla consilia, aut læsura.

Surdæ ad fortia consilia Vitellio aures. Hist. III. 66.

Peritissimos, et si consulerentur, vera dicturos, arcuere intimi amicorum Vitellii, ita formatis Principis auribus, ut aspera, quæ utilia, nec quicquam nisi jucundum et læsurum acciperet. Hist. III. 56.

Morte, ut vita, probrosus.

Vitellius, capta Urbe, per aversam palatii partem, Aventinum in domum uxoris sellula defertur: ut si diem latebra vitavisset, Tarracinam ad cohortes fratremque perfugeret. Dein mobilitate ingenii, et quæ natura pavoris est, cum

omnia metuenti, præsentia maxime displicerent, in palatium regreditur, vastum, desertumque: dilapsis etiam infimis servitiorum, aut occursum ejus declinantibus. Terret solitudo, et tacentes loci: tentat clausa: inhorrescit vacuis: fessusque misero errore, et pudenda latebra semet occultans, ab Julio Placido tribuno cohortis protrahitur. Vinctæ pone tergum manus: laniata veste, fœdum spectaculum ducebatur, multis increpantibus, nullo illacrymante: deformitas exitus misericordiam abstulerat. Obvius e Germanicis militibus Vitellium infesto ictu, per iram, vel quo maturius ludibriis eximeret; an tribunum appetierit, in incerto fuit: aurem tribuni amputavit, ac statim confossus est. Vitellium infestis mucronibus coactum modo erigere os et offerre contumeliis, nunc cadentes statuas suas, plerumque rostra, et Galbæ occisi locum contueri; postremo ad Gemonias, ubi corpus Flavii Sabini jacuerat, propulere. Vox una non degeneris animi excepta, cum tribuno insultanti, se tamen Imperatorem ejus fuisse respondit. Ac deinde ingestis vulneribus, concidit. Et vulgus eadem pravitate insectabatur interfectum, qua foverat viventem. Pater illi L. Vitellius: septimum et quinquagesimum ætatis annum explebat: consulatum, sacerdotia, nomen locumque inter primores, nulla sua industria, sed cuncta patris claritudine adeptus. Principatum ei detulere, qui ipsum non noverant. Studia exercitus raro cuiquam bonis artibus quæsita perinde adfuere, quam huic per ignaviam. Inerat tamen simplicitas ac liberalitas: quæ, ni adsit modus, in exitium vertuntur. Amicitias dum magnitudine munerum, non constantia morum continere putat, meruit magis, quam habuit. Reipublicæ haud dubie intererat, Vitellium vinci: sed imputare perfidiam non possunt, qui Vitellium Vespasiano prodidere, cum a Galba descivissent. Hist. III. 85. et 86.

VESPASIANUS.

Bello egregius, sed avarus, imperium Muciani studiis adeptus.

Vespasianus acer militiæ, anteire agmen, locum castris capere, noctu diuque consilio, ac si res posceret, manu hostibus obniti, cibo fortuito, veste habituque vix a gregario milite discrepans: prorsus, si avaritia abesset, antiquis ducibus par. Mucianum e contrario magnificentia, et opes, et cuncta privatum modum supergressa extollebant: aptior sermone, dispositu provisuque, civilium rerum peritus: egregium Principatus temperamentum, si demtis utriusque vitiis, solæ virtutes temperarentur. Hist. II. 5.

Ejus principatus initia, prioribus similia.

Magna et misera civitas, eodem anno Othonem Vitelliumque passa, inter Vinios, Fabios, Icelos, Asiaticos, varia et pudenda sorte agebat; donec successere Mucianus et Marcellus, et magis alii homines, quam alii mores. Hist. II. 95.

In melius mutatur.

Ambigua de Vespasiano fama: *solusque omnium ante se Principum*, in melius mutatus est. Hist. I. 50.

TITUS.

Ejus ingenium.

Titi ingenium quantæcumque fortunæ capax, decor oris cum quadam majestate: mitis natura. Hist. II. L. IV. 86.

Adolescentia, Principatus.

Neque abhorrebat a Berenice juvenilis animus: sed gerendis rebus nullum ex eo impedimentum: lætam voluptatibus adolescentiam egit, suo quam patris imperio modestior. Hist. II. 2.

DOMITIANUS.

Cæsaris vitia.

Nomen sedemque Cæsaris Domitianus acceperat, nondum ad curas intentus, sed stupris et adulteriis filium Principis agebat. Hist. IV. 2.

Ex paterna fortuna tantum licentiam *usurpabat*. Vit. Agric. VII.

Indomitæ *ejus* libidines timebantur. Hist. IV. 68.

Princeps sævus, deinde atrox.

Domitiani natura præceps in iram, et quo obscurior, eo irrevocabilior. Vit. Agric. XLII.

Infensus virtutibus Princeps. Vit. Agric. XLI.

Domitianus non jam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rempublicam exhausit. . . . Nero tamen subtraxit oculos, jussitque scelera, non spectavit: præcipua sub Domitiano miseriarum pars erat, videre et aspici: cum suspiria nostra subscriberentur: cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret sævus ille vultus et rubor, a quo se contra pudorem muniebat. Vit. Agric. XLV.

Miserrima tum civitas.

Sicut vetus ætas vidit quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute, ademto per inquisitiones et loquendi audiendique commercio. . . . Per quindecim annos, grande mortalis ævi spatium, multi fortuitis casibus, promtissimus quisque sævitia Principis interciderunt. Pauci, et ut ita dixerim, non modo aliorum, sed etiam nostri superstites sumus, exemtis e media vita tot annis, quibus juvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactæ ætatis terminos per silentium venimus. Vit. Agric. II. et III.

NERVA.

Sub egregio Principe, resurgit Roma.

Primo statim beatissimi sæculi ortu Nerva Cæsar res olim dissociabiles *miscuit*, Principatum ac libertatem. Vit. Agric. III.

TRAJANUS.

Princeps optimus.

Auget quotidie felicitatem imperii Nerva Trajanus; nec spem modo ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam, ac robur assumsit. Vit. Agric. III.

Inter Domitiani mala, spes unica fuit durare et Principem Trajanum videre.

Durare in hac beatissimi sæculi luce, ac Principem Trajanum videre, augurio votisque apud nostras aures ominabatur *Agricola*. Vit. Agric. XLIV.

Sub optimo Principe, Romæ felicitas.

Nunc demum redit animus. . . . Non pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium præsentium temporum composuisse. Vit. Agric. III.

Rara temporum felicitate, ubi sentire quæ velis, et quæ sentias dicere licet. Hist. I. 1.

VIII. AULA.

Fortunæ intenta. Inde Tiberius senex Macroni, gratiam Caii juvenis captanti, exprobrabat:

Occidentem ab eo deseri, Orientem spectari. Annal. VI. 47.

Nec certa spes.

Fato et sorte nascendi, ut cetera, ita Principum inclinatio in hos, offensio in illos. Annal. IV. 20.

Ibi cauta magis, quam acria, valent consilia.

Potentiam cautis, quam acribus consiliis, tutius haberi. Annal. XI. 29.

Fluxa aulæ potentia.

Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum, quam fama potentiæ non sua vi nixæ. Annal. XIII. 19.

Sallustius Crispus ætate provecta speciem magis in amicitia Principis, *Augusti*, quam vim tenuit. Idque et Mæcenati acciderat; fato potentiæ raro sempiternæ: an satias capit aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum jam nihil reliquum est, quod cupiant? Annal. III. 30.

In aula, post casum, nulla manet potentiæ reverentia.

Infracta a Nerone Agrippinæ potentia,

statim relictum Agrippinæ limen: Nemo solari, nemo adire, præter paucas fœminas, amore an odio incertum. Annal. xiii. 19.

E nimia potentia, maximum periculum.

Vinius in dies quanto potentior, eodem actu invisior erat. Hist. i. 12.

Nec ibi tuta obscuritas.

Satis clarus est apud timentem, quisquis timetur. Hist. ii. 76.

In aula facetiis abstine.

Facetiarum apud præpotentes in longum memoria est. Annal. v. 2.

Ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt. Annal. xv. 68.

Aula criminationibus et laudibus sæva.

Valens, quanquam bene de partibus meritus, nullo apud Vitellium honore fuit. Secretis eum criminationibus infamaverat Fabius ignarum, et quo incautior deciperetur, palam laudatum. Hist. i. 64.

Pessimum inimicorum genus, laudantes. Vit. Agric. xli.

Qualis in Principes.

Hæc cum assensu audita ab his, quibus omnia Principum honesta atque inhonesta laudare mos est, plures per silentium aut occultum murmur excepere. Annal. ii. 38.

Aulici summa laus.

Inter abruptam contumaciam, et deforme obsequium pergere iter ambitione ac periculis vacuum. Annal. iv. 20.

In Sejano, pessimæ aulici artes.

Tiberium variis artibus devinxit adeo, ut obscurum adversum alios, sibi uni incautum intectumque efficeret, non tam solertia (quippe iisdem artibus victus est) quam Deum ira in rem Romanam, cujus pari exitio viguit, ceciditque. Corpus illi laborum tolerans, animus audax: sui obtegens, in alios criminator: juxta adulatio et superbia: palam compositus pudor, intus summa apiscendi libido: ejusque causa, modo largitio et luxus, sæpius industria ac vigilantia, haud minus noxiæ, quotiens parando regno finguntur. Annal. iv. 1.

ix. CONSILIA.

In imperiis plura consiliis agenda.

Plura in summa fortuna auspiciis et consiliis, quam telis et manibus geri. Annal. xiii. 6.

Consilia Princeps adhibeat.

Quam arduum, quam subjectum fortunæ cuncta regendi onus. Annal. i. 11.

Consiliorum difficultas.

Suadere Principi quod oporteat, multi laboris. Hist. i. 15.

Absit ambitio.

Neque posse Principem sua scientia cuncta complecti; neque expedire, ut ambitione aliena trahatur. Annal. iii. 69.

Absit assentatio.

Assentatio erga Principem quemcumque, sine affectu peragitur. Hist. i. 15.

Pessimi consultores.

Quibus omnia Principum honesta atque inhonesta laudare mos est. Annal. ii. 38.

Absit pavor.

Pavidis consilia in incerto sunt. Annal. iii. 9.

Adsit incorrupta libertas.

Neque in iis, quæ ad rempublicam pertinerent, consilio nisi suo usurum, vel cum periculo offensionis. Annal. i. 8.

Consultoribus tamen ex libertate fama, fortuna ex obsequio.

Illa ætas duo pacis decora simul tulit: sed Labeo incorrupta libertate, et ob id fama celebratior: Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur. Illi, quod præturam intra stetit, commendatio ex injuria; huic quod consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur. Annal. iii. 75.

Cum difficilia sunt tempora, sua est et consultoribus laus.

Lepidum, temporibus illis, gravem et sapientem virum fuisse comperio. Nam pleraque ab sævis adulationibus aliorum, in melius flexit: neque tamen tempera-

menti egebat, cum æquabili auctoritate et gratia apud Tiberium viguerit. Annal. IV. 20.

L. Piso nullius servilis sententiæ sponte auctor, et quotiens necessitas ingrueret, sapienter moderans. Annal. VI. 10.

Sæpe ex consultoribus, Principum vitia.

Vitellius adventu fratris et irrepentibus dominationis magistris, superbior et atrocior. Hist. II. 63.

Ipso Vespasiano, inter initia imperii, ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinato: donec indulgentia fortunæ, et pravis magistris, didicit, aususque est. Hist. II. 84.

X. ROMA.

Romæ dignitas.

Caput rerum Urbem. Hist. II. 32.

Unde in omnia regimen. Annal. III. 47.

Erat grande momentum in nomine Urbis ac prætextu senatus. Hist. I. 76.

Mores Urbis.

Civitas novis sermonibus læta. Hist. IV. 11.

Cuncta interpretans. Hist. II. 91.

Omnium gnara et nihil reticens. Annal. XI. 27.

Rimandis offensis sagax. Hist. IV. 11.

Avida discordiarum. Annal. XVI. 22.

Fœcunda gignendis inimicitiis. Hist. II. 93.

Facilis ad accipienda credendaque omnia nova, cum tristia sunt. Hist. I. 19.

Pavida et servitio parata. Hist. IV. 2.

Sunt procacia Urbanæ plebis ingenia. Hist. III. 32.

Lascivit et furit, nec mala quidem publica miseratur.

Concurrere in campo Martio infestæ *Flavianorum et Vitellianorum* acies. Pro Flavianis fortuna, et parta totiens victoria: Vitelliani desperatione sola ruebant; et quanquam pulsi, rursus in Urbe congregabantur. Aderat pugnantibus spectator populus, utque in ludicro certamine, hos modo, rursus illos clamore et plausu fovebat: quotiens pars altera inclinasset, abditos in tabernis, aut si quam in domum perfugerant, erui jugularique expostulantes, parte majore prædæ potiebantur: nam milite ad sanguinem et cædes obverso spolia in vulgus cedebant. Sæva ac deformis Urbe tota facies: alibi prælia et vulnera; alibi balineæ propinæque: simul cruor et strues corporum: juxta scorta et scortis similes: quantum in luxurioso otio libidinum; quicquid in acerbissima captivitate scelerum: prorsus ut eandem civitatem et furere crederes, et lascivire. Conflixerant ante armati exercitus in Urbe, bis L. Sylla, semel Cinna victoribus, nec tunc minus crudelitatis: nunc inhumana securitas, et ne minimo quidem temporis voluptates intermissæ, velut festis diebus id quoque gaudium accederet, exultabant, fruebantur; nulla partium cura, malis publicis læti. Hist. III. 82. 83.

In adulationem prona, lætatur sceleribus.

Exacto per scelera die, novissimum malorum fuit lætitia. Hist. I. 47.

Corrumpere et corrumpi læta.

Accitam lasciviam, ut quod usquam corrumpi et corrumpere queat, in Urbe visatur. Annal. XIV. 20.

Corrumpere et corrumpi, sæculum vocatur. De morib. German. XIX.

Atrocibus etiam facilis.

Urbem, quo cuncta undique atrocia, aut pudenda, confluunt celebranturque. Annal. XV. 44.

XI. SENATUS.

Senatus dignitas.

Senatus caput imperii, et decora omnium provinciarum. Hist. I. 84.

Senatus populusque, nunquam obscura nomina, etsi aliquando obumbrentur. Hist. II. 32.

Ejus munia.

Publica negotia, et privatorum maxima apud patres tractabantur. Annal. IV. 6.

Fas fuit senatori, ut de bello aut pace, de vectigalibus et legibus, quibusque aliis res Romana continetur, suaderet dissuaderetve. Annal. XIII. 49.

In senatu Principis præsidium. Otho milites alloquens, senatum pro se stantem laudat.

Senatus splendore et gloria sordes et obscuritatem Vitellianarum partium perstringimus. Nationes aliquas occupavit Vitellius, imaginem quandam exercitus habet. Senatus nobiscum est. Sic fit, ut hinc respublica, inde hostes reipublicæ constiterint. Quid? vos pulcherrimam hanc Urbem, domibus et tectis, et congestu lapidum, stare creditis? Muta ista et inanima intercidere ac reparari promiscua sunt: æternitas rerum, et pax gentium, et mea cum vestra salus, incolumitate senatus firmatur. Hunc auspicato a parente et conditore Urbis nostræ institutum, et a regibus usque ad Principes continuum et immortalem, sicut a majoribus accepimus, sic posteris tradamus. Nam ut ex vobis senatores, ita ex senatoribus Principes nascuntur. Hist. I. 84.

Nec sine gratia, nec sine severitate sit.

Senatum neque gratiæ, neque severitatis expertem haberi par *est*. Annal. I. 25.

Senatum dedecet servitus.

Memoriæ proditur, Tiberium quotiens curia egrederetur, Græcis verbis in hunc modum eloqui solitum, 'o homines ad servitutem paratos!' scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam projectæ servientium patientiæ tædebat. Annal. III. 65.

Quandoque nocet multitudo.

Judice ab uno facilius discerni: odium et invidiam apud multos valere. Annal. III. 10.

XII. LEGES.

Legum initia.

Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœna aut coërcitionibus, agebant: neque præmiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur; et ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam exui æqualitas, et pro modestia ac pudore, ambitio et vis incedebat; provenere dominationes: multosque apud populos æternum mansere. Quidam statim, aut postquam regum pertæsum, leges maluerunt. Hæ primo rudibus hominum animis simplices erant. Annal. III. 26.

Qui leges apud Romanos sanxere?

Nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat: dein Numa religionibus et divino jure populum devinxit; repertaque quædam a Tullo et Anco; sed præcipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, quis etiam reges obtemperarent. Annal. III. 26.

Pulsis regibus, statutæ a libertate leges.

Pulso Tarquinio, adversum patrum factiones multa populus paravit tuendæ libertatis, et firmandæ concordiæ: creatique decemviri, et accitis quæ usquam egregia, compositæ duodecim tabulæ, finis æqui juris. Annal. III. 27.

Secutæ leges, plerumque discordes ac violentæ.

Secutæ leges, etsi aliquando in maleficos ex delicto, sæpius tamen dissensione ordinum, et apiscendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava, per vim latæ sunt. Annal. III. 27.

Legum malis incassum opem ferre voluit Pompeius.

Cn. Pompeius tertium consul, corrigendis moribus delectus, et gravior remediis quam delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor, quæ armis tuebatur, armis amisit. Annal. III. 28.

Graviora inde mala.

Exin continua per viginti annos discordia, non mos, non jus: deterrima quæque impune; ac multa honesta exitio fuere. Annal. III. 28.

Quæ tandem composuit Augustus.

Sexto demum consulatu Cæsar Augustus, potentiæ securus, quæ triumviratu jusserat, abolevit; deditque jura, quis pace et Principe uteremur. Annal. III. 82.

Ne temere ferantur, ne impune transcendantur leges.

Si velis quod nondum vetitum est, timeas ne vetere: at si prohibita impune transcenderis, neque metus ultra, neque pudor est. Annal. III. 54.

Leges in facta constitutæ.

Ideo leges in facta constitui, quia futura in incerto sint: sic a majoribus institutum, ut si anteissent delicta, pœnæ sequerentur. Annal. III. 69.

Culpa, quam pœna, tempore prior: emendari, quam peccare, posterius est. Annal. XV. 20.

Egregiæ leges ex delictis.

Usu probatum est leges egregias, exempla honesta, apud bonos ex delictis aliorum gigni. Annal. XV. 20.

In pœnis jus et modus.

Esse pœnas legibus constitutas, quibus sine judicum sævitia, et temporum infamia, supplicia decernerentur. Annal. XIV. 48.

Non quicquid nocens reus pati mereretur, id egregio sub Principe, et nulla necessitate obstricto senatu, statuendum. Annal. XIV. 48.

Legum severitatem excusat utilitas publica.

Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur. Annal. XIV. 44.

Quando multæ leges?

Corruptissima republica, plurimæ leges. Annal. III. 27.

Ut antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. Annal. III. 25.

Acria initia, incuriosus finis.

Acribus, ut ferme talia, initiis, incurioso fine. Annal. VI. 17.

Ubi invalida legum auxilia?

Invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur. Annal. I. 2.

XIII. POPULUS.

Qualis populi Romani animus.

Imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem. Hist. I. 16.

Ejus studia.

Populus novarum rerum cupiens pavidusque. Annal. XV. 46.

Rivalitate gaudet.

Neminem sine æmulo sinit. Annal. XIV. 29.

Vulgi mores.

Vulgus credulum. Hist. IV. 49.

Fingendi avidum. Hist. II. 1.

Pronum ad suspiciones. Hist. II. 21.

Ad deteriora promtum. Annal. XV. 64.

Cujuscumque motus novi cupidum. Hist. I. 80.

Mutabile subitis, et tam pronum in misericordiam, quam immodicum sævitia. Hist. I. 69.

Sine rectore præceps, pavidum, socors. Hist. IV. 37.

Ignavum, et nihil ultra verba ausurum. Hist. III. 58.

Vacuum curis, et sine falsi verique discrimine solitas adulationes edoctum. Hist. II. 90.

Cupiens voluptatum, et si eodem Princeps trahat, lætum. Annal. XIV. 14.

Vulgus in judiciis præceps.

Mos vulgo, quamvis falsis reum subdere. Annal. I. 39.

Fortuitis etiam abutitur.

Qui mos vulgo, fortuita ad culpam trahentes. Annal. IV. 64.

Natura et Fortuna quærulum.

Octavia, Neronis uxor, in Campaniam pulsa est. Inde crebri questus, nec occulti per vulgum, cui minor sapientia, et ex mediocritate fortunæ pauciora pericula sunt. Annal. XIV. 60.

De annona unice solicitum.

Vulgus, alimenta in dies mercari solitum, cui una ex republica annonæ cura. Hist. IV. 38.

Extremorum tamen malorum metu mæstum.

Duos omnium mortalium impudicitia,

ignavia, luxuria deterrimos, velut ad perdendum imperium fataliter electos, non senatus modo et eques, quis aliqua pars et cura reipublicæ, sed vulgus quoque palam mœrere. Hist. i. 50.

Vulgi audacia, aut pavor.

Fortioribus remediis agendum: nihil in vulgo modicum: terrere, ni paveant: ubi pertimuerint, impune contemni. Annal. i. 29.

Quod audacia turbidum, vi coërcendum.

Augustus, rerum potitus, ob magnitudinem populi, ac tarda legum auxilia, sumsit e consularibus qui coërceret servitia, et quod civium audacia turbidum, nisi vim metuat. Annal. vi. 11.

xiv. COLONIÆ.

Condendarum coloniarum optima primum ratio.

Olim universæ legiones deducebantur cum tribunis, et centurionibus, et suis cujusque ordinis militibus, ut consensu et caritate rempublicam efficerent. Annal. xiv. 27.

Postea neglecta est.

Deducebantur ignoti inter se, diversis manipulis, sine affectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis, quam colonia. Annal. xiv. 27.

Quæ inde secuta vitia.

Veterani Tarentum et Antium ascripti, non tamen infrequentiæ locorum subvenere, dilapsis pluribus in provincias, in quibus stipendia expleverant. Neque conjugiis suscipiendis, neque alendis liberis sueti, orbas sine posteris domos relinquebant. Annal. xiv. 27.

Coloniis infensi hostes.

Britanni sparsos per castella milites consectati, expugnatis præsidiis, ipsam coloniam invasere, ut sedem servitutis. Vit. Agric. xvi.

Colonia Camulodunum valida veteranorum manu deducitur in agros captivos, subsidium adversus rebelles, et imbuendis sociis ad officia legum. Annal. xii. 32.

xv. TRIBUTA, VECTIGALIA.

Tributorum necessitas.

Neque quies gentium, sine armis; neque arma, sine stipendiis; neque stipendia, sine tributis haberi queunt. Hist. iv. 74.

Centesimam rerum venalium post bella civilia institutam deprecante populo, edixit Tiberius militare ærarium eo subsidio niti. Annal. i. 78.

Iis provideat Princeps.

Ne provinciæ novis oneribus turbarentur, utque vetera sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent, providebat *Tiberius.* Corporum verbera, ademtiones bonorum aberant. Annal. iv. 6.

Temperandæ publicanorum cupidines, non tollenda vectigalia.

Crebris populi flagitationibus immodestiam publicanorum arguentis, dubitavit Nero, an cuncta vectigalia *omitti juberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret.* Sed impetum ejus, multum prius laudata magnitudine animi, attinuere senatores, dissolutionem imperii docendo, si fructus, quibus respublica sustineretur, deminuerentur. Quippe, sublatis portoriis, sequens, ut tributorum abolitio expostularetur. Plerasque vectigalium societates a consulibus et tribunis plebis constitutas, acri etiam populi Romani tum libertate. Reliqua mox ita provisa, ut ratio quæstuum et necessitas erogationum inter se congruerent. Temperandas plane publicanorum cupidines, ne per tot annos sine querela tolerata, novis acerbitatibus ad invidiam verterent. Annal. xiii. 50.

Parcimonia sit, ne gliscant scelera.

Ærarium si ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit. Annal. ii. 38.

Quibusdam populis non tributa, sed viri indicebantur.

Batavi gloriabantur sibi non tributa,

sed virtutem et viros indici: proximum id libertati. Hist. v. 25.

Batavis manet honos, et antiquæ societatis insigne: nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit: exemti oneribus et collationibus, et tantum in usum præliorum sepositi, velut tela atque arma, bellis reservantur. De Morib. German. xxix.

Equitum Romanorum societatibus agitabantur vectigalia.

Frumenta, et pecuniæ vectigales, cetera publicorum fructuum, societatibus equitum Romanorum agitabantur. Annal. iv. 6.

xvi. PROVINCIARUM RECTORES.

Provinciæ rector domum suam primum coërceat.

Julius Agricola a se suisque orsus, primam domum suam coërcuit; quod plerisque haud minus arduum est, quam provinciam regere: nihil per libertos servosque publicæ rei. Vit. Agric. xix.

Alienæ famæ consulat.

Rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos, quam fecisse. Vit. Agric. vii.

Officiis non peccaturos præponat.

Officiis et administrationibus potius non peccaturos præponere, quam damnare, cum peccassent. Vit. Agric. xix.

Vigil sit, ac cautus.

Omnia scire, non omnia exequi. Vit. Agric. xix.

Moderatus in pœna.

Parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare: nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia contentus esse. Vit. Agric. xix.

Intempestivis delictorum remediis abstineat.

Felix intempestivis remediis delicta accendebat. Annal. xii. 54.

Nec favorem captet, nec offendat.

Plura sæpe peccantur, dum demeremur, quam dum offendimus. Annal. xv. 21.

In exigendis tributis æqualis.

Frumenti et tributorum auctionem æqualitate munerum mollire, circumcisis, quæ in quæstum reperta, ipso tributo gravius tolerabantur. Vit. Agric. xix.

Idem sit administrationis tenor.

Initia magistratuum nostrorum meliora ferme, finis inclinat. Annal. xv. 21.

Nec necesse est ut emineat, sed par sit negotiis.

Poppæus Sabinus, modicus originis, Principum amicitia consulatum ac triumphale decus adeptus; maximisque provinciis per quatuor et viginti annos impositus, nullam ob eximiam artem, sed quod par negotiis, neque supra erat. Annal. vi. 39.

In Agricola egregium exemplar.

Tempora curarum remissionumque divisa: ubi conventus ac judicia poscerent, gravis, intentus, severus, et sæpius misericors: ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona, tristitiam, et arrogantiam, et avaritiam exuerat; nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem deminuit. Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre, injuria virtutum fuerit. Vit. Agric. ix.

xvii. MILITIA.

Lectus olim miles, non emtus.

Galbæ vox pro republica honesta, ipsi anceps, legi a se militem, non emi. Hist. i. 5.

Voluntario militi non eadem virtus.

Voluntarium militem non eadem virtute ac modestia agere: quia plerumque inopes ac vagi sponte militiam sumunt. Annal. iv. 4.

Non ex commendatione, sed optimus, probetur.

Julius Agricola non studiis privatis, nec ex commendatione, aut precibus centurionum, milites ascire, sed optimum quemque fidelissimum putare. Vit. Agric. xix.

Aliter subvertitur militiæ decus.

Sub Vitellio Principe, convulsum cas-

tiorum decus, viginti millibus e toto exercitu permixtis magis, quam electis. Hist. II. 94.

Cum milite abstinendum contumelia.

Militi insolens contumeliæ animus. Hist. II. 8.

Si justa orat, ne contradicas.

Preces erant, sed quibus contradici non posset. Hist. IV. 46.

Ejus libidinem facilitate ne accendas.

Flaccus multa concedendo nihil aliud effecerat, quam ut acrius exposcerent, quæ sciebant negaturum. Hist. IV. 19.

Decora militis sedes, castra.

Proprium esse militis decus, in castris: illam patriam, illos penates. Hist. III. 84.

Extra castra corrumpitur.

Inter paganos corrupitor miles. Hist. I. 53.

Segnem ac desidem, et circo ac theatris corruptum militem increpabant. Hist. II. 21.

Emtis præsertim vacationibus depravatur.

Vacationes præstari centurionibus solitas gregarius miles ut tributum annuum pendebat. Quarta pars manipuli per commeatus, aut in ipsis castris vaga, dum mercedem centurioni exsolveret, neque modum oneris quisquam, neque genus quæstus pensi habebat; per latrocinia et raptus, aut servilibus ministeriis, militare otium redimebant. Tum locupletissimus quisque miles, labore ac sævitia fatigari, donec vacationem emeret: ubi sumtibus exhaustus, socordia insuper elanguerat, inops pro locuplete, et iners pro strenuo, in manipulum redibat: ac rursus alius atque alius, eadem egestate ac licentia corrupti, ad seditionem et discordias, et ad extremum, bella civilia ruebant. Hist. I. 46.

Otho, ne vulgi largitione, centurionum animos averteret, ex fisco suo vacationes annuas exsoluturum promisit: rem haud dubie utilem, et a bonis postea Principibus, perpetuitate disciplinæ, firmatam. Hist. I. 46.

Pace longa mollescit.

Syria transmotæ legiones, pace longa segnes munia Romanorum ægerrime tolerabant. Annal. XIII. 35.

Satis constitit fuisse in eo exercitu veteranos, qui non stationem, non vigilias inissent; vallum fossamque quasi nova et mira viserent; sine galeis, sine loricis, nitidi et quæstuosi, militia per oppida expleta. Annal. XIII. 35.

Tum pronus est ad discordias.

Quantum hebes ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias promtior. Hist. II. 99.

Et hoste ipso difficilior.

Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum, quam contra perfidiam hostium erat. Annal. XIII. 35.

Ducis exemplo et severitate emendatur.

Corbulo, dimissis quibus senecta, aut valetudo adversa erat, supplementum petivit. Et habiti per Galatiam ac Cappadociam delectus. Adjectaque ex Germania legio cum equitibus alariis et peditatu cohortium: retentusque *omnis* exercitus sub *pellibus, quamvis* hyeme sæva adeo ut obducta glacie, nisi effossa, humus tentoriis locum non præberet. Ambusti multorum artus vi frigoris, et quidam inter excubias exanimati sunt. Annotatusque miles, qui fascem lignorum gestabat, ita præriguisse manus, ut oneri adhærentes truncis brachiis deciderent. Ipse cultu levi, capite intecto, in agmine, in laboribus, frequens adesse: laudem strenuis, solatium invalidis, exemplum omnibus ostendere. Dehinc quia duritiam cœli militiæque multi abnuebant, deserebantque, remedium severitate quæsitum est. Nec enim, ut in aliis exercitibus, primum alterumque delictum venia prosequebatur, sed qui signa reliquerat, statim capite pœnas luebat. Idque usu salubre, et misericordia melius apparuit: quippe pauciores illa castra deseruere, quam ea in quibus ignoscebatur. Annal. XIII. 35.

Divide exercitus, ne corrumpantur.

Longis spatiis discreti exercitus, quod

saluberrimum est ad continendam militarem fidem, nec vitiis, nec viribus miscebantur. Hist. I. 9.

Qui infringit virtutem exercitus, perfidiæ suspectus est.

Perfidiam meditanti, infringere exercitus virtutem inter artes erat. Hist. II. 99.

Nec difficilis corrumpi miles.

Piso largitione, ambitu, infimos manipularium juvando, cum veteres centuriones, severos tribunos demoveret, locaque eorum clientibus suis, vel deterrimo cuique attribueret, desidiam in castris, licentiam in urbibus, vagum ac lascivientem per agros militem sineret, eo usque corruptionis provectus est, ut sermone vulgi, parens legionum haberetur. Annal. II. 55.

Decimato quoque exercitu, restituitur virtus.

Cohors Romana in Africa coram Tacfarinate terga dederat. L. Apronius magis dedecore suorum, quam gloria hostis anxius, raro ea tempestate, et e vetere memoria facinore, decimum quemque ignominiosæ cohortis sorte ductos, fusti necat. Tantumque severitate profectum, ut vexillum veteranorum non amplius quingenti numero easdem Tacfarinatis copias fuderint. Annal. III. 21.

Cum decimatur exercitus, etiam strenui sortiuntur.

Nam et ex fuso exercitu, cum decimus quisque fusti feritur, etiam strenui sortiuntur. Annal. XIV. 44.

Severitatem legis excusat utilitas publica.

Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependitur. Annal. XIV. 44.

Militum obsequio res militaris continetur.

Imus ad bellum. Num omnes nuntios palam audiri, omnia consilia cunctis præsentibus tractari, ratio rerum, aut occasionum velocitas patitur? Tam nescire quædam milites, quam scire oportet. Ita se ducum auctoritas, sic rigor disciplinæ habet, ut multa etiam centuriones tribunosque tantum juberi expediat. Si, ubi jubeantur, quærere singulis liceat; pereunte obsequio, etiam imperium intercidit. Hist. I. 83.

Parendo potius, commilitones, quam imperia ducum sciscitando, res militares continentur: et fortissimus in ipso discrimine exercitus est, qui ante discrimen quietissimus. Vobis arma et animus sit: mihi consilium, et virtutis vestræ regimen relinquite. Hist. I. 84.

Sine obsequio ne prodest quidem virtus.

Obsequium et parendi amor solum partibus Othonianis defuit, cum virtutis haud pœniteret. Hist. II. 19.

Militum vitia.

Miles periculi, quam moræ patientior. Quippe ingrata, quæ tuta; ex temeritate spes: omnesque cædes, et vulnera, et sanguis aviditate prædæ pensabantur. Hist. III. 26.

Ignavissimus quisque, et, ut res docuit, in periculo non ausurus, nimii verbis, linguæ feroces. Hist. I. 35.

Illi modo cauti ac sapientes, promti, post eventum ac magniloqui erant. Vit. Agric. XXVII.

XVIII. DUX.

Quæ propriæ sint ducis artes?

Ratio et consilium, propriæ ducis artes. Hist. III. 20.

Divisa inter exercitum ducesque munia: militibus cupidinem pugnandi convenire; duces providendo, consultando, cunctatione sæpius, quam temeritate, prodesse. Hist. III. 20.

Militum favorem, sed per bonas artes, quærat.

Militum favorem, ut largitione et ambitione male acquiri, ita per bonas artes haud spernendum. Hist. I. 17.

Nec nocet tempestiva severitas.

Ferunt militem, quia vallum non accinctus, atque alium, quia pugione tantum accinctus foderet, *a Corbulone*

morte punitos; quæ nimia, et incertum an falso jacta, originem tamen e severitate ducis traxere; intentumque et magnis delictis inexorabilem scias, cui tantum asperitatis etiam adversus levia credebatur. Annal. XI. 18.

Ducem dedecet socordia.

Silvanus socors bello, et dies rerum bello terens. Hist. III. 30.

Exitiosa est avaritia.

Valens, ob lucra et quæstus infamis, eoque alienæ etiam culpæ dissimulator. Hist. II. 56.

Quæ cunctatione peccavit, corrigat virtute.

Si cunctatione deliqui, virtute corrigam. Annal. XV. 2.

Si facundia non adsit, suppleat auctoritas.

Corbulo magna auctoritate, quæ viro militari pro facundia erat. Annal. XV. 26.

Consulat, ut valeat.

Omnia inconsulti impetus cœpta, initiis valida, spatio languescunt. Hist. III. 58.

Ne nimis consulat.

Fabius Valens, inutili cunctatione, agendi tempora consultando consumsit: mox utrumque consilium aspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur, nec ausus est satis, nec providit. Hist. III. 40.

At constans sit in consiliis.

Eludi Parthus tractu belli poterat, si Pæto aut in suis aut in alienis consiliis constantia fuisset. Verum ubi a viris militaribus adversus urgentes casus firmatus erat, rursus, ne alienæ sententiæ indigus videretur, in diversa ac deteriora transibat. Annal. XV. 10.

Ne sit vanus et pervicax.

Lago, ignarus militarium animorum, consiliique quamvis egregii, quod non ipse afferret, inimicus, et adversus peritos pervicax. Hist. I. 26.

Consilia exploret.

Paucis decus publicum curæ: plures tuta disserunt. Annal. XII. 48.

Periculo explorantur.

Consilium ab omnibus datum est, periculum pauci sumsere. Hist. III. 69.

Nocet consiliis aulæ distantia.

Ex distantibus terrarum spatiis, consilia post res afferebantur. Hist. III. 8.

Nocent simultates.

Julius Classicianus, Suetonio discors, bonum publicum privatis simultatibus impediebat. Annal. XIV. 38.

Nocent afflictæ res.

In metu consilia prudentium, et vulgi rumor, juxta audiuntur. Hist. III. 58.

Quod in perditis rebus accidit, omnes præcipere, nemo exequi. Hist. III. 73.

Cuncta metu extollentes, facili credulitate eorum, qui eadem pavebant. Annal. XV. 11.

Ut evenit in consiliis infelicibus, optima videbantur, quorum tempus effugerat. Hist. I. 39.

Afflictis rebus cito succurrendum.

Vitellius, fractis apud Cremonam rebus, nuntios cladis occultans, stulta dissimulatione remedia potius malorum, quam mala, differebat. Quippe confitenti consultantique supererant spes viresque: cum e contrario læta omnia fingeret, falsis ingravescebat. Hist. III. 54.

Duci infensa semper, adversa.

Iniquissima hæc bellorum conditio est: prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. Vit. Agric. XXVII.

Infensa sæpe et prospera.

Militaris gloriæ cupido, ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama, quam ex mala. Vit. Agric. V.

Sunt quoque ducibus sua vitia.

Rebus secundis etiam egregios duces insolescere. Hist. II. 7.

Non tamen culpanda in duce inania.

Corbulo omnium ora in se verterat, corpore ingens, verbis magnificus, et super experientiam sapientiamque, etiam specie inanium validus. Annal. XIII. 8.

Studia militum in Cæcinam inclinabant; super benignitatem animi qua promtior habebatur, etiam vigore ætatis,

proceritate corporis, et quodam inani favore. Hist. II. 30.

At odiosa est jactantia.

Antonius, nimius commemorandis quæ meruisset, alios ut imbelles increpat. Unde paulatim levior viliorque haberi. Hist. IV. 80.

Odiosior, et flagitii reus, qui publica ruina sua dedecora operit.

Cæcina decora juventa, corpore ingens, animi immodicus, cito sermone, erecto incessu, studia militum illexerat. Hunc juvenem Galba quæstorem in Bætica, impigre in partes suas transgressum legioni præposuit: mox compertum pecuniam publicam avertisse, ut peculatorem flagitari jussit. Cæcina ægre passus, miscere cuncta, et privata vulnera, reipublicæ malis operire statuit. Hist. I. 53.

Lucilius Bassus Ravennati simul ac Misenensi classibus a Vitellio præpositus, quod non statim præfecturam prætorii adeptus foret, iniquam iracundiam flagitiosa perfidia ulciscebatur. Hist. II. 100.

Tanti flagitii causæ.

Nobis super insitam levitatem, et prodito Galba mox vilem fidem, æmulatione etiam invidiaque, ne ab aliis apud Vitellium anteirentur, pervertisse ipsum Vitellium videntur. Hist. II. 100.

Varia ducum ingenia.

Suetonius Paullinus diligens ac moderatus dux, cunctator natura, et cui cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu placerent. Vit. Agric. V. Hist. II. 25.

Germanicus, optimi ducis imago. Suorum animos explorat.

Nocte cœpta, egressus augurali, per occulta et vigilibus ignara, comite uno, contectus humeros ferina pelle, adit castrorum vias, assistit tabernaculis, fruiturque fama sui: cum hic nobilitatem ducis, decorem alius, plurimi patientiam, comitatem, per seria, per jocos eundem animum laudibus ferrent: reddendamque gratiam in acie faterentur. Annal. II. 13.

Cuncta hostium noverat.

Nihil ex iis Cæsari incognitum: consilia, locos, promta, occulta noverat, astusque hostium in perniciem ipsis vertebat. Annal. II. 20.

Ardua sibi, leviora aliis seponebat.

Quod arduum sibi; cetera legatis permisit. Annal. II. 20.

Eo extincto, dolor.

Indoluere exteræ nationes regesque; tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes; visuque et auditu juxta venerabilis, cum magnitudinem et gravitatem summæ fortunæ retineret, invidiam et arrogantiam effugerat. Funus sine imaginibus et pompa, per laudes, et memoriam virtutum ejus celebre fuit. Et erant qui formam, ætatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adæquarent. Nam utrumque corpore decoro, genere insigni, haud multum triginta annos egressum, suorum insidiis externas inter gentes occidisse; sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, uno matrimonio, certis liberis egisse: neque minus præliatorem, etiamsi temeritas abfuerit, præpeditusque sit perculsas tot victoriis Germanias servitio premere quod si solus arbiter rerum, si jure et nomine regio fuisset, tanto promtius assecuturum gloriam militiæ, quantum clementia, temperantia, ceteris bonis artibus præstitisset. Annal. II. 72. 73.

XIX. PAX.

Bonis artibus indiget.

In turbas ac discordias pessimo cuique plurima vis: pax et quies bonis artibus indigent. Hist. IV. 1.

Eam curet Princeps.

Æquitate, quam sanguine, causa, quam armis, retinere parta majoribus malueram. Annal. XV. 2.

Firmet sapientia.

Lætiore Tiberio, quia pacem sapientia firmaverat, quam si bellum per acies confecisset. Annal. II. 64.

Honesta sit.

Consuluit inter primores civitatis Nero,

bellum anceps, an pax inhonesta placeret. Nec dubitatum de bello. Annal. xv. 25.

Misera pace potius est bellum.

Miseram pacem vel bello bene mutari. Annal. iii. 44.

Miseram servitutem falso pacem vocari. Hist. iv. 17.

Intuta, quæ indecora. Hist. i. 33.

Ex nimia pace periculum.

Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt: idque jucundius, quam tutius fuit: quia inter impotentes et validos falso quiescas: ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt. De Morib. German. xxxvi.

Ex prœliis pax et securitas.

Langobardos paucitas nobilitat, quod plurimis ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed prœliis et periclitando tuti sunt. De Morib. German. xl.

Ea franguntur militares animi; corrumpitur disciplina.

Bello Othoniano motæ Urbis curæ: nullus ordo metu, aut periculo vacuus: primores senatus ætate invalidi, et longa pace desides; segnis et oblita bellorum nobilitas; ignarus militiæ eques; quanto magis occultare et abdere pavorem nitebantur, manifestius pavidi. Nec deerant e contrario, qui ambitione stolida, conspicua arma, insignes equos, quidam luxuriosos apparatus conviviorum et irritamenta libidinum ut instrumenta belli, mercarentur. Hist. i. 88.

Invisa est nobilitati.

Cui in pace durius est servitium. Annal. xi. 10.

Nec industriam exerit.

Militares artes per otium ignotæ; industriosque et ignavos pax in æquo tenet. Annal. xii. 12.

xx. BELLUM.

Præcipuæ bellorum causæ.

Opes.

Maximum discrimen, penes quos aurum et opes, præcipuæ bellorum causæ. Hist. iv. 74.

Regum gloria.

Sua retinere, privatæ domus: de alienis certare, regiam laudem esse. Annal. xv. 1.

Vis.

Id in summa fortuna æquius, quod validius. Annal. xv. 1.

Morum diversitas.

Ex diversitate morum crebra bella. Hist. v. 12.

Bellorum necessitas.

Non ignavia, magna imperia contineri: virorum armorumque faciendum certamen. Annal. xv. 1.

Alii bellum sumunt, alii gerunt.

Sumi bellum etiam ab ignavis, strenuissimi cujusque periculo geri. Hist. iv. 69.

Quomodo exploranda belli consilia.

Omnes, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an, quod inchoatur, reipublicæ utile, ipsis gloriosum, aut promtum effectu, aut certe non arduum sit. *Simul ipse, qui* suadet, *considerandus est, adjiciatne consilio* periculum suum: et, si fortuna cœptis adfuerit, cui summum decus acquiratur. Hist. ii. 76.

Initia in bellis multum valent.

Ut initia belli provenissent, famam in cetera fore. Hist. ii. 20.

Bella tædio moraque sæpe corrupta.

Multa bella impetu valida, per tædia et moras evanuisse. Hist. ii. 32.

Pecunia quoque corrumpuntur.

Neminem adeo in arma promtum, ut non idem pretium quietis, quam periculi malit. Hist. iv. 76.

Sæpe in trahendo bello magna laus.

Corbulo legiones duas cum Verulano Severo et Vettio Bolano subsidium Tigrani mittit, occulto præcepto, compositius cuncta, quam festinantius agerent: quippe bellum habere, quam gerere, malebat. Annal. xv. 3.

Insidiis utitur Corbulo.

Nec irritæ, aut degeneres insidiæ

fuere adversus transfugam et violatorem fidei. Annal. XI. 19.

Concordia agendum.

Commune periculum concordia propulsandum. Vit. Agric. XXIX.

Rebus turbatis, malum extremum discordia. Annal. IV. 49.

Summa sit annonæ cura.

Exercitum sine copiis retineri non posse. Hist. II. 32.

Bellorum egregius finis.

Bellorum egregios fines, quoties ignoscendo transigatur. Annal. XII. 19.

Ita majoribus placitum, quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum: nam triumphos populis regnisque integris acquiri. Annal. XII. 20.

XXI. VICTORIA.

Magnifica sine civium sanguine.

Ingens victoriæ decus citra Romanum sanguine bellanti. Vit. Agric. XXXV.

Provinciarum sanguine quæsita.

Provinciarum sanguine provincias vinci. Hist. IV. 17.

Imperiosa est.

Victoriæ rationem non reddi. Hist. IV. 14.

Omnia ei prona.

Omnia prona victoribus. Hist. III. 64.

Ne gliscat tamen temeritas.

Quod inconditam nuper Valentini manum contra spem suam fuderint, alimentum illis ducique temeritatis. Hist. IV. 76.

Diffidat, et victos caveat.

Victos et victores nunquam solida pace coalescere. Hist. II. 7.

Haud facile continentur victi.

Metus et terror, infirma vincula caritatis: quæ ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient. Vit. Agric. XXXII.

Animosa etiam est clades.

Plus impetus, majorem constantiam penes miseros esse. Vit. Agric. XV.

Unde victis spes?

Unicum victis in consensu levamentum. Hist. II. 84.

Ex discordia periculum.

Res adversæ discordiam peperere. Hist. IV. 37.

Quando occurrendum discrimini?

Si cadere necesse sit, occurrendum discrimini. Hist. I. 33.

Fortiter cadentibus laus est.

Vitelliani, quanquam numero fatoque dispares, inquietare victoriam, morari pacem, domos arasque cruore fœdare. Multi semianimes super turres et propugnacula mœnium exspiravere. Convulsis portis, reliquus globus obtulit se victoribus; et cecidere omnes contrariis vulneribus, versi in hostem: ea cura etiam morientibus decori exitus fuit. Hist. III. 84.

Inest et victis sua majestas.

Agmen legionum intra Bovillas stetit. Nec cunctatus est Vitellius seque et cohortes arbitrio victoris permittere. Et miles infelicia arma, haud minus ira, quam metu abjecit. Longus deditorum ordo, septus armatis, per Urbem incessit: nemo supplici vultu, sed tristes et truces, et adversum plausus ac lasciviam insultantis vulgi immobiles. Paucos erumpere ausos, circumjecti pressere: ceteri in custodiam conditi. Nihil quisquam locutus indignum, et quanquam inter adversa, salva virtutis fama. Hist. IV. 2.

Temperare victoriæ summa laus est et felicitas.

Rem Romanam huc satietate gloriæ provectam, ut externis quoque gentibus quietem velit. Annal. XII. 11.

XXII. SEDITIONES.

Seditionum causæ.

Cupiditas vel *odium* multos exercitus in discordiam egere. Hist. I. 83.

Parva sæpe initia.

Parvo initio, unde nihil timebatur, orta seditio, prope Urbi excidio fuit. Hist. I. 80.

Etiam ludicra.

Orta seditio, ludicra initio. Hist. II. 68.

E periculo incitamentum.

In ejusmodi consiliis periculosius est deprehendi, quam audere. Vit. Agric. XV.

Principiis obsta.

Modicis remediis, primos motus considere. Annal. XIV. 61.

Glisce consiliis.

Incipiens adhuc et nondum adulta seditio, melioribus consiliis flectitur. Hist. I. 31.

Paucorum pœna utilis.

Non aliud gliscentis discordiæ remedium, quam si unus alterve maxime promti subvertantur. Annal. IV. 17.

Carptim etiam et singulos punire juvat.

Quibus ætas et justa stipendia, dimissi cum honore, alii ob culpam, sed carptim ac singuli: quo tutissimo remedio consensus multitudinis extenuatur. Hist. IV. 46.

In seditionibus difficilis prima vox.

Quod in re tali difficillimum est, prima vox, dum animo spes, timor, ratio, casus obversantur. Hist. II. 80.

Ubi erupit, fervet.

Plurimum valet prima indignatio. Hist. I. 33.

Omnium deinde impetus.

Quod in seditionibus accidit, unde plures erant, omnes fuere. Hist. I. 56.

Exemplo vigent.

Legiones, solenni Kalendarum Januariarum sacramento pro Galba adactæ multa cunctatione, et raris primorum ordinum vocibus: ceteri silentio, proximi cujusque audaciam expectantes; insita mortalibus natura, propere sequi, quæ piget inchoare. Hist I. 55.

Tunc periculum ex singulis.

Fluxam per discordias militum fidem, et periculum ex singulis. Quid enim profuturas cohortes alasque, si unus alterque præsenti facinore ex diverso præmium petat?—Facilius universos impelli, quam singulos vitari. Hist. II. 75.

XXIII. BELLA CIVILIA.

Quibus artibus gerantur.

Arma civilia neque parari possunt, neque haberi per bonas artes. Annal. I. 9.

Iis obnoxia nova imperia.

Opportunos magnis conatibus transitus rerum. Hist. I. 21.

Ea aversantur optimi, sectantur pessimi.

Optimus quisque remedium præsentis licentiæ poscit; vulgus seditionibus et ambitioso imperio lætum, per turbas et raptus facilius ad civile bellum trahitur. Hist. I. 83.

Sapientibus quietis et reipublicæ cura; levissimus quisque, et futuri improvidus, spe vana tumens. Multi afflicta fide in pace, ac turbatis rebus alacres, et per incerta tutissimi. Hist. I. 88.

Egestate ac licentia corrupti, ad seditiones et discordias, et ad extremum, bella civilia ruebant. *Hist. I.* 47.

Mobilissimum quemque ingenio, aut pecuniæ indigum, et in novas cupiditates præcipitem alliciendo. Hist. I. 24.

Accenduntur facilius, quam temperantur.

Duces partium, accendendo civili bello acres, temperandæ victoriæ impares: quippe in turbas et discordias pessimo cuique plurima vis: pax et quies bonis artibus indigent. Hist. IV. 1.

In iis multa militis licentia.

Civilibus bellis plus militibus, quam ducibus, licere. Hist. II. 29.

Magna pecuniarum vis.

Pecunias esse belli civilis nervos. Hist. II. 84.

Immensam pecuniam inter civiles discordias ferro validiorem. Hist. *II.* 32.

Valet primum fortuna.

Initia bellorum civilium fortunæ permittenda; victoriam consiliis et ratione perfici. Hist. III. 60.

Valet quoque temeritas.

Nec cunctatione opus, ubi perniciosior

sit quies, quam temeritas. Hist. i. 21.

Magnum et famæ pondus.

Mucianus cum expedita manu, socium magis imperii, quam ministrum agens, non lento itinere, ne cunctari videretur, neque tamen properans, gliscere famam ipso spatio sinebat: gnarus modicas vires sibi, et majora credi de absentibus. Hist. ii. 83.

Non ita difficilis consensus.

Facilior inter malos consensus ad bellum, quam in pace ad concordiam. Hist. i. 54.

Bellis civilibus resolvitur severitas disciplinæ.

Severitatem disciplinæ, in pace inexorabilem, discordiæ civium resolvunt, paratis utrimque corruptoribus, et perfidia impunita. Hist. i. 51.

xxiv. FORTUNA.

Instabilis est fortuna.

Magna documenta instabilis fortunæ, summaque et ima miscentis. Hist. iv. 47.

Fortunæ diffide.

Quanto plura recentium, seu veterum revolvo, tanto ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur. Annal. iii. 18.

Cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico *dictitabat Tiberius*. Annal. i. 72.

Magna fortuna multum periclitatur.

Magnæ fortunæ pericula. Annal. iv. 13.

Minus, fortuna mediocris.

Ex mediocritate fortunæ, pauciora pericula sunt. Annal. xiv. 60.

Multi fortunam festinatione corrumpunt.

Brutidium, artibus honestis copiosum, et, si rectum iter pergeret, ad clarissima quæque iturum, festinatio exstimulabat, dum æquales, dein superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat: quod multos etiam bonos pessum dedit, qui, spretis quæ tarda cum securitate, præmatura vel cum exitio properant. Annal. iii. 66.

Quibusdam loco virtutum est.

Quibusdam fortuna pro virtutibus fuit. Hist. ii. 82.

Male parta, sæpe in perniciem vertit.

Læta ad præsens male parta, mox in perniciem vertere. Hist. iii. 6.

Quo quis altiora cupit, eo magis periclitatur.

Esse privatis cogitationibus regressum; et prout velint, plus minusve sumi ex fortuna: imperium cupientibus, nihil medium inter summa et præcipitia. Hist. ii. 74.

Vel deliberare, crimen est.

Qui deliberant, desciverunt. Hist. ii. 77.

ADVERSÆ RES.

Molliunt animos.

Sunt molles in calamitate mortalium animi. Annal. iv. 68.

Mentem turbant.

Res adversæ consilium adimunt. Annal. xi. 32.

Solitudinem faciunt.

Prosperis Vitellii rebus certaturi ad obsequium, adversam ejus fortunam ex æquo detrectabant. Hist. ii. 97.

Plerumque sunt intutæ.

Ferme intuta sunt adversa. Annal. xii. 36.

Loquaces sunt.

Mœsta, ubi semel prorupere, difficilius reticentur. Annal. iv. 69.

Constanter sunt ferendæ.

Majore animo tolerari adversa, quam relinqui: fortes et strenuos, etiam contra fortunam, insistere spei: timidos et ignavos ad desperationem formidine properare. Hist. ii. 46.

Levantur prioris fortunæ memoria.

Læta aliqua viderant, et præsentem sævitiam melioris olim fortunæ recordatione allevabant. Annal. xiv. 63.

Nimius honos inter secunda, rebus adversis in solatium cessit. Hist. ii. 59.

Corruptæ oraculorum interpretationibus.

Vulgus, more humanæ cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur. Hist. v. 13.

SECUNDÆ RES.

Est et secundis rebus discrimen.

Adversas res expertus, cum maxime discam ne secundas quidem minus discriminis habere. Hist. I. 29.

Explorant animos.

Secundæ res acrioribus stimulis animos explorant: quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. Hist. I. 15.

Felicitas in socordiam *vertit.* Vit. Agric. XXXI.

Non e fortuna, sed ex usu fortunæ, felicitas aut miseria.

Multos, qui conflictari adversis videantur, beatos; ac plerosque, quanquam magnas per opes, miserrimos: si illi gravem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur. Annal. VI. 22.

In brevi fortuna difficilis modus.

Difficilius est temperare felicitati, qua te non putes diu usurum. Hist. II. 47.

Recens fortuna invidiæ obnoxia, ni sit modesta.

Insita mortalibus natura recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere, modumque fortunæ a nullis magis exigere, quam quos in æquo videre. Hist. II. 20.

XXV. FAMA.

Virtutem alit.

Optimos mortalium altissima cupere. Annal. IV. 38.

Contemtu famæ contemni virtutes. Annal. IV. 38.

In novis cœptis valida.

Magna motæ rei fama plurimum in novis cœptis valet. Annal. XV. 59.

Fama in novis cœptis validissima. Annal. XIII. 8.

Negatis honoribus crescit.

Negatus honor gloriam intendit. Annal. IV. 26.

Præfulgebant Cassius atque Brutus, eo ipso quod effigies eorum non visebantur. Annal. III. 76.

Nocet magnitudine.

Magnitudo famæ exitio erat. Annal. III. 55.

Penes posteritatem famæ arbitrium.

Suum cuique decus posteritas rependit. Annal. IV. 35.

Ex ignoto fama.

Omne ignotum pro magnifico est. Vit. Agric. XXX.

Ut quis ex longinquo revenerat, miracula narrabant. Annal. II. 24.

Crescit absentia.

Majora credi de absentibus. Hist. II. 83.

Inania famæ despicienda.

Neque suspiciones imbecillas, aut inania famæ pertimescenda. Annal. II. 76.

Nec de rumoribus curandum.

Non ex rumore statuendum. Annal. III. 69.

Relinquendum rumoribus tempus quo senescant. Annal. II. 77.

Nec obstitit falsis Tiberius, donec tempore et spatio vanescerent. Annal. II. 82.

Veritas visu et mora, falsa festinatione et incertis valescunt. Annal. II. 39.

Rumorum mendacia.

Vagus primum et incertus rumor, mox ut in magnis mendaciis, interfuisse se quidam, et vidisse affirmabant, credula fama inter gaudentes et incuriosos. Hist. I. 34.

Atrox est fama erga mortes Principum.

Atrociore semper fama erga dominantium exitus. Annal. IV. 2.

Quomodo gliscant vetita.

Occultis primum sermonibus vetita crebrescunt, mox vago sermone apud imperitissimi cujusque aures, aut rursum apud turbidos, eoque nova cupientes. Annal. II. 39.

Ni caute coërcueris, valescent.

Prohibiti per civitatem sermones, eoque plures: ac si liceret, vera narraturi, quia vetabantur, atrociora vulgaverant. Hist. III. 54.

Vagis per Urbem militibus, qui sermones populi coërcerent; id præcipuum alimentum famæ erat. Hist. II. 96.

Secreto quoque crescit fama.

Circumsteterat palatium publica expectatio magni secreti impatiens, et male coërcitam famam supprimentes augebant. Hist. I. 17.

Nocte etiam prævalet.

Juvit credulitatem nox, et promtior inter tenebras affirmatio. Annal. II. 82.

Cuncta exaggerat.

Cuncta, ut mos famæ, in majus credita. Annal. III. 44.

Ex longinquo aucta in deterius afferebantur. Annal. II. 82.

Pessimus, qui fama mala lætatur.

Trionis ingenium, avidum famæ malæ. Annal. II. 28.

XXVI. MORES.

Magna vis in bonis moribus.

Plus ibi (*apud Germanos*) boni mores valent, quam alibi bonæ leges. De Morib. German. XIX.

Ut temporum, sunt et morum vices.

Rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur. Annal. III. 55.

Versa republica, versi Romæ mores.

Verso civitatis statu, nihil usquam prisci et integri moris. Annal. I. 4.

Sua tamen cuique ætati laus.

Non tamen adeo virtutum sterile sæculum, ut non et bona exempla prodiderit. Hist. I. 2.

Nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque ætas multa laudis et artium imitanda posteris tulit. Annal. III. 55.

Æquitate Deum erga bona malaque documenta. Annal. XVI. 33.

Perditis moribus, rid entur vitia.

Apud Germanos, nemo vitia ridet: nec corrumpere et corrumpi, sæculum vocatur. De Morib. German. XIX.

Prava hæc exempla durant.

Diutius durant exempla, quam mores. Hist. IV. 42.

Luem hanc maxime invexere Neroniana tempora.

Abolitos paulatim patrios mores, funditus everti per accitam lasciviam, ut quod usquam corrumpi et corrumpere queat, in Urbe visatur, degeneretque studiis externis juventus, gymnasia et otia, et turpes amores exercendo, Principe et senatu auctoribus: qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant. Annal. XIV. 20.

Sint potius ex honesto certamina.

Maneant ex honesto certamina. Annal. III. 55.

XXVII. LUXUS.

Ex opibus rebusque secundis luxus.

Opes, et rerum secundarum luxus. Hist. III. 45.

Est eruditus quidam luxus.

C. Petronio dies per somnum, nox officiis et oblectamentis vitæ transigebatur. Utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat, habebaturque non ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. Ac dicta factaque ejus quanto solutiora, et quamdam sui negligentiam præferentia, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur. Proconsul tamen Bithyniæ, et mox consul, vigentem se ac parem negotiis ostendit: dein revolutus ad vitia, seu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neroni assumtus est, elegantiæ arbiter, dum nihil amœnum et molle affluentia putat, nisi quod ei Petronius approbavisset. Unde invidia Tigellini, quasi adversus æmulum, et scientia voluptatum potiorem. Annal. XVI. 18.

Pudendus quoque est luxus.

Vitellius curis luxum obtendebat: non

parare arma, non alloquio exercitioque militem firmare; non in ore vulgi agere: sed umbraculis hortorum abditus, ut ignava animalia, quibus si cibum suggeras, jacent torpentque, præterita, instantia, futura pari oblivione dimiserat. Atque illum, in nemore Aricino desidem et marcentem, proditio Lucilii Bassi, ac defectio classis Ravennatis perculit. Hist. III. 36.

Ex luxu torpor.

Scevino dissoluta luxu mens, et proinde vita somno languida. Annal. XV. 49.

Cæcinæ ambitio vetus, torpor recens, nimia fortunæ indulgentia soluti in luxum. Hist. II. 99.

Quibus rationibus tueatur se luxus.

Auctu imperii adolevisse etiam privatas opes; idque non novum, sed e vetustissimis moribus. Aliam apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam; et cuncta ad rempublicam referri: qua tenui, angustas civium domos; postquam eo magnificentiæ venerit, gliscere singulos. Neque in familia et argento, quæque ad usum parentur, nimium aliquid, aut modicum, nisi ex fortuna possidentis: distinctos senatus et equitum census, non quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus, antistent et aliis, quæ ad requiem animi, aut salubritatem corporum parentur: nisi forte clarissimo cuique plures curas, majora pericula subeunda; delinimentis curarum et periculorum carendum esse. Annal. II. 33.

Invalescente luxu, prævalida orbitas.

Augustus post Julias rogationes incitandis cœlibum pœnis et augendo ærario *legem Papiam Poppæam* sanxerat: nec ideo conjugia et educationes liberûm frequentabantur, prævalida orbitate. Annal. III. 25.

Pecuniæ et orbitati ob luxum magna semper vis.

Calvia Crispinilla potens pecunia et orbitate, quæ bonis malisque temporibus juxta valent. Hist. I. 73.

Magnificentia primum eversæ domus.

Dites olim familiæ nobilium, aut claritudine insignes, studio magnificentiæ prolabebantur. Annal. III. 55.

Mox luxu agricultura pessumdata, opes ad externos aut hostes translatæ.

Quid enim primum prohibere, et priscum ad morem recidere aggrediar? villarumne infinita spatia, familiarum numerum, et nationes? argenti et auri pondus? æris tabularumque miracula? promiscuas viris et fœminis vestes? atque illa fœminarum propria, quis lapidum causa pecuniæ nostræ ad externas aut hostiles gentes transferuntur? Annal. III. 53.

Adversus luxum invalidæ sunt leges.

Ne corporis quidem morbos veteres, et diu auctos, nisi per dura et aspera coërceas; corruptus simul et corruptor, æger et flagrans animus, haud levioribus remediis restinguendus est, quam libidinibus ardescit. Tot a majoribus repertæ leges, tot quas Divus Augustus tulit, illæ oblivione, hæ (quod flagitiosius est) contemtu abolitæ, securiorem luxum fecere. Nam si velis *quod nondum vetitum est; timeas, ne vetere: at si* prohibita impune transcenderis; neque metus ultra, neque pudor est. Annal. III. 54.

Ei quisque intra se medeatur.

Egregie Tiberius: Intra animum medendum est. Nos, pudor; pauperes, necessitas; divites, satias in melius mutet. Annal. III. 54.

Plurimum tamen valet Principis exemplum.

Luxus mensæ a fine Actiaci belli ad ea arma quis Ser. Galba rerum adeptus est, per annos centum profusis sumtibus exerciti, paulatim exolevere—Præcipuus astricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque. Obsequium inde in Principem, et æmulandi amor, validior quam pœna ex legibus et metus. Annal. III. 55.

Valet quoque municipalis parcimonia.

Novi homines e municipiis et coloniis, atque etiam provinciis, in senatum crebro assumti, domesticam parcimoniam intu-

lerunt: et quanquam fortuna, vel industria, plerique pecuniosam ad senectam pervenirent, mansit tamen prior animus. Annal. III. 55.

Emendatrix etiam calamitas.

Postquam cædibus sævitum, et magnitudo famæ exitio erat, ceteri ad sapientiora convertere. Annal. III. 55.

Qui modus in luxu, florente Urbe, habebatur.

Locupletem ac laudatum patremfamiliæ non eo tantum volo tecto tegi, quod imbrem ac ventum arceat, sed etiam quod visum et oculos delectet: non ea solum instrui supellectile, quæ necessariis usibus sufficiat; sed sit in apparatu ejus, et aurum, et gemmæ, ut sumere in manus, et aspicere sæpius liceat. Dialog. de Orat. XXII.

XXVIII. SPECTACULA.

Ex victis gentibus accita spectacula.

A Thuscis accitos histriones; a Thuriis equorum certamina; et, possessa Achaia Asiaque, ludos curatius editos. Annal. XIV. 21.

Nec statim iis certa sedes.

Antea subitariis gradibus, et scena in tempus structa ludos edi solitos: vel si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse: ne si consideret, theatro dies totos ignavia continuaret. Annal. XIV. 20.

Mansuram sedem iis primus posuit Cn. Pompeius.

Erant qui Cn. quoque Pompeium incusatum a senioribus ferrent, quod mansuram theatri sedem posuisset. Annal. XIV. 20.

Erumpens theatri licentia legibus sub Tiberio coërcita.

Adversus lasciviam fautorum multa decernuntur, ex quis maxime insignia: Ne domos pantomimorum senator introiret: ne egredientes in publicum equites Romani cingerent: aut alibi quam in theatro spectarentur: et spectantium immodestiam exilio multandi potestas prætoribus fieret. Annal. I. 77.

Ea nondum satis repressa, pulsi sunt histriones Italia.

Variis dehinc et sæpius irritis prætorum questibus, postremo Cæsar, *Tiberius*, de immodestia histrionum retulit; multa ab iis in publicum seditiose, fœda per domos, tentari: Oscum quondam ludicrum levissimæ apud vulgum oblectationis, eo flagitiorum et virium venisse, ut auctoritate patrum coërcendum sit. Pulsi tum histriones Italia. Annal. IV. 14.

Favit, sed postea sævire coactus est Nero.

Ludicram quoque licentiam, et fautores histrionum velut in prælia convertit, impunitate et præmiis, atque ipse occultus, et plerumque coram prospectans: donec discordi populo, et gravioris motus terrore, non aliud remedium repertum est, quam ut histriones Italia pellerentur, milesque theatro rursum assideret. Annal. XIII. 25.

At ipse histrio in ludorum furorem prorumpit.

Vetus illi copia erat curriculo quadrigarum insistere: nec minus fœdum studium cithara ludicrum in modum canere, cum cœnaret—Nec jam sisti poterat, cum Senecæ ac Burro visum, ne utraque pervinceret, alterum concedere: clausumque valle Vaticana spatium, in quo equos regeret, haud promiscuo spectaculo: mox ultro vocari populus Romanus, laudibusque extollere, ut est vulgus cupiens voluptatum; et si eodem Princeps trahat, lætum. Ceterum evulgatus pudor non satietatem, ut rebantur, sed incitamentum attulit. Ratusque dedecus amoliri, si plures fœdasset, nobilium familiarum posteros, egestate venales, in scenam deduxit: quos fato perfunctos, ne nominatim tradam, majoribus eorum tribuendum puto. Nam et ejus flagitium est, qui pecuniam ob delicta potius dedit, quam ne delinquerent. Notos quoque equites Romanos operas arenæ promittere subegit, donis ingentibus: nisi quod merces ab eo qui jubere potest, vim necessitatis affert. Annal. XIV. 14.

Mox lascivia Urbem perditum iit.

Instituit ludos, Juvenalium vocabulo, in quos passim nomina data: non nobilitas cuiquam, non ætas, aut acti honores impedimento quominus Græci Latinive histrionis artem exercerent, usque ad gestus modosque haud viriles. Quin et fœminæ illustres deformia meditari: exstructaque apud nemus, quod navali stagno circumposuit Augustus, conventicula, et cauponæ, et posita veno irritamenta luxus: dabanturque stipes, quas boni necessitate, intemperantes gloria, consumerent. Inde gliscere flagitia et infamia: nec ulla moribus olim corruptis plus libidinum circumdedit, quam illa colluvies. Vix artibus honestis pudor retinetur; nedum, inter certamina vitiorum, pudicitia, aut modestia, aut quicquam probi moris reservaretur. Annal. xiv. 15.

Illud dedecus sublatum voluit Vitellius.

Cautum severe, ne equites Romani ludo et arena polluerentur. Priores id Principes pecunia, et sæpius vi, perpulerant: ac pleraque municipia, et coloniæ, æmulabantur corruptissimum quemque adolescentium, pretio illicere. Hist. ii. 62.

xxix. VIRTUTES.

Virtus, hominis bonum.

Virtutem proprium hominum bonum. Hist. iv. 17.

Fidem, libertatem, amicitiam, præcipua humani animi bona. Hist. i. 15.

Omnibus insita virtutis admiratio.

Eandem virtutem admirantibus, cui irascebantur. Hist. i. 71.

Quando optime æstimantur virtutes?

Virtutes iisdem temporibus optime æstimantur, quibus facillime gignuntur. Vit. Agric. i.

Quædam virtutes odio sunt.

Quædam immo virtutes odio sunt, severitas obstinata, invictus adversus gratiam animus. Annal. xv. 21.

Virtus ac ferocia subjectorum ingrata imperantibus. Vit. Agric. xxxi.

Cur infensos habet virtus?

Etiam gloria ac virtus infensos habet, ut nimis ex propinquo diversa arguens. Annal. iv. 33.

Inotæ virtutes reputantur vitia.

Promti aditus, obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia. Annal. ii. 2.

Non eadem omnibus virtutum incitamenta.

Excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum, hebescere alios. Annal. iii. 69.

Ipsis virtutibus sit modus.

Inerat *Vitellio* simplicitas ac liberalitas: quæ, nisi adsit modus, in exitium vertuntur. Hist. iii. 86.

AMICITIA.

Ex fortunæ similitudine.

Populi Romani imperatoribus magnarumque nationum regibus, primam ex similitudine fortunæ amicitiam. Annal. xii. 19.

Constantia morum continentur amicitiæ.

Amicitias dum *Vitellius* magnitudine munerum, *non constantia morum* continere putat, meruit magis, quam habuit. Hist. iii. 86.

CONCORDIA.

Raro stat cum potentia.

Arduum eodem loci potentiam et concordiam esse. Annal. iv. 4.

Disjuncta concordia in iras vertit.

Quæ apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos erant. Annal. i. 55.

DECORUM.

Varium est pro conditione et fortuna.

Non eadem decora principibus viris et imperatori populo, quæ modicis domibus aut civitatibus. Annal. iii. 6.

FIDES.

Inter multos raro constat.

Frustra silentium et fidem in tot con-

sciorum animis et corporibus sperari. Annal. XV. 59.

Expugnatur cruciatu, aut præmio.

Cruciatu, aut præmio, cuncta pervia esse. Annal. XV. 59.

INNOCENTIA.

Recenti invidiæ diffidat.

Plerumque innocentes, recenti invidiæ impares. Annal. II. 77.

JUDICIUM.

Judicii necessitas.

Sæpe honestas rerum causas, ni judicium adhibeas, perniciosi effectus consequuntur. Hist. I. 83.

MISERICORDIA.

Magnitudine flagitiorum obruitur.

Perculsa Messallina, nulla cujusquam misericordia, quia flagitiorum deformitas prævalebat. Annal. XI. 32.

MODESTIA.

Omnes decet.

Modestiæ fama, neque summis mortalium spernenda est, et a Diis æstimatur. Annal. XV. 2.

In ea laus magna.

Sciant, quibus moris illicita mirari, posse etiam sub malis Principibus magnos viros esse: obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum reipublicæ usum, ambitiosa morte inclaruerunt. Vit. Agric. XLII.

MODERATIO ET PRUDENTIA.

Earum vis.

Domitiani vero natura præceps in iram, et quo obscurior, eo irrevocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolæ leniebatur: quia non contumacia, neque inani jactatione libertatis, famam fatumque provocabat. Vit. Agric. XLII.

VENERATIO ERGA PARENTES.

Quæ sit?

Ferendas parentum iracundias, et placandum animum. Annal. XIV. 4.

XXX. VITIA.

Ex hominum natura profluunt.

Vitia erunt, donec homines: sed neque hæc continua, et meliorum interventu pensantur. Hist. IV. 74.

Multi iis similitudine patrocinantur.

Reperies, qui ob similitudinem morum, aliena malefacta sibi objectari putent. Annal. IV. 33.

Evenit inter malos, ut et similes sint. Hist. II. 100.

Quidam quoque vitia pro virtutibus interpretantur.

Vitellius apud severos humilis. Ita comitatem bonitatemque faventes vocabant, quod sine modo, sine judicio donaret sua, largiretur aliena. Simul, aviditate imperandi, ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur. Hist. I. 52.

ADULATIO.

Quibus inest.

Amicis inesse adulationem. Annal. II. 12.

Ex ea periculum.

Adulatio, moribus corruptis, perinde anceps, si nulla, et ubi nimia est. Annal. IV. 17.

AMBITIO.

Avida et sæpe fallax.

Nova et ancipitia præcolere, avida et

plerumque fallax ambitio est. Annal. xiv. 22.

ARROGANTIA ET AVARITIA.

Quorum sunt vitia.

Avaritia et arrogantia, præcipua validiorum vitia. Hist. i. 51.

AUDACIA.

Flagitia in audaciam ruunt.

Insontibus, innoxia consilia; flagitiis manifestis, subsidium ab audacia petendum. Annal. xi. 26.

Ex desperatione major.

Desperatione in audaciam accingeretur. Hist. iii. 66.

Crescit ex bonorum mœstitia.

Præcipuum pessimorum incitamentum, quod boni mœrebant. Hist. i. 38.

CONVICIA.

Spernenda.

Spreta exolescunt: si irascare, agnita videntur. Annal. iv. 34.

Ex probi viri iracundia, levius tolerantur.

Agricola apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur, ut bonis comis, ita adversus malos injucundus: ceterum ex iracundia nihil supererat: secretum et silentium ejus non timeres: honestius putabat offendere, quam odisse. Vit. Agric. xxii.

DELATIONES.

Delatores, fœdum hominum genus.

Delatores, genus hominum publico exitio repertum, et pœnis nunquam satis coërcitum. Annal. iv. 30.

Invisa eorum præmia.

Nec minus præmia delatorum invisa, quam scelera. Hist. i. 2.

Eorum vita et sors.

Romanus Hispo formam vitæ iniit, quam postea celebrem miseriæ temporum et audaciæ hominum fecerunt: nam egens, ignotus, inquies, dum occultis libellis sævitiæ Principis arrepit, mox clarissimo cuique periculum facessit; potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus, dedit exemplum, quod secuti, ex pauperibus divites, ex contemtis metuendi, perniciem aliis, ac postremum sibi invenere. Annal. i. 74.

FALSITAS.

Quanto major, tanto blandior.

Interfecto Galba, Othone Principe, alium crederes senatum, alium populum. ruere cuncti in castra, anteire proximos, certare cum præcurrentibus, increpare Galbam, laudare militum judicium, exosculari Othonis manum: quantoque magis falsa erant quæ fiebant, tanto plura facere. Hist. i. 45.

Viget et in luctu.

Nulli jactantius mœrent, quam qui maxime lætantur. Annal. ii. 77.

Non ita viget inter odia.

Falsos in amore, odia non fingere. Annal. vi. 44.

FRAUS.

Quantum ex ea periculum.

Aperta odia armaque palam depelli: fraudem et dolum, obscura, eoque inevitabilia. Hist. iv. 24.

IMPUDICITIA.

Quam exitialis.

Impudicitia magnorum reipublicæ malorum initium fecit. Annal. xiii. 45.

Nihil honesti remanet.

Animo per libidines corrupto, nihil honestum inerat. Annal. xi. 37.

In infamiam desinit.

Jam Messallina facilitate adulterorum in fastidium versa, ad incognitas libidines

profluebat— Nomen matrimonii *cum Silio* concupivit, ob magnitudinem infamiæ, cujus apud prodigos novissima voluptas est. Annal. xi. 26.

INERTIA.

Ex inertia contemtus.

Invalidum senem *Galbam* T. Vinius et Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignavissimus, odio flagitiorum oneratum, contemtu inertiæ destruebant. Hist. i. 6.

Quando inertia pro sapientia est?

Agricola tribunatus annum quiete et otio transit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Vit. Agric. vi.

INJURIÆ.

In eas proni locupletes provinciales.

Prævalidi provincialium, opibus nimiis ad injurias minorum elati. Annal. xv. 20.

INVIDIA ET IGNORANTIA RECTI.

Quibus vitium est?

Vitium parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam. Vit. Agric. i.

Minoribus major æmulandi cura. Hist. iv. 48.

IRA.

Magna ira silet.

Quale magni metus, et magnæ iræ silentium est. Hist. i. 40.

ODIUM.

Quæ sunt odia acerrima.

Acerrima proximorum odia. Hist. iv. 70.

Solita fratribus odia. Annal. iv. 60.

Odiorum causæ acriores, quia iniquæ. Annal. i. 33.

Odia sunt ex injuriis.

Proprium humani ingenii est odisse quem læseris. Vit. Agric. xlii.

Odia sunt ex beneficiis.

Beneficia eo usque læta sunt, dum videntur exsolvi posse: ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur. Annal. iv. 18.

Tanto proclivius est injuriæ, quam beneficio vicem exsolvere: quia gratia oneri, ultio in quæstu habetur. Hist. iv. 3.

PRODIGENTIA.

Prodigis et mollibus vulgo nihil serii.

Geminius, prodigentia opum ac mollitia vitæ amicus Sejano, nihil ad serium. Annal. vi. 14.

PRODITIONES.

Omnibus invisæ.

Proditores, etiam iis quos anteponunt, invisi sunt. Annal. i. 58.

SCELUS.

Præceps sceleris votum.

Ad scelus facillime ab ejus voto transitur. Hist. i. 22.

Præmiis incitantur scelera.

Summa scelera incipi periculo, peragi cum præmio. Annal. xii. 67.

Valescunt impetu.

Scelera impetu, bona consilia mora valescere. Hist. i. 31.

Valescunt et atrocitate.

Valentinus et Tutor in arma Treveros retrahunt: occisis Herennio ac Numisio legatis, quo minore spe veniæ cresceret vinculum sceleris. Hist. iv. 70.

Patrato scelere, ejus magnitudo intelligitur.

Perfecto demum scelere, magnitudo ejus intellecta est. Annal. xiv. 10.

Scelus inter ancipitia probatum, veris mox pretiis æstimatur. Annal. xi. 26.

Sera tum venia quæritur.

In pœnitentiam versus, seram veniam post scelus quærebat. Hist. ii. 63.

Pro ipsis etiam præmiis odia rependuntur.

Interfecta Agrippina, Neronis jussu, Maternæ necis patrator Anicetus, levi post admissum scelus gratia, dein graviore odio: quia malorum facinorum ministri, quasi exprobrantes aspiciuntur. Annal. xiv. 62.

Puniendi quoque, qui scelera delegant.

Puniendos rerum atrocium ministros, ubi pretia scelerum adepti, scelera ipsa aliis delegent. Annal. xiii. 43.

Sua sunt sceleribus indicia.

Multa sceleris indicia præveniunt. Annal. xiv. 44.

Nec semper integri, qui sceleris arguunt.

Factum esse scelus loquuntur, faciuntque. Hist. iii. 25.

SEGNITIA.

Vincitur experientia.

Multa experiendo confieri, quæ segnibus ardua videantur. Annal. xv. 59.

SUSPICIONES.

Mutuus e suspicionibus timor.

Ut evenit inclinatis ad suspicionem mentibus, cum timeret Otho, timebatur. Hist. i. 81.

TERROR.

Nemo expers terroris.

Etiam fortes viros subitis terreri. Annal. xv. 59.

TIMOR.

Magnus timor suas in pœnas atrox.

Quæ natura magnis timoribus, deterius credebant, quod evenerat. Annal. xv. 36.

USURA.

Semper vetita, semper vigens.

Sane vetus Urbi fœnebre malum, et seditionum discordiarumque creberrima causa: eoque cohibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus—Multisque plebiscitis obviam itum fraudibus: quæ totiens repressæ, miras per artes rursum oriebantur. Annal. vi. 16.

UTILITAS PRIVATA.

Omnibus ferme dominatur.

Sua cuique utilitas. Hist. i. 15.

Bono publico antehabetur.

Privato usui bonum publicum postponitur. Annal. vi. 16.

Tanto cautior, quanto nocentior.

Pessimus quisque, diffidentia præsentium mutationem pavens, adversus publicum odium, privatam gratiam præparat. Hist. i. 72.

In Muciano virtutum et vitiorum singulare temperamentum.

Licinius Mucianus, vir secundis adversisque juxta famosus. Insignes amicitias juvenis ambitiose coluerat: mox attritis opibus, lubrico statu, suspecta etiam Claudii iracundia, in secretum Asiæ repositus, tam prope ab exule fuit, quam postea a Principe. Luxuria, industria, comitate, arrogantia, malis bonisque artibus mixtus: nimiæ voluptates, cum vacaret: quotiens expedierat, magnæ virtutes. Palam laudares, secreta male audiebant. Sed apud subjectos, apud proximos, apud collegas, variis illecebris potens: et cui expeditius fuerit tradere imperium, quam obtinere. Hist. i. 10.

XXXI. LITERÆ ET ARTES.

Ingenia opprimuntur facilius, quam revocantur.

Natura infirmitatis humanæ, tardiora

sunt remedia, quam mala; et ut corpora lente augescunt, cito extinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius, quam revocaveris. Vit. Agric. III.

Subit quippe etiam ipsius inertiæ dulcedo: et invisa primo desidia, postremo amatur. Vit. Agric. III.

Fama in posteros, pulcherrimum studiorum præmium.

Veteres oratores famam in posteros, præmia eloquentiæ cogitavere pulcherrima. Annal. XI. 6.

Pretiis tamen fovenda studia.

Sublatis studiorum pretiis, etiam studia peritura. Annal. XI. 7.

Nihil a quoquam expeti, nisi cujus fructus ante providerit. Annal. XI. 7.

Apud Romanos ingeniis multus honor, et magna pretia.

Testis ipse populus, qui auditis in theatro versibus Virgilii, surrexit universus, et forte præsentem spectantemque Virgilium veneratus est, sic quasi Augustum. Dialog. de Orat. XIII.

Laudavimus nuper, ut miram et eximiam, Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia, *Saleio* Basso, *poëtæ*, donasset. Dialog. de Orat. IX.

Marcello Eprio et Crispo Vibio ter millies sestertium, *præstitit eloquentia*. Dialog. de Orat. VIII.

Eloquentia, cujus numen et cœlestis vis, multa quidem omnibus sæculis exempla edidit, ad quantam usque fortunam homines ingenii viribus pervenerint. Dialog. de Orat. VIII.

Per occulta gliscit ingeniorum libido.

Exercent plerique per occultum, atque eo procacius, libidinem ingeniorum. Annal. V. 4.

Coërcenda, sed caute.

Veientonis libros exuri jussit *Nero;* conquisitos lectitatosque, donec cum periculo parabantur: mox licentia habendi oblivionem attulit. Annal. XIV. 50.

Sin minus, crescit celebritas.

Punitis ingeniis, gliscit auctoritas. Annal. IV. 35.

Unde literis et artibus ruina.

Quis enim ignorat et eloquentiam, et ceteras artes, descivisse ab ista vetere gloria, non inopia hominum, sed desidia juventutis, et negligentia parentum, et inscientia præcipientium, et oblivione moris antiqui? quæ mala primum in Urbe nata, mox per Italiam fusa, jam in provincias manant. Dialog. de Orat. XXVIII.

XXXII. ARS POLITICA.

Laus ejus magna, providentia futurorum.

Tiberius providus futurorum. Annal. VI. 46.

Ambit magis laudari apud posteros, quam penes præsentes.

Tiberio non perinde curæ gratia præsentium, quam in posteros ambitio. Annal. VI. 46.

Spernit rumores.

Tiberius spernendis rumoribus validus. Annal. III. 10.

Cuncta ad gloriam vertit.

Cuncta etiam fortuita ad gloriam vertebat. Annal. II. 84.

Obscuritate se tuetur.

Tiberio etiam in rebus quas non occuleret, seu natura, sive assuetudine, suspensa semper et obscura verba: tunc vero nitenti ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur. Annal. I. 11.

Vultum, ut expedit, componit.

Nuntiata Galliarum defectione, Tiberius tanto impensius in securitatem compositus, neque loco, neque vultu mutato, sed, ut solitum, per illos dies egit: altitudine animi, an compererat modica esse, et vulgatis leviora? Annal. III. 44.

Ut lateat, ludibria seriis permiscet.

Tiberius ludibria seriis permiscere solitus. Annal. VI. 2.

Ars egregia, dum falsi vacua.

Breve confinium artis et falsi. Annal. IV. 58.

Viget maxime in rebus externis.

Tiberius destinata retinens, consiliis et astu res externas moliri, arma procul habere. Annal. VI. 32.

Viget quoque in bellis.

Tiberium novies a Divo Augusto in Germaniam missum plura consilio, quam vi, perfecisse. Annal. II. 26.

Ignota est barbaris.

Barbaris cunctatio, servilis: statim exequi, regium videtur. Annal. VI. 32.

Valet in republica.

Olim plebe valida, vel cum Patres pollerent, noscenda vulgi natura, et quibus modis temperanter haberetur; senatusque et optimatium ingenia, qui maxime perdidicerant, callidi temporum et sapientes credebantur. Annal. IV. 33.

In Principatu, quanto magis neglecta, tanto magis studenda.

Converso statu, neque alia re Romana, quam si unus imperitet, hæc conquiri tradique in rem fuerit: quia pauci prudentia, honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis, discernunt; plures aliorum eventis docentur. Annal. IV. 33.

XXXIII. ELOQUENTIA.

Ejus laus.

Eloquentiam bonarum artium principem. Annal. XI. 6.

Ante Neronem Principes omnes eloquentia valuere.

Annotabant seniores primum ex iis, qui rerum potiti essent, Neronem alienæ facundiæ eguisse. Nam dictator Cæsar summis oratoribus æmulus; et Augusto promta ac profluens, quæ deceret Principem, eloquentia fuit. Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus, aut consulto ambiguus. Etiam Caii Cæsaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in Claudio, quoties meditata dissereret, eloquentiam requireres. Nero puerilibus statim annis, vividum animum in alia detorsit. Cælare, pingere, cantus, aut regimen equorum exercere: et aliquando carminibus pangendis, inesse sibi elementa doctrinæ ostendebat. Annal. XIII. 3.

Nunquam tamen major eloquentia, quam ubi plus licentiæ.

Magna illa et notabilis eloquentia, alumna licentiæ, quam stulti libertatem vocabant, comes seditionum, effrænati populi incitamentum, sine obsequio, sine servitute, contumax, temeraria, arrogans, quæ in bene constitutis civitatibus non oritur. Quem enim oratorem Lacedæmonium, quem Cretensem accepimus? quarum civitatum severissima disciplina, et severissimæ leges traduntur. Ne Macedonum quidem ac Persarum, aut ullius gentis, quæ certo imperio contenta fuerit, eloquentiam novimus. Rhodii quidam, Athenienses plurimi oratores extiterunt: apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia, ut sic dixerim, omnes poterant. Dialog. de Orat. XL.

Inde versa Romana republica, mutata est eloquentia.

Cassius Severus sordidæ originis, maleficæ vitæ, sed orandi validus. Annal. IV. 21.

Is est, quem primum affirmant flexisse a vetere atque directa dicendi via: non infirmitate ingenii nec inscitia literarum, sed judicio et intellectu. Vidit namque cum conditione temporum ac diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam. Dialog. de Orat. XIX.

Senecæ fuit ingenium amœnum, et temporis ejus auribus accommodatum. Annal. XIII. 3.

Quæstuosa eloquentia, infida est.

Ne fidem quidem integram manere, ubi magnitudo quæstuum spectetur. Annal. XI. 6.

Venalis, perfida est.

Nec quicquam publicæ mercis tam venale fuit, quam advocatorum perfidia. Annal. XI. 5.

Recens ejus usus.

Lucrosæ hujus et sanguinantis eloquentiæ usus, recens, et malis moribus natus. Dialog. de Orat. XII.

Quid eloquentiam informet?

Infinitus labor, et quotidiana meditatio,

et in omni genere studiorum exercitationes. Dialog. de Orat. xxx.

Iis artibus, non voce tantum, fama in posteros paratur.

Q. Haterius, familia senatoria, eloquentiæ, quoad vixit, celebratæ: monumenta ingenii ejus haud perinde retinentur. Scilicet impetu magis, quam cura vigebat: utque aliorum meditatio et labor in posterum valescit, sic Haterii canorum illud et profluens cum ipso simul extinctum est. Annal. iv. 61.

xxxiv. HISTORIA.

Quod tempus scribendæ historiæ aptum?

Rara temporum felicitate, ubi sentire quæ velis, et quæ sentias dicere licet. Hist. i. 1.

Scriptoris munus.

Consilium mihi pauca de Augusto, et extrema tradere: mox Tiberii principatum, et cetera, sine ira et studio, quorum causas procul habeo. Annal. i. 1.

Mihi Galba, Otho, Vitellius, nec beneficio, nec injuria cogniti. Dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam, non abnuerim: sed incorruptam fidem professis, nec amore quisquam, et sine odio dicendus est. Hist. i. 1.

Scriptoris vitia, adulatio, et malignitas.

Ambitionem scriptoris facile averseris: obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur. Quippe adulationi fœdum crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis inest. Hist. i. 1.

Scriptoris pericula.

Reperies qui, ob similitudinem morum, aliena malefacta sibi objectari putent: etiam gloria ac virtus infensos habet, ut nimis ex propinquo diversa arguens. Annal. iv. 33.

Historiæ materia.

Exequi sententias haud institui, nisi insignes per honestum, aut notabili dedecore: quod præcipuum munus Annalium reor, ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit. Annal. iii. 65.

Non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causæque noscantur. Hist. i. 4.

Non sine usu fuerit introspicere illa primo aspectu levia, ex quis magnarum sæpe rerum motus oriuntur. Annal. iv. 32.

Exemplis illustretur.

Hæc aliaque ex veteri memoria petita, quoties res locusque exempla recti, aut solatia mali poscet, haud absurde memorabimus. Hist. iii. 51.

Falsis auditionibus ne inquinetur.

Mihi tradendi arguendique rumoris *Drusum veneno a Tiberio enectum* causa fuit, ut, claro sub exemplo, falsas auditiones depellerem, peteremque ab iis, quorum in manus cura nostra venerit, ne divulgata atque incredibilia, avide accepta, veris, neque in miraculum corruptis, antehabeant. Annal. iv. 11.

Germanici mors, non modo apud illos homines, qui tum agebant, etiam secutis temporibus vario rumore jactata: adeo maxima quæque ambigua sunt, dum alii quoquo modo audita pro compertis habent; alii vera in contrarium vertunt: et gliscit utrumque posteritate. Annal. iii. 19.

Vitanda gentilitatis et antiquitatis studia.

Arminius Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur: Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi. Annal. ii. 88.

Quæ fuit apud Romanos historiæ sors?

Veteris populi Romani prospera vel adversa, claris scriptoribus memorata sunt: temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur. Tiberii, Caiique, et Claudii, ac Neronis res, florentibus ipsis, ob metum falsæ; postquam occiderant, recentibus odiis compositæ sunt. Annal. i. 1.

Dum stetit respublica, res populi Romani memorabantur pari eloquentia ac

libertate. Postquam bellatum apud Actium, atque omnem potentiam ad unum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia cessere. Simul veritas pluribus modis infracta; primum inscitia reipublicæ, ut alienæ, mox libidine assentandi, aut rursus odio adversus dominantes: ita neutris cura posteritatis inter infensos vel obnoxios. Hist. i. 1.

XXXV. PHILOSOPHIA.

Multiplex fuit et discors.

Nero etiam sapientiæ doctoribus tempus impertiebat post epulas, utque contraria asseverantium discordiæ eruebantur: nec deerant, qui voce vultuque tristi inter oblectamenta regia spectari cuperent. Annal. xiv. 16.

Pervulgata magis Stoicorum placita.

Qui sola bona, quæ honesta; mala tantum, quæ turpia: potentiam, nobilitatem, ceteraque extra animum, neque bonis, neque malis annumerant. Hist. iv. 5.

Arrogantiæ tamen et turbarum accusabantur.

Assumta Stoicorum arrogantia, sectaque, quæ turbidos, et negotiorum appetentes faciat. Annal. xiv. 57.

Ista secta Tuberones et Favonios veteri quoque reipublicæ ingrata nomina genuit. Ut imperium evertant, libertatem præferunt: si perverterint, libertatem ipsam aggredientur. Annal. xvi. 22.

Certum magis Egnatii scelus.

Egnatius, cliens hic Sorani, et tunc emtus ad opprimendum amicum, auctoritatem Stoicæ sectæ præferebat, habitu et ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus, ceterum animo perfidiosus, et subdolus, avaritiam ac libidinem occultans. Quæ postquam pecunia reclusa sunt, dedit exemplum præcavendi, quomodo fraudibus involutos, aut flagitiis commaculatos, sic specie bonarum artium falsos, et amicitiæ fallaces. Annal. xvi. 32.

Sapientis vera laus, ex sapientia modum retinere.

Memoria teneo solitum ipsum, *Agricolam*, narrare, se in prima juventa studium Philosophiæ ac juris, ultra quam concessum Romano ac senatori hausisse; ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coërcuisset: scilicet sublime et erectum ingenium, pulchritudinem ac speciem excelsæ magnæque gloriæ vehementius, quam caute, appetebat: mox mitigavit ratio et ætas: retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientia modum. Vit. Agric. iv.

Falsum Philosophiæ nomen, Mathematici.[1]

Mathematici, genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper, et retinebitur. Hist. i. 22.

Per illicita et infanda irrepunt.

Multos secreta Poppææ mathematicos, pessimum Principalis matrimonii instrumentum, habuerant. Hist. i. 22.

Illudunt obscuritate.

Cupidine ingenii humani libentius obscura credi. Hist. i. 22.

Sæpe Italia pulsi sunt.

Facta et de mathematicis magisque Italia pellendis senatusconsulta. Annal. ii. 32.

De mathematicis Italia pellendis factum senatusconsultum atrox et irritum. Annal. xii. 52.

XXXVI. LIBERORUM EDUCATIO.

Plurimum valent parentes et locus.

Cn. Julii Agricolæ mater Julia Procilla fuit, raræ castitatis: in hujus sinu

1 Cum mathematicos hic legeris, ne cogites viros illos Geometricarum naturaliumque rerum scientia percelebres, quales omnis ætas, nostra potissimum, tulit, studiorum dignitate et utilitate præstantissimos, sed Chaldæos, magos, hariolos, aliasque earum superstitionum pestes, qui se mathematicos dixere.

indulgentiaque educatus, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. Arcebat eum ab illecebris peccantium, præter ipsius bonam integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerit, locum Græca comitate et provinciali parcimonia mistum ac bene compositum. Vit. Agric. IV.

Nocet plurimum urbs princeps.

Propria et peculiaria hujus Urbis vitia pæne in utero matris concipi mihi videntur, histrionalis favor, et gladiatorum equorumque studia; quibus occupatus et obsessus animus quantulum loci bonis artibus relinquit! Dialog. de Orat. XXIX.

Quæ apud Romanos valuit egregia educatio?

Suus cuique filius ex casta parente natus, non in cella emtæ nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur, cujus præcipua laus erat tueri domum, et inservire liberis. Eligebatur autem aliqua major natu propinqua, cujus probatis spectatisque moribus, omnis cujuspiam familiæ suboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modo curasque, sed remissiones etiam lususque puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Attiam Augusti matrem, præfuisse educationibus, ac produxisse principes liberos accepimus: quæ disciplina ac severitas eo pertinebat, ut sincera et integra et nullis pravitatibus detorta uniuscujusque natura, toto statim pectore arriperet artes honestas: et sive ad rem militarem, sive ad juris scientiam, sive ad eloquentiæ studium inclinasset, id solum ageret, id universum hauriret. Dialog. de Orat. XXVIII.

Quomodo postea corrupta educatio?

At nunc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adjungitur unus aut alter ex omnibus servis plerumque vilissimus, nec cuiquam serio ministerio accommodatus: horum fabulis et erroribus, teneri statim et rudes animi imbuuntur. Nec quisquam in tota domo pensi habet, quid coram infante domino, aut dicat, aut faciat: quando etiam ipsi parentes nec probitati, neque modestiæ parvulos assuefaciunt, sed lasciviæ et libertati; per quæ paulatim impudentia irrepit, et sui alienique contemtus. Dialog. de Orat. XXIX.

Quid in tradendis præceptis peccatur?

Transeo prima discentium elementa, in quibus et ipsis parum elaboratur: nec in auctoribus cognoscendis, nec in evolvenda antiquitate, nec in notitia vel rerum, vel hominum, vel temporum satis operæ insumitur. Dialog. de Orat. XXIX.

Cur multas res docenda est juventus?

Ipsa multarum artium scientia etiam aliud agentes nos ornat, atque ubi minime credas, eminet et excellit. Dialog. de Orat. XXXII.

Militaris educationis egregium specimen in Agricola.

Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paullino diligenti ac moderato duci approbavit, electus, quem contubernio æstimaret. Nec Agricola licenter more juvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam retulit: sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a peritis, sequi optimos, nihil appetere jactatione: nihil ob formidinem recusare, simulque anxius et intentus agere. Vit. Agric. V.

Philosophicæ, in Helvidio Prisco.

Helvidius Priscus ingenium illustre altioribus studiis juvenis admodum dedit: non, ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior adversus fortuita rempublicam capesseret. Hist. IV. 5.

Forensis, in juvene oratore Romano.

Apud majores nostros juvenis ille, qui foro et eloquentiæ parabatur, imbutus jam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre, vel a propinquis, ad eum oratorem, qui principem

locum in civitate tenebat: hunc sectari, hunc prosequi, hujus omnibus dictionibus interesse, sive in judiciis, sive in concionibus assuescebat, ita ut altercationes quoque excipere, et jurgiis interesse, utque sic dixerim, pugnare in prælio disceret. Magnus ex hoc usus, multum constantiæ, plurimum judicii juvenibus statim contingebat, in media luce studentibus atque inter ipsa discrimina: ubi nemo impune stulte aliquid, aut contrarie dicit, quominus et judex respuat, et adversarius exprobret, ipsi denique advocati aspernentur. Igitur vera statim et incorrupta eloquentia imbuebantur. Dialog. de Orat. XXXIV.

Præmaturis honoribus superbiunt adolescentium animi.

Tiberius monuit, ne quis adolescentium animos præmaturis honoribus ad superbiam extolleret. Annal. IV. 17.

XXXVII. FŒMINÆ.

Quomodo apud Germanorum fœminas septa pudicitia?

Septa pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptæ. De Morib. German. XIX.

Earum fortitudo.

Apud Germanos, quod præcipuum fortitudinis incitamentum est, non casus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, sed familiæ et propinquitates; et in proximo pignora: unde fœminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium: hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad conjuges vulnera ferunt: nec illæ numerare, aut exsugere plagas pavent. Ciboque et hortamina pugnantibus gestant. Memoriæ proditur quasdam acies, inclinatas jam, et labantes, a fœminis restitutas, constantia precum et objectu pectorum, et monstrata cominus captivitate, quam longe impatientius fœminarum suarum nomine timent. De Morib. German. VII.

In Agricola et ejus uxore egregium matrimonii exemplum.

Agricola Domitiam Decidianam splendidis natalibus ortam sibi junxit: idque matrimonium ad majora nitenti, decus ac robur fuit: vixeruntque mira concordia, per mutuam caritatem, et invicem se anteponendo, nisi quod in bona uxore tanto major laus, quanto in mala plus culpæ est. Vit. Agric. VI.

Romæ coërcita fœminarum libido.

Gravibus senatus decretis libido fœminarum coërcita, cautumque ne quæstum corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus eques Romanus fuisset: nam Vistilia, prætoria familia genita, licentiam stupri apud ædiles vulgaverat; more inter veteres recepto, qui satis pœnarum adversum impudicas in ipsa professione flagitii credebant. Annal. II. 85.

Ex corruptis moribus, proditiones.

Drusi secreta, corrupta uxore, prodebantur. Annal. IV. 7.

Fœminis credulitas ad gaudia.

Facili fœminarum credulitate ad gaudia. Annal. XIV. 4.

Constantia in adversis.

Non tamen adeo virtutum sterile sæculum, ut non et bona exempla prodiderit. Comitatæ profugos liberos matres, secutæ maritos in exilia conjuges. Hist. I. 3.

Vigente republica, vetitæ fœminæ maritos, qui ob magistratum in provincias proficiscerentur, comitari.

Haud enim frustra placitum olim, ne fœminæ in socios aut gentes externas traherentur: inesse mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, et Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus convertant. Non imbecillum tantum, et imparem laboribus sexum; sed si licentia adsit, sævum, ambitiosum, potestatis avidum. Annal. III. 33.

Id mutatum sub Principibus, graviaque inde damna.

Cogitarent ipsi, quotiens repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus objec-

tari: his statim adhærescere deterrimum quemque provincialium: ab his negotia suscipi, transigi: duorum egressus coli, duo esse prætoria; pervicacibus magis et impotentibus mulierum jussis, quæ Oppiis quondam aliisque legibus constrictæ, nunc vinclis exsolutis, domos, fora, jam et exercitus regerent. Annal. III. 33.

Excusatum tamen et flagrantibus Urbis flagitiis, et fœminarum Principum exemplis.

Placuisse quondam Oppias leges, sic temporibus reipublicæ postulantibus: remissum aliquid postea, et mitigatum, quia expedierit. Frustra nostram ignaviam alia ad vocabula transferri: nam viri in eo culpam, si fœmina modum excedat: porro ob unius aut alterius imbecillum animum, male eripi maritis consortia rerum secundarum adversarumque. Simul sexum natura invalidum deseri, et exponi suo luxu, cupidinibus alienis: vix præsenti custodia manere illæsa conjugia: quid fore, si per plures annos in modum discidii obliterentur? Sic obviam irent iis quæ alibi peccarentur, ut flagitiorum Urbis meminissent. Annal. III. 34.

Addidit pauca Drusus de matrimonio suo: nam Principibus adeunda sæpius longinqua imperii. Quotiens Divum Augustum in Occidentem atque Orientem meavisse, comite Livia? se quoque in Illyricum profectum; et si ita conducat, alias ad gentes iturum, haud semper æquo animo, si ab uxore carissima, et tot communium liberorum parente divelleretur. Annal. III. 34.

VARII FŒMINARUM PRINCIPUM MORES.

Livia Augusta, solers fœmina.

Sanctitate domus, priscum ad morem; comis ultra quam antiquis fœminis probatum; mater impotens, uxor facilis, et cum artibus mariti, simulatione filii, bene composita. Annal. v. 1.

Agrippina, Germanici uxor, fortissima.

Ingens animi, pudicitia impenetrabili, æqui impatiens, dominandi avida, virilibus curis fœminarum vitia exuerat. Annal. I. 69. IV. 12. VI. 25.

Livia, Germanici soror, uxor Drusi, atrox.

Soror Germanici, formæ initio ætatis indecoræ, mox pulchritudine præcellebat. Hanc *Sejanus*, ut amore incensus, adulterio pellexit: et postquam primi flagitii potitus est, (neque fœmina amissa pudicitia alia abnuerit,) ad conjugii spem, consortium regni, et necem mariti impulit. Atque illa cui avunculus Augustus, socer Tiberius, ex Druso liberi, seque ac majores et posteros municipali adultero fœdabat; ut pro honestis et præsentibus, flagitiosa et incerta expectaret. Annal. IV. 3.

Lepida et Agrippina, Neronis mater, infames.

Nec forma, ætas, opes multum distabant, et utraque impudica, infamis, violenta, haud minus vitiis æmulabantur, quam si qua ex fortuna prospera acceperant. Annal. XII. 65.

Poppæa, sub Nerone, magnorum reipublicæ malorum causa.

Huic mulieri cuncta alia fuere, præter honestum animum. Quippe mater ejus, ætatis suæ fœminas pulchritudine supergressa, gloriam pariter et formam dederat. Opes claritudini generis sufficiebant. Sermo comis, nec absurdum ingenium: modestiam præferre, et lascivia uti: rarus in publicum egressus; idque velata parte oris, ne satiaret aspectum, vel quia sic decebat. Famæ nunquam pepercit, maritos et adulteros non distinguens: neque affectui suo, aut alieno obnoxia, unde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferebat. Annal. XIII. 45.

Galeria, uxor Vitellii, Sextilia, ejus mater, laudatæ fœminæ.

Galeria Imperatoris uxor, non immitis tristibus: et pari probitate, mater Vitelliorum Sextilia, antiqui moris. Dixisse quinetiam, ad primas filii sui epistolas, ferebatur, non Germanicum a se, sed

Vitellium genitum. Nec ullis postea fortunæ illecebris, aut ambitu civitatis in gaudium evicta, domus suæ tantum adversa sensit. Hist. II. 64.

XXXVIII. FAMILLÆ.

Distinguebantur censu.

Distinctos senatus et equitum census, non quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent. Annal. II. 33.

Quæ a Tiberio levatæ aut multatæ?

Ut honestam innocentium paupertatem levavit, ita prodigos et ob flagitia egentes movit senatu, aut sponte cedere passus est. Annal. II. 48.

Juvabat quoque Augustus, ne clarissimæ familiæ extinguerentur.

M. Hortalus, nepos oratoris Hortensii, illectus a Divo Augusto liberalitate decies sestertii ducere uxorem, suscipere liberos, ne clarissima familia extingueretur. Annal. II. 37.

Idem Hortalus, quatuor filiis ante limen curiæ astantibus, ausus in senatu, præsente Principe, loco sententiæ pecuniam petere, repulsam a Tiberio passus est: leve tamen solamen filiis additum.

Si quantum pauperum est venire huc, et liberis suis petere pecunias cœperint; singuli nunquam exsatiabuntur, respublica deficiet: nec sane ideo a majoribus concessum est egredi aliquando relationem, et quod in commune conducat loco sententiæ proferre, ut privata negotia, res familiares nostras hic augeamus, cum invidia senatus et Principum, sive indulserint largitionem, sive abnuerint. Non enim preces sunt istuc, sed efflagitatio intempestiva quidem et improvisa, cum aliis de rebus convenerint patres, consurgere, et numero atque ætate liberum suorum urgere modestiam senatus, eandem vim in me transmittere, ac velut perfringere ærarium: quod si ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit. Dedit tibi, Hortale, Divus Augustus pecuniam, sed non compellatus, nec ea lege ut semper daretur: languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus, aut spes; et securi omnes aliena subsidia expectabunt, sibi ignavi, nobis graves—*Hæc cum respondisset Hortalo, addidit Tiberius*, ceterum si patribus videretur, daturum liberis ducena sestertia singulis, qui sexus virilis essent. Egere alii grates; siluit Hortalus, pavore, an avitæ nobilitatis etiam inter angustias fortunæ retinens: neque miseratus est posthac Tiberius, quamvis domus Hortensii pudendam ad inopiam delaberetur. Annal. II. 38.

Fuit etiam severitas sub Claudio Principe.

Laudati oratione Principis, qui ob angustias familiares ordine senatorio sponte cederent, motique qui remanendo impudentiam paupertati adjicerent. Annal. XII. 52.

Egestas vitiorum ferax.

Ob egestatem et metum ex flagitiis maxima peccandi necessitudo. Annal. III. 40.

Prona in audaciam.

Syllam inopem, unde præcipuam audaciam. Annal. XIV. 57.

Ipse metus paupertatis agit in scelera.

Insigne scelus senatoria audacia admisit Marcellus, Asinio Pollione proavo clarus, neque morum spernendus habebatur, nisi quod paupertatem præcipuum malorum credebat—Marcellum memoria majorum, et preces Cæsaris, pœnæ magis, quam infamiæ exemere. Annal. XIV. 40.

Nero prodigis donationibus imperium exhausit, familias non locupletavit.

Sub Galba Principe, proxima pecuniæ cura: et cuncta scrutantibus justissimum visum est, inde repeti, ubi inopiæ causa erat. Bis et vicies millies sestertium donationibus Nero effuderat. Appellari singulos jussit, decima parte liberalitatis apud quemque eorum relicta. At illis vix decimæ super portiones erant: iisdem

erga aliena sumtibus, quibus sua prodegerant, cum rapacissimo cuique ac perditissimo, non agri, aut fœnus, sed sola instrumenta vitiorum manerent. Exactioni triginta equites Romani præpositi, novum officii genus, et ambitu ac numero onerosum: ubique hasta, et sector, et inquieta Urbs auctionibus. Attamen grande gaudium, quod tam pauperes forent quibus donasset Nero, quam quibus abstulisset. Hist. I. 20.

Vitia, et turbarum causas fecit.

Mortuo Nerone, plebs sordida et circo ac theatris sueta, simul deterrimi servorum, aut qui adesis bonis, per dedecus Neronis alebantur, mœsti et rumorum avidi. Hist. I. 4.

Familiis, quæ et usura et usuræ remediis laborabant, egregie subvenit Tiberius.

Multi fortunis provolvebantur: eversio rei familiaris dignitatem ac famam præceps dabat: donec opem tulit Cæsar, disposito per mensas millies sestertio, factaque mutuandi copia sine usuris per triennium, si debitor populo in duplum prædiis cavisset. Sic refecta fides, et paulatim privati quoque creditores reperti. Annal. VI. 17.

Eadem Tiberii cura in calamitatibus.

Asperrima in Sardianos lues plurimum in eosdem misericordiæ traxit: nam centies sestertium pollicitus Cæsar, et quantum ærario, aut fisco pendebant, in quinquennium remisit. Magnetes a Sipylo, proximi damno ac remedio habiti, Temnios, Philadelphenos—Hierocæsaream, Myrinam, Cymen, Tmolum, levari idem in tempus tributis, mittique ex senatu placuit, qui præsentia spectaret, refoveretque. Delectus est M. Aletus e prætoriis, ne consulari obtinente Asiam æmulatio inter pares, et ex eo impedimentum oriretur. Annal. II. 47.

XXXIX. SERVI, LIBERTI.

Servi, infidum hominum genus.

Fluxa servitiorum fides. Hist. IV. 23.

Tanto magis laudandi, si iis sit fides.

Non tamen adeo virtutum sterile sæculum, ut non et bona exempla prodiderit— Contumax etiam adversus tormenta, servorum fides. Hist. I. 3.

Liberti sunt serviles.

Libertorum servilia ingenia. Annal. II. 12.

Dominorum fortuna arrogantes.

Libertis quoque ac janitoribus ejus (*Sejani*) notescere, pro magnifico accipiebatur. Annal. VI. 8.

Adulationibus corrupti.

Pallanti prætoria insignia, et centies quinquagies sestertium censuit consul designatus Barea Soranus: additum a Scipione Cornelio, grates publice agendas, quod regibus Arcadiæ ortus, veterrimam nobilitatem usui publico postponeret, seque inter ministros Principis habere sineret. Asseveravit Claudius, contentum honore Pallantem, intra priorem paupertatem subsistere. Et fixum est ære publico senatusconsultum, quo libertinus sestertii ter millies possessor, antiquæ parcimoniæ laudibus cumulabatur. Annal. XII. 53.

Imperiosi.

Claudius libertos, quos rei familiari præfecerat, sibique et legibus adæquavit. Annal. XII. 60.

Vani.

Nam et hi malis temporibus partem se reipublicæ faciunt. Annal. I. 76.

Venales.

Afferebant venalia cuncta præpotentes liberti. Hist. I. 7.

In Tigellino magnum documentum quam fœda obscuris pravisque hominibus studia, fortuna, sors.

Sophonius Tigellinus obscuris parentibus, fœda pueritia, impudica senecta, præfecturam vigilum et prætorii, et alia præmia virtutum, quia velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam, et virilia scelera exercuit: corrupto ad omne facinus Nerone, quædam ignaro ausus, ac postremo ejusdem desertor ac proditor. Unde non alium pertinacius

ad pœnam flagitavere, diverso affectu, quibus odium Neronis inerat, et quibus desiderium. Apud Galbam T. Vinii potentia defensus, prætexentis servatam ab eo filiam: et haud dubie servaverat, non clementia (quippe tot interfectis) sed effugio in futurum; quia pessimus quisque, diffidentia præsentium mutationem pavens, adversus publicum odium, privatam gratiam præparat: unde nulla innocentiæ cura, sed vices impunitatis. Eo infensior populus, addita ad vetus Tigellini odium recenti T. Vinii invidia, concurrere e tota Urbe in palatium ac fora, et ubi plurima vulgi licentia, in circum ac theatra effusi, seditiosis vocibus obstrepere: donec Tigellinus, accepto apud Sinuessanas aquas supremæ necessitatis nuntio, inter stupra concubinarum, et oscula, et deformes moras, sectis novacula faucibus, infamem vitam fœdavit etiam exitu sero et inhonesto. Hist. I. 72.

XL. VITA.

Egregia vita, quæ incorrupta.

Meminissent C. Asinii et Messalæ, ac recentiorum Arruntii et Æsernini ad summa provectorum incorrupta vita et facundia. Annal. XI. 6.

Beata, non ex opibus, sed ex morum constantia.

Neque mala, vel bona, quæ vulgus putet: multos qui conflictari adversis videantur, beatos; ac plerosque, quanquam magnas per opes, miserrimos: si illi gravem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur. Annal. VI. 22.

Vitæ claritatem imminuit nimia vivendi cupido.

Maraboduus consenuit, multum imminuta claritate ob nimiam vivendi cupidinem. Annal. II. 63.

Magni etiam animi spe vitæ franguntur.

Super tædium malorum, etiam spe vitæ, quæ plerumque magnos animos infringit. Hist. V. 26.

Quo duriora sunt tempora, eo magis firmandus animus.

Specta juvenis—in ea tempora natus es, quibus firmare animum expediat constantibus exemplis. Annal. XVI. 35.

XLI. MORS.

Vita per virtutem acta, mortis solamen.

Seneca moriens uxorem rogat oratque temperaret dolori, ne æternum susciperet, sed in contemplatione vitæ per virtutem actæ desiderium mariti solatiis honestis toleraret. Annal. XV. 63.

Est mortis distinctio.

Mortem omnibus ex natura æqualem, oblivione apud posteros, vel gloria distingui. Hist. I. 21.

Est quoque opportunitas.

Felix Agricola non vitæ tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis. Vit. Agric. XLV.

Vita etiam potior.

Honesta mors turpi vita potior. Vit. Agric. XXXIII.

Virtus morti superstes.

Multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruet, Agricola posteritati narratus et traditus, superstes erit. Vit. Agric. XLVI.

Ea non imaginibus, sed moribus exprimitur.

Ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt; forma mentis æterna, quam tenere et exprimere per alienam materiam et artem, sed tuis ipse moribus possis. Vit. Agric. XLVI.

Quæ defunctis amicis præstanda.

Non hoc præcipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu: sed quæ voluerit, meminisse; quæ mandaverit, exequi. Annal. II. 71.

INSCRIPTIO

TABULÆ TRAJANÆ EX ÆRE,

PRO PUERIS PUELLIS ULPIANIS ALIMENTARIIS

REIPUBLICÆ VELEIATUM.

Inscriptionem illam, rerum novitate et utilitate multiplicique eruditione insignissimam, quam supra me hic repræsentaturum esse promisi, proponam, et, quantum satis est, explanabo. Sequar autem accuratissimum exemplar, quod explicatione sua illustravit eruditus Muratori, et edidit Cl. Gori, Symbolæ literariæ opuscula varia, Vol. v. p. 33. Præter insignem Trajani liberalitatem, multa eruditis viris offeret, qui in ea deprehendent formam aliquam Romani census, cum quisque bona sua profiteretur. Initia quidem Tabulæ majoribus literis describam, reliqua minoribus, ne nimis turgeat pagina.

Hic autem titulus super septem columnas tabulæ æneæ excurrit:

1. OBLIGATIO. PRAEDIORVM. OB. H-S. DECIENS. QVADRAGINTA. QVATTVOR. MILLIA. VT. EX. INDVLGENTIA. OPTIMI. MAXIMIQVE. PRINCIPIS. IMP. CAES. NERVAE. TRAIANI. AVG. GERMANICI. DACICI. PVERI. PVELLAEQVE. ALIMENTA. ACCIPIANT. LEGITIMI. N. CCXLV. IN. SINGVLOS. H-S. XVI. N. F. H-S. $\overline{XLVII}$. XL. N. LEGITIMAE. N. XXXIV. SING. H-S. XII. N. F. H-S. IV. DCCCXCVI. SPVRIVS. I. H-S. CXLIV. SPVRIA. I. H-S. CXX. SVMMA. H-S. $\overline{LII}$. CC. QVAE. FIT. VSVRA. ∽ ∽ ∽ ∽ ∽ SORTIS. SVPRA SCRIBTAE.

Ut cuivis facile sit hanc Inscriptionem cursim et sine remora legere, sufficit unum alterumve ejus numerum illustrare et explicare: tunc nulla supererit difficultas. Sic autem legendus est titulus:

'Obligatio prædiorum ob sestertium decies quadraginta quatuor millia, ut ex indulgentia optimi maximique Principis, Imperatoris Cæsaris Nervæ, Trajani, Augusti, Germanici, Dacici, pueri puellæque alimenta accipiant. Legitimi numero 245. in singulos *accipiant* sestertios 16. numero, *cum assibus* 2. faciunt sestertium 47, 040. *cum assibus* 6. Legitimæ numero 34. singulæ *accipiant* sestertios 12. numero, *cum assibus* 2. faciunt sestertium 4896. *cum assibus* 6. Spurius I *accipiat* sestertios 144. cum assibus 12. Spuria I *accipiat* sestertios 120. *cum assibus* 6. Summa *est* sestertium 52,202. quæ fit usura quincunx, *five per cent.* sortis supra scriptæ.' Nempe sestertium decies quadraginta quatuor millia est sors supra scripta.

COLUMNA PRIMA.

2. C. VOLVMNIVS. MEMOR. ET. VOLVMNIA. Alce per Volum, Diadumenum. libertum suum. professi sunt fundum Quintiacum. Aurelianum. collem. Muletatem. cum sylvis. qui est in Veleiate pago Ambitrebio. ad finibus. M. Mommeio. Persico. Satrio. Severo. et Pop. H-S CVIII. accipere debet H-S VIIIDCLXXXXII. N. et fundum. s. s. obligare.

Alterum hunc numerum sic lege: 'Caius Volumnius Memor et Volumnia Alce per Volumnium Diadumenum libertum suum professi sunt fundum Quintiacum Aurelianum, collem Muleiatem cum sylvis, qui est in Veleiate pago Ambitrebio, adfinibus Marco Mommeio Persico, Satrio Severo, et populo sestertium 108,000. accipere debet sestertium 8692. numero, et fundum supra scriptum obligare.'

3. M. Virius. Nepos. professus est prædia rustica deducto vectigali H-S CCCXDXXXXV. N. accipere. debet H-S XXVCCCLIIIN. et. obligare fundum. Planianum. qui est in Veleiate pago Junonio. adfinibus Prisco. Palameno. et. Velleio. Severo. et pop. quem professus est H-S XIIII et. fundum Suigianum. cum. casis III. pago. s. s. ad. fine. C. Calidio et Velleio. Proculo et. pop. quem. professus. est. H-S. XX. et fundum Petronianum. pago. et ad f. s. s. quem professus est H-S IIII et fundum Manlianum Hostilianum cum casa pago s. s. ad f. Cœlio Vero et Bæbio Vero et pop. quem professus est H-S XI in H-S IIICCCL III. N. item fundum Manlianum Storacianum. Calpurnianum pago s. s. ad f. Ulvis Stolicinis. fratribus. et Vettis. fratribus quem. professus. est. H-S XX et fund. Munatianum. Attianum. cum. casis. III. pago s. s. ad f. Valerio Adulescente. et Bæbio. Vero et pop. quem. professus. est. H-S XXVIII. et. fundum Munatianum Attianum. cum casis. pago. s. s. ad f. Nævis fratribus et. Syllælis. fratribus. quem professus est H-S XIII. in H-S V. item fund. Arsuniacum. cum casis. pro. parte dimidia. et. tertia. et. duodecima. pago. s. s. ad f. Cœlis fratribus. et. pop. quem. professus. est H-S XXCIIII-CCCXXXIII. N. in H-S VI. Item. fundum Propertianum. pago. s. s. cum. casa ad f. Atilio. Palameno. et. Aiasis. fratribus. et. pop. quem. professus. est. H-S XXICCCCX. N. et fundum. Messianum Allelianum. pro parte. quarta. qui est in Veleiate. pago. Domitio. ad. f. Volumnio. Crescente. et Novellis frat. et pop. quem. professus. est. XIIII. et fundum Licinianum Verianum. pro parte. dimidia. qui est. in Veleiate. pago. Junonio ad. f. Palameno. Prisco et Pullieno. Prisco. quem. professus. est. H-S VIIDC. N. in H-S III. Item fund. sive. saltus. Narianos Catusanianos. pro. parte. dimidia. et. III. qui. sunt. in Veleiate. pago. Junonio. ad. f. C. Cœlio. Vero. et. Dellio. Proculo. quos. professus. est H-S LXIIII. in. H-S IIII. Item fundum Munatianum. Præstanum. Vibianum. Vaculeianum. pago. s. s. ad f. Stonicelis fratribus. et. pop. quem. professus est H-S XIIII et fund. *Cornelianum. Colacterianum. Flaccelianum.* cum colonia Munatiana Artesigia pro. parte dimidia. et coloniam Vettianam Cornelianam. pro parte. quarta pago s. s. ad f. Cœlio. Vero. et. Catunio Pupilio et. pop. quem professus est H-S XXVICCC. N. Item fund. Accilianum. Albonianum. *Caninianum.* pro part. dimidia. pago s. s. ad f. Dellio Proculo. et Æbutis. frat. et pop. quem professus est H-S XCDXXXII. N. in H-S IIII.

Tertium quoque hunc numerum haud inutile erit explanare, cum quædam forte non ita omnibus comperta et pro sequentibus numeris in exemplum profutura contineat. 'Marcus Virius Nepos professus est prædia rustica, deducto vectigali, sestertium 310,545. numero, accipere debet sestertium 25,333. numero; et obligare fundum Planianum qui est in Veleiate pago Junonio, adfinibus Prisco Palameno, et Velleio Severo, et populo,

quem professus est sestertium 14,000. et fundum Suignianum cum casis tribus, pago supra scripto, adfine Caio Calidio, et Velleio Proculo et populo, quem professus est sestertium 20,000. et fundum Petronianum pago et adfinibus supra scriptis, quem professus est sestertium 4,000. et fundum Manlianum Hostilianum cum casa, pago supra scripto, adfinibus Cœlio Vero et Bæbio Vero et populo, quem professus est sestertium, 11,000. in sestertium, 3,353. numero' (nempe Virius professus est fundum Manlianum Hostilianum in sestertium 11,000. sed illum obligavit tantum in sestertium 3,353.) ' item fundum Manlianum, Storacianum, Calpurnianum, pago supra scripto, adfinibus Ulvis Stolicinis fratribus, et Vettiis fratribus, quem professus est sestertium 20,000. et fundum Munatianum Attianum cum casis tribus, pago supra scripto, adfinibus Valerio Adolescente et Bæbio Vero et populo, quem professus est sestertium 28,000. et fundum Munatianum Attianum, cum casis, pago supra scripto, adfinibus Næviis fratribus, et Sillælis fratribus, quem professus est sestertium 13,000. in sestertium 5,000. item fundum Arsuniacum cum casis, pro parte dimidia, et tertia, et duodecima (Angl. dicimus *one half, one third, and one twelfth*), ' pago supra scripto, adfinibus Cœliis fratribus, et populo, quem professus est sestertium 84,333. numero in sestertium 6,000. item fundum Propertianum, pago supra scripto, cum casa, adfinibus Atilio Palameno, et Aiasis fratribus, et populo, quem professus est sestertium 21,410. numero; et fundum Messianum Allelianum, pro parte quarta, qui est in Veleiate pago Domitio, adfinibus Volumnio Crescente, et Novellis fratribus, et populo, quem professus est sestertium 14,000. et fundum Licinianum, Verianum, pro parte dimidia, qui est in Veleiate pago Junonio, adfinibus Palameno Prisco, et Pullieno Prisco, quem professus est sestertium 7,600. numero, in sestertium 3,000. item fundum, sive saltus Narianos, Catusanianos, pro parte dimidia, et tertia, qui sunt in Veleiate pago Junonio, adfinibus Caio Cœlio Vero et Dellio Proculo, quos professus est sestertium 64,000. in sestertium 4,000. item fundum Munatianum, Præstanum, Vibianum, Vaculeianum, pago supra scripto, adfinibus Stonicelis fratribus et populo, quem professus est sestertium 14,000. et fundum Cornelianum Colacterianum, Flacceliacum cum colonia Munatiana Artesigia pro parte dimidia, et coloniam Vettianam, Cornelianam, pro parte quarta, pago supra scripto adfinibus Cœlio Vero, et Catunio Pupilio, et populo, quem professus est sestertium 26,300. numero: item fundum Accilianum, Albonianum, Caninianum, pro parte dimidia, pago supra scripto, adfinibus Dellio Proculo, et Æbutis fratribus, et populo, quem professus est sestertium 10,432. in sestertium 4,000.'

4. T. Nævius. Verus. per Nævium Nepotem. f. professus est prædia rustica deducto vectigali H-S LXXVII CXCII. accipere debet H-S VI CXCVII. N. et obligare colonias III in Veleiate pag. Bagienno vico Ivanelio ad f. C. Nævio. et. M. Appio. et pop. quas. professus est H-S X et coloniam. pago. s. s. vico Nitelio. ad f. Licinio. Catone. et. populo quem professus est. H-S IX. et. fundum. Ebureliam. cum sylvis p. p. quarta in Veleiate. pag. Domitio. ad f. Sulpicia. Priscilla et pop. quem. professus est. H-S. XIIDCCCXXIX. N. et. fundum Messianum. pago. s. s. ad f. Apthoro. et C. Volumnio. et pop. quem. professus. est. H-S XI. in H-S III. N. Item fund. Ivanelium. qui. est. in Veleiate. pag. Bagienno. ad f. Nævio Firmo. et Appio Vero. et Virio. Firmo et pop. quem. professus. est. H-S LXX. in H-S IIICLXXXXVII. N. (*Nævius Verus professus est prædia rustica* H-S LXXVIICXCII. *Accepit* H-S VI CXCVII.)

5. C. Valerius. Verus. professus est.

suo. nomine. et. T. Valeri. fratris. sui. et. P. Valeri. Ligurini. prædia. rustica. H-S C... IICD. N. (*corrigendum, ut patet ex singulis summis,* H-S CCXXIII DC. N.) Accipere debent. H-S XIICCXXXIII. N. et. obligare fundos. Terentianos. et Malapacios. qui. sunt. in Veleiate pag. Statiello. ad f. re. p. Lucensium. et. Licinio. Ruparcellio. et. pop. quos. professus. est. H-S LIIID. N. (*legendum* LIII D. N.) in H-S V. Item. fund. Ibittam pag. et. ad f. s. s. quem professus est H-S XX DIII. N. Item. fundum. Crossiliacum pag. et. ad f. s. s. quem professus est H-S IIC. N. In H-S II. Item fund. Buelabras. et Jusculuatum. pro. parte. dimid. qui sunt. in Veleiate. pag. Salutare. ad. f. M. Vario. et. Cœlio. Pudente. et. pop. quem. professus. est. H-S XXX. (*legendum,* H-S XXX) in H-S IICCXXXIII. N. Item. fund. Mettunia. pag. s. s. ad f. rep. Veleiatum. quos. professus est H-S XXXI DC N. in H-S III. (*Valerius professus est prædia rustica* H-S CCXXIIIDC. *Accepit* H-S XIICCXXXIII.)

6. M. Antonius. Priscus. professus. est. prædia. rustica. H-S CCXXLIII. XXC. N. (*Corrigendum,* CCXXICD. XXC. *Nam singulæ summæ* 221.488.) .. pere. (*Supplendum,* accipere) debet H-S XVIII. XXVIII. N. et. obligare. fundos II. An.... anum (*supple,* Antonianum, ut infra num. 42.) et Cornelianum. qui. sunt. in. Veleiate. pag. Albe... e (*Supple,* Albense, *ut infra num.* 17. *et* 22.) vico. Seceniæ. ad f. Antonia. Vera. et. se ipso. quos. professus est H-S XXIII. in H-S II. Item fundos. II. Albonianos. Vib ..... lianos. loco.. s. (*Supplendum,* s. s.) ad f. Aulio. Prisco. et s. s. et fundos. Antonianos II. loco. s. s. ad. f. Antonia. Sabina. et Vera. et popul. quos. professus H-S XVIII. et Vettucianum. Auctianum. ad. f. Calidio. Proculo. et. pop. loco. s. s. et fund. Ancarianum. loco s. s. ad. f. Calidio. Prisco. et Antonia. Vera. et pop. quos. professus. est. pluribus. summis. H-S XLIII DCLVIII. N. in H-S IIII. Item. fund. Calidianum. Licinianum. pag. s. s. vico. Blondeliæ. ad. f. Antonio. Sabino. et. Calidio. Prisco. et. fundum. Calidianum. Sarvelianum. Papirianum. loco. s. s. ad. f. Calidis. Vero. et. Proculo. et. pop. et. fundos. Virianos. Calidianos. Salvianos. duos. loco. s. s. ad. f. Antonio. Sabino. et. Calidio. Vibio. quos. pluribus. summis. professus est H-S XXIII DCCCCXXX. N. in XII XXVIII. N. Item. fund. duos. Valianos. Antonianos. Messianos. Caturnianos. loco. s. s. ad. f. Virio. Sivero. (*Lege,* Severo, *ut infra.*) et. Albio. Secundo. et. C. Cominio. et. pop. quos. professus. H-S XXXII. in H-S III. Item. fund. Bassilianum. Caturnianum. loco. s. s. ad f. Atilio. Firmo. et. pop. It. (*lege,* item) fund. Saccuasicum. Sextianum. loco. s. s. ad. f. Annis. (*Lege,* Anniis) fratrib. L. et. C. et. fund. Atilianum. cum. sylvis. communionibus. Annis. frat. et Atilio. Firmo. quos pluribus. summis. professus. est. H-S XLVI. in. H-S IIII. Item fund. Ennianum. loco. s. s. sive. pag. Domitio. ad. f. Virio Severo. et. Albio. Secundo. et. pop. quem. professus. est. H-S XXXV. in. H-S III. (*Antonius Priscus professus est prædia rustica* H-S CCXXI CD. XXC. Accepit H-S XVIII. XXVIII.)

7. P. Afranius. Apthorus. professus est. prædia. rustica. H-S CDXXV. Accipere. debet. H-S XXXIIII. CCVI. N. et. obligare saltum. Hiluonum. qui. est. in Veleiate. pag. Domitio. ad f. Annis. fratribus. et. Volumnio. Crescente. et. pop. quem. professus. est. H-S. CCLXXV. in. H-S XXV. Item coloniam. Solicelos. pag. s. s. ad f. Sulpicia. Prisca. et. s. s. quem. professus. est H-S XXV. in H-S II Item. saltum. Attilian. pag. s. s. ad. f. Licinio. Catone. et. Antonio. Prisco. et. pop. quem. professus. est. H-S CXXV. in. H-S VII CCVI. N. (*Apthorus professus est prædia rustica* H-S CDXXV. *Accepit* H-S XXXIIII. CCVI.)

8. L. Cornelius. Onesimus. professus est. saltum. Tuppelium. Voluminianum.

pro. parte. dimidia. qui est. in. Veleiate. pag. Domitio. ad f. Cornelio. Helio. et. Sulpicio. Nepote. et. pop. H-S LI. Accipere. debet. H-S IIII CIIII. N. et. pro. parte. saltum. s. s. obligare. (*Onesimus professus est partem dimidiam saltus*, H-S LI. *Accepit* H-S IIII CIIII.)

COLUMNA SECUNDA.

9. P. ATILIUS SATURNINUS. per. Castricium. Secundum. professus. est. fund. Fontelanum qui est in Veleiate pago Junonio. ad f. Atilio adulescente et M. Ælio Severo et pop. H-S L. Accipere debet H-S IIIIXXV. N. et obligare fund. s. s. (*Saturninus professus est fundum Fontelanum* H-S L. *Accepit* H-S IIII-XXV.)

10. Sulpicia. Priscilla. per. Sulpicium. Subarum. lib. suum. professa. est. præd. rustica CCCCLXXXX. Accipere. debet. H-S XXXVIIIDCXXX. N. et. obligare. salt. sive. fund. Rubacotium. et. Solicelo. in. solidum. et. saltum. Eboreliam. pro. parte. dimidia. qui est. in Veleiate pago Domitio sive Ambitrebio. ad f. Afranio. Apthoro. et. Cœlio. Vero. et. pop. quem. professa. est. H-S CCCC. in H-S XXXIIII. Item saltum Rubacaustos· in Veleiate. pag. Domitio. ad f. Afranio. Apthoro. et. Sulpicia. Prisca. et. populo. quem. professa. est. H-S XC in H-S IIIIDCXXX. N. (*Priscilla professa est prædia rustica* H-S CCCCLXXXX. *Accepit* H-S XXXVIIIIDCXXX.)

11. M. Vibius. Q. f. (*lege*, Quinti filius) per M. Vibium. Verum. f. suum. professus. est. prædia. rustica. H-S XXC. Accipere. debet. H-S VI CCCCXXX-VIII. N. et. obligare fund. Mucian. Veturianum. cum meride. qui est in Veleiate. pag. Florito. ad. f. Petron. Epimele. fratribus Atedis. et. pop. quem. professus. est. H-S LVI in H-S V. Item. fund. Gellianum. Flavianum. pag. s. s. ad. f. Atedis. fratribus. et se ipso et pop. quem. professus. est H-S XXIIII. in H-S ICDXXXVIII. N. (*Vibius professus est prædia rustica* H-S XXC. *Accepit* H-S VICCCCXXXVIII.

12. L. Sulpicius. Verus. professus. est prædia. rustica H-S LXXIDXXII. N. Accipere. debet. H-S VDCCXIIII. N. et. obligare fundos. Lubautinos Obsidianum Arrianum qui est. in Veleiate pag. Valerio. ad f. re. p. Lucensium. et Minicio Vero. et Vicrio Sabino. et. L. Atilio et. fund. Marianum. in Veleiate pag. Salvio, ad. f. Granio Prisco. et Jarsunio et Sulpicio Baccho quas (*corrige*, quos) duabus summis. professus. est. H-S XXVIII-DC N. (*Erratum est in numeris. Summæ enim singulæ non concordant cum summa tota. Concordabunt, si hic emendetur* XXXIDXXII.) in H-S IICCXIIII. N. Item. fund. Lucilianos Didianos. qui sunt. in Veleiate. pago Valerio ad f. Lucensibus et. Valeria. Polla. quos. professus est. H-S X L in H-S III D. N. (*Verus professus est prædia rustica* H-S LXXI-DXXII. *Accepit* H-S VDCCXIIII.)

13. C. Vibius. Probus. per. Vibium. Sabinum professus est. prædia rustica. H-S LVIIIDCCC N. Accipere. debet. H-S IIII DCLXVIII. (*Deest, et*) obligare fund. Maticianos. cum casis. in Veleiate pago Salutare. ad. f. Attielio et Nævis fratrib. quos. professus est H-S XXIIII. in H-S II. Item fund. Geminianos. Pisuniacum pag. s. s. ad. f. Atilio. Attielao. et pop. quos professus est. H-S XIIDCC. N. (*Emendandum.* XIIDCCC. *ni forte centenarius unus numerus in summa tota redundet.*) in H-S ∞. Item, casas pag. et ad f. s. s. et fund. Veccalenium Cotasianum pro parte dimidia. pag. s. s. ad f. Atilio. Attielao. et Velleio. Ingenuo quos duabus. summis professus. est. H-S XXII in H-S ∞ DCLXVIII. N. (*Probus professus est prædia rustica* H-S LVIIIDCCC. *Accepit* H-S IIIIDCLX-VIII.)

14. M. Mommeius. Persicus professus est. præd. rustica. in Veleiate. et Placentino. deducto vectigali et eo quod. Cornelius Gallicanus obligavit IXI CLXXXDC. N. Accip. debet H-S XCIIIIDCCLXV. N. et. oblig. fundum. Attianum. in. Veleiate pago Ambitrebio ad f. Pontis frat. (*Lege,* Pontiis fratribus.) et fundum Albianum. pag. s. s. et fund. Furianum. pro parte. quarta. pag. s. s. et fund. Metelianum. pro parte dimid. et VI. (*Lege,* pro parte dimidia et sexta.) pag. s. s. ad f. Battis. fratribus. et fund. Mucianum Vettianum. p. p. dimid. pag. s. s. ad f. Virio. Severo. et Minicia Polla. quos. professus est. pluribus summis H-S LVICDLX. N. in H-S III. Item. fund. Statianum. cum colonia Gentiana pag. s. s. ad f. Licinio Catone. et Vibio. Severo. quem. professus. est. H-S XL. in H-S IIID. N. Item fund. Lereianum p. p. dimid. pag. s. s. ad f. re. p Placentinorum. quem professus. est H-S XXIID. N. et fund. Æstinianum Antistianum Cabardiacum p. p. dimid. pag. et ad f. s. s. quem. professus est H-S XLV. in. H-S V. Item fund. Vellium pag. s. s. ad f. M. Bæbio quem professus est. H-S LVI in H-S V. Item fund. Vibianum Bæbianum pag. s. s. ad f. L. Atilio quem professus. est H-S L. in H-S IIID. N. Item fund. Olympianum. pro. p. dimid. pag. s. s. ad f. Virio Severo. et Volumnio. Memore quem. professus est H-S XXVI. in H-S II. Item. saltum Atianum cum. fundo. Flaviano Vipponiano. p. p. dimidia. Item. fund. Messianum. p. p. III. et XXIIII. (*Lege,* pro parte tertia et vigesima quarta) pag. s. s. ad f. Cornelia. Severa. et. Licinio. Catone. quos professus est H-S LXXVIID in H-S VIID N. Item. fund. Castricianum pag. s. s. vico. Flania ad f. se. et. alis. (*Lege,* aliis.) quem professus est H-S XL. in H-S VCCCCXL. IV. N. Item fund. Calventianum. quem professus est H-S XL. in H-S IIID N. Item fund. Calidianum. quem professus est H-S XXXV. in H-S III. Item fund. Gallianum. quem. professus. est. H-S XII. in H-S ∞. Item fund. Murrianum quem professus est H-S XXCV in H-S VII. D N. Item fund. Ligusticum. quem professus est H-S XL in H-S IIII D. N. Item fund. Ennianum. p. p. dim. quem. professus est H-S XV. in H-S ∞. Item fund. Valerianum quem professus est H-S LXXXV. in H-S VII D. N. Item saltum. Canianum. quem professus est H-S XVI. in H-S ∞. Item fund. Carbardiacum. Veterem in Veleiate pag. s. s. ad f. C. Volumnio Memore. et. re. p. Placentinorum et Metello. Firmino quem. professus. est. H-S CCXI in H-S XVII. Item fund. Licinianum. p. p. dimidia. qui. est. pag. s. s. ad f. Licinio Vero. quem. professus. est. H-S VIII. et. fund. Dellianum. cum. colonia. qui. est. in. Veleiate. pag. Floreio ad f. Granio. Prisco. et. Bæbio. Vero. quem. professus. est. H-S XXIIIDC. N. in H-S IICCCXXI. N. Item fundum Attilianum qui est. in. Placentino. pago. Venerio. ad f. L. Atilio. quem. professus. est. H-S XXX. in H-S IID. Item. fund. Clennanum. p. p. dimid. pag. s. s. quem. professus est. H-S XXV. in H-S II. Item. fund. Granisium. Furianum. Munatian. in. Placentino. pag. s. s. ad f. Licinio Catone quem. professus est. H-S XII. in H-S ∞. Idem (*corrige,* item.) fund. Cinnianum. pag. s. s. ad f. fund. s. s. et. fund. Bittianum. p. p. dimid. pag. s. s. ad f. L. Atinio et fund. Caninianum. pag. s. s. ad f. fundis. s. s. quos professus est. pluribus summis H-S XVI LVI. N. in H-S ∞. Item fund. Satrianum. in Veleiate pag. Vercellense. ad fin Domitio Primo. et. Atilio. Saturnino. quem professus. est H-S LVI. in H-S V. Item. fund. Venuleianum pag. Vercellensi. ad f. Clodio Grapio. et. fundi. (forte, fund. *vel* fundum.) Solianum et fundi. Avilliani partem. dimidiam. in Placentino. pag. Veronense ad f. P. Atilio. et Arruntio. Nepote. et fund Blassianum. p. p. VI. pag. Lurate. ad f Mirulinis. quos. pluribus. summis. professus est. H-S XIIX in H-S ∞. N. (*Persicus professus est prædia rustica* H-S IXI CLXXXDC N. *Ac-*

cepit H-S XCIIII DCCLXV. ***De obligationibus Gallicani vide infra num.* 48. *columna septima.***

15. P. Albius. Secundus. per. Albium. Severum. fil. suum. professus præd. rustica H-S CLI. CC. N. Accipere debet H-S XII. CIIII. N. et obligare. fundum. Julianum cum figlinis. et coloniis VIIII. pagis IV. Nonio et Domitio. ad f. Mælio. Severo. M. Velleio. Fisio Dioga et pop. quem professus est H-S CXX. in H-S X. CIIII. N. Item. fund. sive saltum. Bettutianum. p. p. tertia. que. (*Lege,* quæ.) est. in. Veleiate. pag. Domitio. vico Caturniaco. ad f. Antonio Prisco. et. C. Antonio. et. pop. quem professus. est. H-S XXVICC N. (*Emendandum* XXXI CC N.) in H-S II. N. (*Albius professus est prædia rustica* H-S CLI CC. *Accepit* H-S XII. CIIII.)

16. C. Delius Proculus per C. Delium Hermen. lib. suum. professus est prædia. rustica. deducto. vectigali H-S CCXCII-DCCC. N. Accipere debet H-S XXIII. DI. N. et. obligare. fund. Mucianum. p. p. dimid. qui est in Veleiate. pag. Floreio· ad f. M. Petronio Epimele et L. Granio Proculo. et. pop. et. fund. Cornelianum. Terentianum. pag. s. s. ad f. Calidio. Censore. et. L. Granio. et. pop. et. fundum Vitilianum. Rufianum pro. parte. III. pag. Floreio ad f. se. et. Valeris fratr. et. fund. Pulleliacum. p. p. dimid. pag. s. s. ad f. Æbutio Secundo. et. Dama et fund. Virogæsium. pro. parte. sexta. in Veleiate. pag. Salutare ad f. Vetelatibus. quos. pluribus. summis. profes-.

COLUMNA TERTIA.

SUS EST H-S XLIV DCXXX N. IN H-S IIII. ITEM fund. Aselianum. Egnatianum. p. p. dimidia. cum. meridibus. qui est in Valeiate. pag. Junonio. ad f. Vibio Proculo. et pop. quem. professus est H-S XXXIII. in H-S III. Item. fund. Afranianum. Mantianum. Bittellum. Arruntianum. pag. s. s. ad f. re. p. Lucensium. et Minicia Polla et pop. quem. professus est H-S CLV in H-S XIII. Item... nd. (*Lege,* item fund.) sive saltum Narianum Catucianum p. p. IIII. qui est. in Veleiat... (*Lege,* Veleiate) pag. Junonio ad f Virio Nepote et pop. quem. professus est H-S XXI. D N C.. (*Lege,* et) fund. Corbellianum Aselianum Egnatianum cum. meridib. pag, s. s. ad f. Avillio Optato. et. Vibio. Proculo et pop. quem. professus. est. H-S LIII ... (*Corrigendum est,* LX CC. N. in) H-S III. DI. N. (***Proculus professus est prædia rustica*** H-S CCXCII DCCC. *Accepit* H-S XXIII DI.)

17. C. Cœlius. Verus. per. Onesimum· ser. suum. prof. est. præd. rustica. in Plac. (*Lege,* Placentino.) et Veleiate. et Libarnensi. deducto vectigali. et is (*Lege,* iis) quæ ante . . . . melius. (*Supple,* Cornelius.) Gallicanus. et Pomponius Bassus. obligaverunt H-S DCCCXLII. DCCCLXXVIIII. N. Accipere debet H-S LXVII DCCCL. N. et oblig. fund. Coliacterum p. . (*Supple,* p. p. *id est,* pro parte.) dim. et. colonia. Cinnerum p. IIII. (*Supple,* p. p. IIII. *id est,* pro parte quarta.) qui sunt. in. Veleiate. pag. Junonio. ad f. V... rio. (*Supple,* Virio.) adulescente et Virio. Nepote. et pop. et fund. Antonianum. in Veleiate pag. Medutio. ad f. Attis fratrib. et Atilio. Expectato. et pop. quos duab· summis... of. (*Supple,* prof.) est. H-S XXXVII CD. N. in H-S III CCCL. Item. fund. Vembrunium. Paternum... T. in Veleiate. pag. Domitio. ad. f. Licinio· Catone. et Sulpicia. Priscilla... quem. professus est H-S LXXI CD. in H-S VI. N. Item fund. Satrianum.... in Veleiate. pag. Velleio. ad f Lucensib. et. Annis fratrib. et pop. quem. prof. est, . H-S XXXII in H-S III. Item. fund. Vibianum. Librelium in Veleiate pag. Statielo ad f. s. s. quem professus est. H-S XXX CC N. in H-S II. Item. fund. Citianum Roudelium. p. p. dimid. qui est. in Veleiate. pag. Albense. ad f. s. s. quem professus est. H-S XXXVI. in. H-S III. Item. fund. Dirrianum. in Veleiate. pag. Juno-

nio. ad f. Virio. Nepote. et. Annis. fratrib. in (*corrige*, et) fund. Græcanasium. totum. et fund. Patern. p. p. quinta. et parte. x. et Claris. p. p. III. et fund. Atrelanum. p. p. IIII. qui sunt in Veleiate. pag. Domitio ad f. Vibio Severo. et. Attis frat. et pop. et fund. Mucianum. cloustrum. Tullare. p. p. dimid. qui est. in Veleiate. pag. Albense. ad f. Æbutio. Saturnino. et Annis. et pop. et. fund. Antonianum. Scuvonianum. Tullar. p. p. dimid. in Veleiate. pag. Albense. ad f. Æbutio. Saturnino et. pop. quos. pluribus. summis. prof. est. H-S XXXI. LX. in H-S III. Item. saltum. Bittuniam. Albitemium. qui est. in Veleiate. et in Lucensi. pagis Albense. et. Minervio. et. Statiello. ad. f. re. p. Lucensium. et Annis frat. et. pop. quem. professus. est H-S CCCL in H-S XXX. Item. fund. Atilianum. Anitielium. qui est. in Veleiate. p. p. VIII. pag. Bagienno. ad f. Licinio. Catone. et. Cornelia Severa. et. fund. Valerianum. Amudis. in Veleiate. et. Parmensi. pagis. Salutari et. Salvio. ad. f. Lucensib. et Vettis. frat. et pop. en. (*corrige*, et.) Senianum in Velei. pag. Midutio. ad f. Flavis. frat. et L. Attio. et pop. quos. plurib. summis. professus est. H-S XXIIII in H-S II. Item. fund. Bæbianum. Flavianum. qui est in Placentino. pag. Vercellense ad f Appio Sabino. et M. Minicio. et pop. quos. professus est H-S XI H-S CCCC N (*Corrupti sunt numeri. Corrigendum est, ut patet, ex singulis summis cum tota collatis*, quos professus est H-S XVI LXXV N.) in H-S III. CD LX. VIII. N. Item fund. Calidianum. Epicandrianum. Lospistum. Valerianum. cum. Allia. (*Lege*, Cumallia. *id est*, Cumallianum, ut infra.) p. p. dimid. et IIII. pag. s. s. ad f. Virio Nepote et. Smaëlio. Severo et Atilio. Successore. et pop. quos. professus. est. H-S LVIIII XXIV. N. in H-S V. D. N. Item. fund. Cærellianum. Cumlalian. p. p. dimid. et IIIr. pag. s. s. ad f. Volumnio. Crescente. et. fundo. Messiano. et. Berullianum. in. Placentino. pag. Herculanio. ad. f. M. Minicio. quem. professus. est. duab. summis. H-S XXIII-DCCXXC. in H-S II. Item fund. Polionianum. in Plac. pag. Farraticano. ad f. L. Delio. Publicio. Stephano. p. p. III. quem professus est H-S X. et fund. Dellianum. Afranianum. et. fund. Dellianum. p. p. dimid. qui sunt. in Veleiate pag. Floreio. ad. f. Q. Bæbio. Æbutio. Pudente. et. pop. quos. duab. summis. professus est. H-S CXXII. in. H-S IV DXXXII. N. (*Verus professus est prædia rustica* H-S DCCCXLII. DCCC. LXXVIIII. *Accepit* H-S LXVIIDCCCL.)

18. L. Annius. Rufinus. nomine. suo. et. C. Anni. Veri. frat. professus. est. præd. rustica. deducto. vectigali. et. quod. Pomponius. Bassus. obligavit. H-S IXI XIIII CX. N. Accipere. debent. H-S XXCIII. DCCCCL. et. obligare. fundos. Solianum cum. communionibus. qui. est. in Veleiate. pag. Bagiennio. ad f. Nævis. (*Lege*, Næviis) Firmo. et. Memore. et. pop. quem. professus. est. H-S LXXIIII. in H-S II. Item. fund. Bivelium cum *communionib. pag. s. s.* ad f. Antonio. Prisco. et. pop. quem. prof. est. H-S CXXIII. CD. N. in H-S X. Item. fund. Spenellam cum. communionibus. qui. est in Veleiate pag. Domitio ad f. Cn. Antonio. Prisco et Licinio Capitone quem professus est H-S XXVI. in H-S II. Item. fund. Bocelis pag. s. s. cum communionib. ad f. Cn. Antonio. et. Atilis. et. pop. quem. professus est H-S XX. in H-S I. CDL. Item Vatinanos. Tovianos. p. p. dimid. qui sunt. in. Veleiate. pag. Statiello. ad f. re. p. Lucensium. et. Annia. Vera. et. pop. quos. professus est H-S CL. in H-S XI D. N. Item. fund. Atidianum. Tovianis. cum. communionib. qui est. in Veleiate pag. s. s. ad f. Cœlio. Vero. quem. professus est H-S XXV. in H-S II. Item fund. Undigenis. cum. communionib. pag. s. s. ad f. Lucensibus. et. C. Cœlio. et. pop. quem. professus. est. H-S XLIV. in H-S IIII. Item. fund. Roudelium. Glitianum. cum. communionib. qui est in Veleiate.

pag. Albense. ad. f. re. p. Lucensium. et. popul. quem. professus est H-S XXXVI. in H-S III. Item. fund. Mucianum. cloustrum. p. p. dimid. pag. s. s. ad f. Æbutio. Saturnino. et. Cœlio. Vero et. pop. et fund. Antonianum. Sevonianum. Tullare. p. p. dimid. pag. s. s. ad f. s. s. quos. duabus. s. (*Lege*, summis.) professus est H-S XIIX. N. in H-S ∞. Item saltum. sive fundos. Avegam. Veccium. Debelis. et saltum. Velvias. Leucumelium. Q. S. in Veleiate. pag. Albense. et. Velleio ad f. re. p. Lucensium et Veleiatum. et. Æbutio. Saturnino. quos. professus est H-S CLXXIIX N in H-S XVI. Item saltum. Bituniam. et Albitemium. Betutianum. qui est. in Veleiate. et Lucense. pagis. Albense. et. Minervio. et Statielo. ad f. r. p. Lucensium. et. Cœlio. Vero. quem. professus est. H-S CCCL in H-S XXX. (***Rufinus et Verus professi sunt prædia rustica*** H-S IXI XIIII CX- ***Acceperunt*** H-S XXCIII. DCCCCL.)

19. L. Lucilius. Colinus. prof. est. præd. rustica. H-S LXXV DCCCCLXXV. N. Accipere debet. H-S VI. XXXVI. N et. obligare. fund. Minicianum. Vettianum. p. p. dimidia. qui sunt in Veleiate. pag. Ambitrebio. ad f. Mommeio. Persico. et Virio. Severo. et. pop. et fundo. Olympianum. p. p. dimid. pag. s. s. ad f. Licinio. Firm. Salmetelio. Firmino. Volumnio. Memore. et pop. quos. professus est. duabus summis H-S XLIV. DCCCCLXXV. N. in H-S IIII. Item. fund. Minicianum. cum. sylv. Herenianis. p. p. III. pag. s. s. ad f. Vibio. Severo. Mommeio. Persico. et. fund. Passenniano. pag. s. s. ad f. Volumnio. Epaphrodito. Attio. Sabino. quos. pluribus. summis. professus est. H-S XXVIII. in H-S II. VI. N. (***Erratum est in numeris. Corrigendum est***, professus est H-S XXXV. in H-S II. XXXVI. N. ***Colinus autem professus est prædia rustica*** H-S LXXV DCCCCLXXV. ***Accepit*** H-S VI XXXVI.)

20. L. Granius. Persicus. per Victorem servum prof. est. præd. rustica. deducto. vectigali CXLIIX DXX. (***Erratum est in summa tota, ut patet ex singulis summis. Emendandum est***, CLXXVII DCCC.) Accipere. debet. H-S XI. DCCCC. XII. N. et obligare fund. Junianum. p. p. dimid. et IIC. (*Lege*, tertia) qui est. in Veleiate. pag. Floreio. ad f. Petron. Epimele. et. Avilis. frat. et. pop. et. fund. Latinianum. qui est. in Velei. pag. Junonio. ad f. Delio. Senino. Publicio. sene. et. pop. quos. duabus. summis. professi. H-S XXIII. CCCC. N. in H-S II. Item. fund. Metilianum. in Veleiate. p. p. dimid. et. III. pag. Floreio. ad f. fundo Juniano et. fundos. Summetis. Valerianis. in Veleiate. pag. Statielo. p. p. dimid. ad f. re. p. Lucensium. et Veturis. fratrib. quos. duabus summis. professus est H-S XLIII CCCC. N. in H-S III DCCCC N. Item fundos Cæsianos. Nævianos. Firmianos. Arranian. Cariegnum qui. sunt. in Veleiate. pag. Salvio. ad f. P. Terentio Floro. et. P. Sulpicio. Baccho. et. Cassio. et. pop. et. fund. Atilianum. Arruntian. Innielium. Antiate. et. Veleiate. pag. Floreio. ad f. Afranio. Prisco. et. Valerio. Parra quos duabus. summis. professus est H-S XXXVII. in H-S III. XII. N. Item. fund. Calidianum et Tricellianum. pag.

COLUMNA QUARTA.

S. S. AD F. Cœlio Vero. et. Æbutio. Secundo. et. fund. Mucianum. pag. s. s. ad f. Virio. Fusco. et Dellio. Senino. et. Minicia. Polla. et. fund. Cassianum. pag. s. s. ad f. Avillis. fratrib. et sylvas Suffitanas. p. p. dimid. pag. s. s. ad f. Petronio Epimele. quos pluri. summis. professus. est H-S XXXI. in H-S ∞. Item. fundos. Granianos. Afranianos. cum. Apennino. Lævia. p. p. dimidia. Item fund. Valerianum. Læviam. in Veleiate pag. s. s. ad f Cœlio Vero. et. Cærellio Vero. et. pop. et. fund. Marianum. qui est. in Placentino. pag. Herculan. ad. f.

M. Minicio. et. Terentio. Sabino. et. pop. quos plurib. summis. prof. est H-S II. N. *Persicus professus est prædia rustica* H-S CLXXVII DCCC. *Accepit* H-S XI DCCCC XII.)

21. P. Antonius. Sabinus. prof. est. præd. rustica. H-S CXXXII CCCCL. Accipere debet H-S X. DC XXIV. N. et obligare fund. Valerianum. qui est. in Veleiate. pag. Albense. ad f. Antonia Vera. et. Antonio. Prisco. et pop. quem prof. est H-S LXXIII DCL. *(Emendandum* H-S LXXV DCL, *ut conjicere est ex summa tota.)* in H-S VI. C ∞. II. N. Item. fund. Ancarianum p. p. dimid. pag. s. s. ad f. M. Antonio. et. Calidio. Proculo. et. fund. Virtianum. p. p. dimid. pag. s. s. ad f. Cœlio. Vero. et L. Annio. et. pop. et fund. Callidianum. pag. s. s. ad f. M. Anton. Decimio. Basso. et. pop. et. fund. Serranilianum p. p. dimidia. pag. s. s. ad f. Sextis. fratrib. et Antonio Prisco. et. pop. et. fund. Virianum. Vicanianum. Mammuleianum. p. p. dimid. et. fund. Mammuleianum. p. p. VIII. in Veleiate. pag. Domitio. ad f. Antonio Prisco. et. Afranio. Apthoro. quos. plurib. summis. prof. est H-S LVI. DCCC N in H-S III DCCXXII. N. *(Sabinus professus est prædia rustica* H-S CXXXII CCCCL. *Accepit* H-S X DC XXIV.)

22. C. Calidius. Proculus. prof. est. præd. rustica. H-S CCXXXIII. DXXX. N. Accipere deb. H-S XVI CCC XXXVIII. N. et. obligare. fund. Paternum. in Veleiate. pag. Albense Blondeliæ. Seceniæ. ad f. Calidio Vero. et. Antonis Vera. et. Prisco quem professus. est H-S XCIV DC. N. *(Emendandum,* CXIV DC. N.) in H-S VIIII. Item. fund. Maternum Munatianum. pag. s. s. ad f. Antonis Prisco. et. Vera. et. fund. Decimianum. pag. s. s. ad f. Calidio. Vero. et. fund. sive agros. Acutianos. Vetutianos. Virianos pag. et ad f. s. s. quos. plurib. summis. professus est H-S XXXI CCX N in H-S III. Item. fund. Calidian. Lætianum. pag. s. s. ad f. Sextio. Secundo. et Virtio. Vero. et. fund. Antonian. pag. s. s. ad f. Virtis. Pollione. et. Vero. et. fund. Crestianum. pag. s. s. ad. f. Albonio. Pusillo. et. Virio. Basso. et. fund. Cornelianum. Meppedianum. Vetulianum. p. p. dimid. pag. s. s. ad f. Calidio. Vero. et fund. Vetutianum. Secundianum. pag. s. s. ad f. M. Antonio. et fund. Virtianum. Lucianum. pag. s. s. ad f. Vettis. Vero. et. Secundo. quos. plurib. summis. prof. est. H-S XI. *(Erratum certe in numeris; et, ut singulæ summæ cum tota consentiant, corrigendum,* LXIV CXX N.) in H-S III. Item. fund. Aurelian. Virtianum. Cornelianum. qui. est. in. Veleiate. et. Libarn. pag. Moninate. ad f. M. Ennio. et. P. Albio. quem. prof. est H-S XXIII DC N. in H-S I CCCXXXIIX. *(Proculus professus est prædia rustica* H-S CCXXXIII DXXX. *Accepit* H-S XVI CCCXXXVIII.)

23. M. Volumnius. Epaphroditus prof. est. in Veleiate per C. Fisium. Diogan. et in. Placentin. et in. Veleiate. per. Volumnium Grapium. præd. rustica. deducto. vectigali. H-S CDXIIX CCL. N. Accipere. debet. H-S XXXIII DLXII. N. *(Emendandum,* H-S XXXIII DLXXII. N.) et obligare fund. Metilianum. Lucilianum. Anneianum. cum. casis. et. sylvis. et. meridib. et. debelis. qui. est. in Veleiate. pag. Ambitrebio. ad f. Cornelia. Severa. Lucillio. Collino. Q. Appio Vibio Severo. quem prof. est. H-S L. *(Supplendum,* H-S XXXIV DCCL. N.) in H-S IV D. Item. fundum. Alsiam. Munatianum. Ancarianum. cum. fundo. Paspidiano. et Rosiano. et Mariano. et. Aconiano. et Tarquitiano cum casis in carricino. et sylvis Sagatis. et. loco agri Nasulliani. in Placentino. pag. Vergellense. et Veleiate. pag. Ambitrebio. ad f. Cornelia. Severa. et Olia Calliope. Lucilio Collino. et. pop. Item. fund. Cæcilianum. in Placentino. pag. Vergellense. ad f. Castricio Nepote. Olia Calliope. C. Decimio. et pop. quos. prof. est H-S CCL in H-S XXII DCCXXXVI N. Item fund. Paternum qui

est. Placentino. pag. Vergellense. ad f. Castricio Nepote. et pop. quem. professus est H-S XXXII. in H-S III. et. fund. Fabianum in Placentino. pag. s. s. ad f. Licinia. Tertullina. P. Albio. et. pop. quem. prof. est. H-S XXIV. in H-S II. Item fund. Anneianum. cum. casa. et. præd. Valerianis. ex. parte. dimid. in Plac. pag. Vergellense. et. in Velleiate. pag. Ambitreb. ad f. P. Olio. Hymno. et pop. quem prof. est. H-S XXVII D. in ∞ CCCXXVI. N. (*Epaphroditus professus est prædia rustica* H-S CDXIIX CCL. *Accepit* H-S XXXIII DLXXII).

24. L. Licinius. L. f. per Veturium Severum. prof. est. fund. Valerianum. et Metilian. et Tudinum. et. Clodianum et Veturianum in Veleiate. pag. Dianio. H-S L. CCCL N. Accipere debet H-S IV. AAV. N. (*Supplendum, ut videtur,* H-S IV. XXV. N.) et. fund. s. s. obligare. (*Licinius professus est fundos* H-S L. CCCL. *Accepit* H-S IV XXV).

25. L. Mælius. Severus. prof. est præd. rustica. deducto. vectigali H-S CDXX. N. Accip. debet. H-S XXXIII DCCCIIII N. et. obligare. fund. Julianum. Tursianum. Cumbelian. Lucilianum. Nævianum. Varianum. Vippunianum. q. s. (*Lege,* qui sunt.) in Veleiate pag. Medutio ad f. imp. N. (*Lege,* Imperatore nostro, *Trajano*). et re. p. Lucensium. et re. p. Veleiatium. et. Vibullis. fr. et C. Novellio. et. pop. quos plurib. summis prof. est. H-S CXXVI DCC. N. in H-S XII CCCXXXIV. Item fund. Bætianum. p. p. IIII. pag. s. s. ad f. Vibio Severo. et C. Novellio. quem. prof. est H-S X in H-S ∞. Item. fund. Vettianum. in Veleiate pag. Velleio. ad f. r. p. Lucensium et re. p. Veleiat. et. Nævis. frat. et fund. Petronianum p. p. dim. pag. Junonio ad f. Vettio Fortunato quos duab. summis prof. est. H-S XII in H-S ∞ CC N. Item fund. Varronium. pag. s. s. ad. f. C. Calidio et C. Vettio Secundo et pop. quem. prof. est H-S XII C N in H-S ∞ CCC. N. Item. fund. Mileliac. p. p. III. pag. Floreio. ad f. Cœlio Vero. et. Virio Nepote. et. Dellio. Proculo. et fund. Brætianum. Caninianum. p. p. IIII. ad f. C. Vibio. Severo. et. C. Novellio quos duab. summis prof. est H-S XVIII. D N. in H-S ∞ DCCCL. N. Item. fund. Cassianum. Novianum. Rutilianum. Plautianum Antonianum Coceiasium. ad f. Albio. Secundo. et Volumnio Verecundo. pag. Junonio. sive quo alio in Veleiate quem prof. est. H-S CXXX in H-S XIII. Item. fund. Domitianum. p. p. IIII. pag. Junonio. ad f. Virio Nepote. et. T. Blaiunio. et fund. Demetrianum. Cassianum. p. p. dimid. pag. s. s. ad f. C. Volumnio Verecundo et pop. Item. fund. Marianum. pag. Floreio in Veleiate. ad f. imp. N. et. Minicia. Polla. et C. Sulpicio et pop. Item fund. Petronianum. in Veleiate. pag. Junon. ad f. Vettio. Fortunato et Cæcilio. Gallo. et. pop. Item. fund. Novellian. Petronianum. p. p. dimid. pag. s. s. sive alio. ad f. C. Volumnio Verecundo et se. quos. professus est. plurib. summis H-S XXC L N. in H-S II. Item fund. Ascevam. p. p. III. qui est in Veleiate. pag. Floreio. ad f. Minicia Polla. et Dellio Proculo. quem. prof. est. H-S XVIIII. in H-S ∞ CXX N. (*Severus professus est prædia rustica* H-S CDXX. *Accepit* H-S XXXIIII DCC III).

26. Annia. Vera. per. Annium. Rufinum. prof. est. præd. rustica H-S CCXD-CCCLXVI. Accipere deb. H-S XVI DCCCCII. N. et oblig. fund. Antonianum. Collianum Valerianum. Cornelianum. cum. communionib. (Communiones, id est, quod commune est, et nondum divisum.) qui est in. Veleiate. et. in Libarnensi. pagis. Martio et Albense. ad f. Calidis. Proculo. et Prisco. et pop. quem prof. est. H-S CXXC. (*Emendandum,* H-S CXCCC.) in H-S XVI. Item fund. Antonianum. p. p. dim. et VI. cum communionib. in Veleiate. pag. Albense. ad f. Antonio Sabino. et Calidio Proculo. quem prof. est XXVI. DCLXVI. N. in H-S DCCCCII. N. (*Annia professa est prædia*

rustica H-S CCX DCCCLXVI. *Accepit* H-S XVI DCCCCII).

27. C. Vibius C. f. prof. est prædia rustica. H-S CLV D. CCCXLII. N. Accipere deb. H-S XII CDLXXV. N. et oblig. fund. Satrianum. Paternum qui est. in Veleiate pag. Bagienno ad f. Cornelia. Severa. C. Nævio. Firmo. et. pop. quos. prof. est. H-S XL. in H-S III CDII. Item. fund. Aurelianos. Vettianos p. p. III. pag. s. s. ad. f. s. s. et. fund. Muttienanos. Vibianos. q. f. pago. et ad. f. s. et fund. Vibullianum Calidianum pag. s. s. ad f. P. Licinio Catone. et. pop. et. fundos. Bettutianos. Aurelianos. p. p. IIII. pag. s. s. quos duab. summis prof. est. H-S LII DCCCXCII. N. in H-S IV LXXIII N. Item fund. Vibullianum Callidianum p. p. dimid. pag. s. s. ad f. Meturicialis. et. Vicrio. Firmo. quem prof. est. H-S XV in H-S I. (*Vibius professus est prædia rustica* H-S CLV DCCCXLII. *Accepit* H-S XII CDLXXV).

28. M. Varius Felix. prof. est. præd. rustica H-S LIIX CCCL. N. Accip. deb. H-S IV DCLXIIX.

COLUMNA QUINTA.

ET. OBLIGARE. IN VELEIATE. PAG. DIANIO. ad f. Valerio Probo. et Vera. et Allelis fratrib. et. sociis. Textanulatibus. et Bæbia. Tertulla. et Valerio. Veccunio. et. pop. fundos. Nævianos. duos. quos. prof. est. H-S XXIV in H-S II. Item fund. Orbianiacum quem prof. est. H-S XII in H-S ∞. Item. fund. Textanulas. et Budacelium. pro indiviso ex parte sexta quos prof. est H-S XVI L. N. et fund. Ju. . . unatum. p. p. IIII. quem. prof. est. H-S VI. CCC. N. in H-S ∞ DCLXVIII. N. (*Varius professus est prædia rustica* H-S LVIII. CCCL. *Accepit* H-S IV DCLXVIII).

29. C. Antonius Priscus. prof. est. præd. rustica H-S CCCL ∞ DCXXXIII. N. (*Lege,* H-S CCCLV DCXXXIII. N.) Accipere debet H-S XXVIII. CCL. N. et obligare. fund. Vicirianum. Mammuleianum cum communionib. p. p. dimid. qui est. in Veleiate. pag. Domitio ad f. Afranio Apthoro. et Licinio Catone. et. L. Licinio. et. pop. quem prof. est H-S XXX. in H-S ∞ CDLXXVII. Item fund. Muttianum Cornelianum. cum sylvis. p. p. dimidia. pag. s. s. ad f. Licinio. Catone. et. Cornelia. Severa. et. pop. quem prof. est. H-S XXXX. (*Lege,* XXXX) in H-S III D. N. Item. fund. Calidianum. Atedianum. Maternum. pro. p. dimid. p. p. s. s. (*Lege,* pago supra scripto. *Redundare videtur geminata litera* p.) ad f. Lucio et C. et *Particula* et *redundat.*) Annis. et. pop. quem. prof. est. H-S XX. et fund. Trantianum. p. p. dimid. pago. et. ad f. s. s. quem. prof. est. H-S X. in H-S II CCLXXIII N. Item. fund. Licinianum. p. p. dimid. et. IIII. et. VIII. qui. est. pag. s. s. ad · f. Antonio. Sabino et. Afranio. Apthoro et. pop. et fund. Petilianum. p. p. dimid. pag. s. s. ad f. Antonio. Prisco. et pop. *quos. duabus. summis. prof.* est H-S XIII. in H-S ∞. Item fund. Veturianum Virianum. Vibianum. Satrianum. Paternum. pag. s. s. ad f. L. et C. Annis. et. Afranio. Apthoro. et. pop. quem. prof. est H-S CXXXIII. in H-S XII. Item. fund. Vorminianum. Precele cum jure. Appennini. Areliasci. et. Caudalasci. et communionibus qui. est. in Veleiate. et. in Libarnensi. pag. Domitio Eboreo. ad. f. C. et. L. Annis. et. Licinio Catone. et Valerio. Nepote. et. pop. quem prof. est H-S XX. et fund. Vibianum. Syrellianum. in Veleiate. pag. Domitio ad f. s. s. quos. prof. est H-S VII. in H-S II D N. Item. fund. Macatianum. Ennianum. pag. et. ad f. s. s. et fund. Valerianum. p. p. IIII. pag. et ad f. s. s. et Valerio Nepote quem. duab. summis. prof. est H-S XVII. in H-S ∞ D N. Item. fund. Antonian. p. p. III. cum communionib. in. Veleiate. pag. Albense

ad f. Antonis Sabino et Prisco. et fund. Minicianum. Lapponianum Histrianum Paternum in Veleiate. pag. Bagienno. ad. f. L. et C. Annis. et. pop. et. fund. Attianum. pag. et. ad f. s. s. quos. plurib. summis. prof. est. H-S $\overline{XLV}$ DXXXIII in H-S $\overline{IIII}$. (*Persicus professus est prædia rustica* H-S $\overline{CCCLV}$ DCXXXIII. *Accepit* H-S $\overline{XXVIII}$. CCL).

30. L. Cornelius. Helius. per. Fortunatum. ser. suum. prof. est. fund. Tuppiliam. Vibullianum. Volumnianum. p. p. dimid. in Veleiate pag. Domitio. ad. f. Sulpicio. Nepote. et. Licinio Catone. et. pop. H-S $\overline{L}$. Accipere debet H-S $\overline{III}$. LXXV. N. et fund. s. s. obligare. (*Helius professus est fundum* H-S $\overline{L}$. *Accepit* H-S $\overline{III}$ LXXV).

31. C. Vibius Severus. per. Vibium. Calvom. lib. suum. prof. est. præd. rustica. H-S $\overline{DCLXXIII}$ DCLX. $\overline{N}$. in Veleiate. et in Placentino. deducto. vectigali. et quod Cornelius Gallicanus obligavit. Accipere debet. H-S $\overline{LIII}$ CCCLXII. N. et. obligare. fund. Æschinianum. p. p. dimid. qui est. in Veleiate pag. Ambitrebio. ad f. Lucilio Collino et Minicia. Polla. et. pop. quem. prof. est. H-S $\overline{XLV}$ in H-S $\overline{IV}$. Item. saltum. sive. fundos. Ulilam. sive. Velabras. et. Credelium. qui. sunt. in Veleiate. pag. Medutio. ad f. Licinio. Catone. et Cœlio. Vero. et Cærellio Vero. quem. prof. est H-S $\overline{CCCI}$ in H-S $\overline{XX}$. Item. fund. Collianum. qui. est in Veleiate. pag. Ambitrebio. ad f. Licinio Firmino. quem. prof. est H-S. $\overline{XXVI}$. in H-S $\overline{II}$ LXII. Item. fund. Vettutianum. Scantiniacum. qui. est. in. Veleiate. pag. Domitio. ad f. Antonio. Prisco quem. prof. est H-S $\overline{XXVI}$. DCLX. N. in H-S $\overline{II}$. Item fund. Virianum. qui est in Placentino. pag. Valerio. ad f. Licinia Tertullina. et. Vibio Favore. et. pop. quem. prof. est. H-S $\overline{LXXII}$. in H-S $\overline{VII}$. Item. fund. Statianum. pag. et. ad f. s. s. quem. prof. est. H-S $\overline{LXXII}$. in H-S $\overline{VII}$. Item. fund. Tresianum. pag. et ad f. s. s. quem prof. est. H-S $\overline{XXXVII}$. et fund. Antonianum. in Veleiate. pagis Venerio. et. Lurate. ad f. Atilio Saturnino. et. P. Atilio. Adjutore. et. pop. quem. prof. est. H-S $\overline{XII}$. utrosque in H-S $\overline{IIII}$ D. N. Item. fund. Caturniacum. pag. s. s. quem prof. est. H-S XLI CL. N. in H-S $\overline{III}$ DC. $\overline{N}$. et fund. Cornelianum. qui. est. in Placentino. pag. Venerio. ad f. Licinio. Firmino. quem. prof. est. H-S $\overline{XL}$. in H-S $\overline{III}$. CC $\overline{N}$. (*Severus professus est prædia rustica* H-S $\overline{DCLXXIII}$ DCLX. *Accepit* H-S $\overline{LIII}$ CCCLXII).

32. Cornelia. Severa. prof. est. præd. rustica. in Veleiate. per. Primigenium. ser. suum. et. in Placentino. (*Supple*, per.) Zosimum. ser. suum. deducto. vectigali. et. quod. Cornelius Gallicanus. obligavit H-S undeciens $\overline{LVIII}$ CL. $\overline{N}$. Accipere debet H-S $\overline{LXXXI}$. CX. N. et. obligare fund. Covanias. et ovilia in Veleiate pag. Ambitrebio. ad f. Mommeio. Persico. Vibio. Severo. et. pop. quem. prof. est. H-S $\overline{CC}$. in H-S XVIII. (*Lege*, $\overline{XVIII}$.) Item fund. Ollianos. Pomponianos. Sulpicianos. Covanias Veconitanum pag. et. ad f. s. s. quos. prof. est. H-S $\overline{XXCVIII}$. in. H-S $\overline{VI}$ DCCCXXCV. $\overline{N}$. Item. fund. Bettonianum. pag. et ad f. s. s. quem. prof. est. H-S $\overline{XXXII}$ D. N. in H-S $\overline{III}$. Item. fund. Protianum. p g. et ad f. s. s. quem. prof. est. H-S $\overline{XLVIII}$. in H-S $\overline{IIII}$. D N. Item fund. Aulianum. Tituronianum. pro. p. trib. (*Lege*, pro partibus tribus.) qui. est in. Veleiate. pag. Domitio. ad f. Afranio. Apthoro. et. Trebellio Memore. et fund. Ulamunium p. p. s. (*Lege*, pro parte supra scripta.) qui est. in Veleiate. pag. Bagienno. ad f. Fabio. Firmo. et C. Vibio. quos duab. summis prof. est. H-S $\overline{CXII}$ in H-S $\overline{V}$. Item fund. Moschianum. et. pop. quem. prof. est H-S $\overline{XXIV}$ in H-S $\overline{II}$. Item fund. Scrufolanum. et. Succonianum. in Placentino. pag. Minervio. ad f. Cassis

f atrib. L. Labinio. quem. prof. est H-S CLXXX. in H-S XII. Item. fund. Pomponianum. Antonianum. p. p. dim. in Placentino. pag. Cereale ad f. Afrania. Musa. et. pop. et. fund. Littonianum. Appianum. Ucubatianum. qui. est. in. Placentino. pag. Julio. ad f. Vibullio Severo. et. pop. et. sylvas Castricianas et Picianas. qui sunt in Plac. pag. Vergellense. ad f. Cornelia. Severa. Item. agellos. Vibullianos. in Placentino. pag. Apollinare. ad f. Afranio Prisco. et. pop. quos plurib. summis prof. est H-S XXVI. in H-S ∞ ∞. Item fund. Egnatianum. Safinianum. Pupianum. Mestrianum. Biturritam. in Placentino pag. Herculanio. ad f. Munnio. Severo. et. Cassio. juvene. et. pop. quem. professa est. H-S LIII in H-S III D N. (*Severa professa est prædia rustica* H-S *undeciens* LVIII CL. *Accepit* H-S LXXXXI CX).

33. Minicia. Polla. prof. est præd. rustica H-S LXV CCCC N. Accipere debet.

COLUMNA SEXTA.

H-S LSS CCXXXI. N. (*Lege*, H-S V CCXXXI. N.) et. obligare fund. Veneciamum. Terentianum. Domitianum. Petronianum. qui est. in Veleiate. pag. Floreio. ad f. imp. N. (*Lege*, Imperatore nostro, *Trajano*.) et re. p. Lucensium quem. prof. est H-S XXXV. (*Emendandum videtur*, XXXXV.) in H-S III. CC. N. Item. fund. Sextianum. pag. s. s. ad. f. L. Sulpicio et C. Dellio. et. pop. quem. prof. est H-S XXIIII. (*Emendandum*, XX CCCC.) in. H-S II XXXI. N. (*Polla professa est prædia rustica* H-S LXV CCCC. *Accepit* H-S V CCXXXI).

34. T. Nævius. Titullus. per Nævium. Cinnamum. prof. est. prædia rustica. H-S LIII DCCCC. N. Accipere debet H-S IIII CCLXV. N. et. obligare. fund. Tria.... rquitianos Locresian. in Veleiate. pag. Domitio. ad ..... io Catone. (*Supple*, adfine Licinio Catone. *Vide supra, num.* 29.) quem. prof. est H-S XIII DCCC N. (*Corrige*, XIII DCCCC N) in H-S ∞ LX.. (*Supple*, LXV.) Item fund. Tarquitianum. ad. f.... lis. (*Supple*, Cornelis) Helio et Onesimo. et. pop. quem. prof. est. H-S XL in H-S III. CC. N. (*Titullus professus est prædia rustica* H-S LIII DCCCC. *Accepit* H-S IIII CCLXV).

35. C. Pontius. Ligus. per L. Pontium. fil. prof. est fund. Aulianos. Cærelianos. Pullinianos. Sornianos. et. fund. Paternum. et fund. Nævianum. Titianum. et fund. Metilianum Velleianum Helvianum Granianum in Veleiate pag. Salvio. Sup. Vic. Iracco. (*Legendum videtur*, superiore vico Iracco.) H-S LXII DCCCCXX. N. Accipere debet. H-S IIII. DCCCCLXXXX. N. et fund. s. s. obligare. (*Pontius professus est fundos* H-S LXII DCCCCXX. *Accepit* H-S IIII DCCCCXXXX).

36. Valeria. Ingenua. per. Valerium. Lucrionem. lib. suum prof. est præd. rustica H-S LVIIIICCLX. N. Accipere debet. H-S VDLIII N. et obligare fund. Varpros in Veleiate pag. Statiello. ad f. re. p. Lucensium. et pop. quem prof. est H-S XII CCL. N. in H-S ∞. Item fund. Æmilianum. Arruntianum in Veleiate pag. Velleio. Vic. Veciæ. ad f. re. p. Lucensium. et. pop. quem. prof. est H-S LVII N. in H-S IIII. DLIII. N. (*Ingenua professa est prædia rustica* H-S LVIIII CCLX. *Accepit* H-S V DLIII).

37. L. Veturius. Severus. prof. est præd. rustica H-S LVDCCC. N. Accipere debet H-S IV CCCXXXVI. N. et. obligare. fund. Valerianum. Genaviam. p. p. dimid. et. fund. Licoteucum. p. p. quarta in. Veleiate. pag. Dianio. ad f. Clodis. et. Licinio. quos duabus summis prof. est H-S XVIII DCCC. N. in H-S ∞ CCXXVI. N. Item fund. Caudiacas p. p. dim. in Veleiate. pag. Statiello. ad f. Cœlio Vero. et. Cornelio Proto. quem

prof. est. H-S XXXVI. in H-S III. cc N. (*Severus professus est prædia rustica* H-S LV DCCC. *Accepit* H-S IV CCCC XXVI).

38. L. Valerius. Parra per Valerium Acceptum. fil. suum. prof. est. præd. rustica. deducto. vectigali H-S XCVIII. Accipere debet H-S VII DCCCLXXXVII. N. et obligare. fund. Aminianum. Attilianum. Propertianum. cum casis vectigalia Eburcianis. Pollianum. Ferramianum. pag. Floreio ad f. Petronio Epimele et Herennio Nepote. et. Arruntia. Tertullina quem prof. est. H-S XXC. in H-S VII. Item fund. Velebras. p. p. dimid. qui est. in Placentino. pag. Herculanio ad f. Dellio. Proculo. et Volumnio. Carpo. quem prof. est. H-S XX. in H-S DCCCLXXXVII. N. (*Valerius Parra professus est prædia rustica* H-S XCVIII. *Accepit* H-S VII DCCCLXXXVII).

39. Betutia. Fusca. per. Betutium. lib. suum. prof. est. deducto. vectigali. fund. Pupilianum. et Valerianum. in Veleiate pag. Medutio. ad f. imp. N. (Imperatore Trajano, *ut jam monuimus.*) et. re. p. Lucensium. et Ælio. Severo. et Satrio Severo H-S XC. cc. N. Accipere debet. H-S VII. C C. XLIII N. (*Corrige,* H-S VII. CCXLIII. N.) et fund. s. s. obligare. (*Betutia professa est fundos* H-S XC. cc. *Accepit* H-S VII CCXLIII).

40. Glitia. Marcella. prof. est. saltum. Drusianum. cum. colonis. duabus. Magi Magiana. (Magi, *redundat.*) et Ferrania in Veleiate pag. Salvio ad f. Antonio Vero et Popilio Agente et C. et L. Herennis. Nævis. fratrib. qui ex reditu æstimatus est H-S C. Accipere debet H-S VIIIL. N. (*Marcella professa est saltum et colonias* H-S C. *Accepit* H-S VIII L).

41. Petronius. Epimeles. prof. fund. Carrveanianum. et Ventilianum cum casis. in Veleiate. pag. Floreio. et. in Placentino. pag. Herculanio ad f. Q. Bæbio. Vero. et Virio Nepote et pop. deducto. vectigali. H-S LXXI CCLVI N. Accipere debet H-S VDCCXIIII. N. et oblig. fund. s. s. (*Epimeles professus est fundos* H-S LXXI CCLVI. *Accepit* H-S V DCCXIIII).

42. Q. Accæus. Æbutius Saturninus. per Æbutium Hermen. lib. suum. prof. præd. rustica. deducto vectigali H-S CLVIII DCCC N. Accipere debet. H-S XII DCCXVI. N. et obligare fund. Anionianos. in Veleiate. pag. Albensi vico Lubelio ad f. Cœlio. Vero. Annis. Arruntis. et re. p. Lucensium quos prof. est. H-S CC. (*Æbutius professus est prædia rustica* H-S LVIII D C C C. *Accepit* H-S XII DCCXVI).

43. C. Nævius. Firminus. et pupili. Nævius Memor. per. L. Nævium. prof. sunt. præd. præd. (*Alterum* præd. *redundat.*) rustica deducto vectigali. H-S CXIII DC. N. Accipere debent. Nævius. Firmus. et. Nævius. pupillus. tutore auctore H-S VIIII XCIV. N. et. obligare. fund. Didianum. Albianum. Vibianum. in Veleiate. pag. Bagienno ad f. L. et C. Annis. et Nævis. Vero. et. Prisco. et Sulpicia. Priscilla. et pop. quos prof. sunt H-S LXXIIII. D C C N. in H-S IIIIXCIIII. N. Item. fund. Betutianum. Ulamonium. pag. s. s. ad f. Nævis. Vero. et. Prisco. et. Appis. Vero. et. Marcello. et. Licinio. Catone. et. Antonio. Prisco. et pop. quos. prof. sunt H-S. XCIIX D. in H-S V. (*Firminus et Memor professi sunt prædia rustica* H-S CXIII D C. *Accepit* H-S VIIII XCIV).

44. Coloni Lucenses. publice. professi. sunt. saltus. prædia. quæ. Betunias. sive quo. alio. vocabulo. sunt. pro. indiviso. pro parte. tertia. quæ. pars. fuit. C. Atti. Nepotis. et quascumque. partes. habuit. Attius Nepos. cum. Annis fratrib. et. re. p. Lucensium. et. Cœlio. Vero. Item. saltus. prædiaque. juncta. qui. montes. appellantur. quæ. fuerunt. Atti Nepotis. propria. universaque. Item. saltus. prædiaque. Jesis. et. saltus. prædiaque. Dinium. et. saltus. prædiaque. Poptis. et. saltus. prædiaque. Bargæ. et. saltus. prædiaque. Boielis. et. saltus. prædiaque. Tarboniæ. et. saltus. prædiaque. Vellanium vectigal. et. non·

vectigali. sive alis. nominib. vocabulis. quæ sunt. in Lucense. et. in Veleiate. et in Parmense. et in Placentino. et Montibus ad f. compluribus. exceptis prædis. Cærelliano. colle. et. prædis. quæ Attius. Nepos. cum. Priscilla. aliquando. possedit H-S vicies quinqnies. deductis reliquis. colonorum et usuris. pecuniæ. et. pretis. mancipiorum. quæ. in. in. (*Alterum* in, *redundat.*) emptione. eis cesserunt. habita. ratione. etiam vectigalium. H-S IXVII. Accipere debent. H-S CXXVIII. D C C. L X X X. N. et. obligare. saltus. sive. prædia. quæ. s. s. s. deducta parte quarta. (*Coloni Lucenses possederunt* H-S *vicies quinquies. Deductis reliquis colonorum, usuris pecuniæ, pretiis mancipiorum, et vectigalibus, professi sunt.* H-S IXVII. *Acceperunt* H-S CXXVIII. D C C. L X X X).

45. T. Valius. Verus. prof. est. præd. rustica deducto. vectigali H-S CCXLVI. D C C C X X X X II. N. Accipere debet. H-S XVIIII. et obligare. fund. Caninianum. in. Placentino. pag. Vergellense. ad f. Fisio. Yacinto. et. Petronis. fratribus quos. prof. est H-S XL. in. H-S. III. Item fund. Cornelianum. Delianum. pag. Ceriale. ad f. Valeris. fratrib. et. alis. quos. prof. est. H-S XXXVIII D C C. N. in. H-S III. Item fund. sive. saltum. Calventianum. Sextianum. cum vadis. et. fund. Salvianum. et. campum. vectigal. et. non. vectigali. et. fund. Eppiano. Titiolano. Histriodnno. et. fund. Taurianis. duob. et fund. Æriano. dextriano. cum meridib. omnib. et. alluvionib. junctis prædis. s. s. quæ. sunt. in. Placentino. pag. Sinnense. ad f. Gallis. fratrib. et. Quarto. Modesto. et. re. p. Placentinorum. et alis. quos. prof. est. H-S CL C C. N. in H-S VIII. Item fund. Vitulianum. in. Placentino. pag. Vercellense. ad f. Licinia. Tertullina. et. paganis. pagi. Ambitrebi. quem. prof. est. H-S XXC. in. H-S L.:. (*Lege*, in H-S V. *Verus autem professus est prædia rustica* H-S CCXLVI D C C C X X X X II. *Accepit* H-S XVIIII).

46. P. Publicius Senex. prof. est. prædia. rustica. H-S CCLXXI C. N. Accipere debet. H-S XXI C C ∞ XI. et. obligare. fund. Numerianum qui. est. in Placentino. pag. Herculanio. ad f. Novellio. Fusco. et. Sulpicia. Erato. quem prof. est. H-S XXXVII. et. fund. Petronianum. pag. s. s. Cornelis. fratrib. et. fund. s. s. quem. prof. est. H-S XI. in H-S IV. Item fund. Stanlacum. totum. cum. casa. Valeriana. p. p. sexta. pag. s. s. ad f. s. s. et. Novellio. Fusco. et. pop. quem. prof. est H-S VI. et. fund. Birrianum. Velleianum. cum meridib. qui. est. pag. s. s. ad f. C. Lucilio. L. Virio. et. pop. quem. prof. est. H-S XLVI. in H-S I I I I D. D. N. (*Alterum* D *redundat.*) Item. fund. Bæbianum. pag. s. s. ad f. Aurelia. Exorata. et. P. Aurelio. et. pop. quem. prof. est. H-S VI. et. fund. Pescennianum. pag. s. s. ad f. Minicia. Polla. et. Callidia. Vibia. et. populo. quem. prof. est H-S XX in H-S ∞ ∞. Item. fund. Vicrianum. pag. s. s. ad f.

COLUMNA SEPTIMA

VELLEJO INGENUO. ET CÆRELIO Vero et pop. quem. prof. est. H-S VIII et fund. Balbinianum. pag. s. s. ad f. pop. quem. prof. est. H-S XL in H-S IIII. Item fund. Lucilianum. pag. s. s. ad f. L. Marcilio. Avillia Philena. et. fundi. Suevoniani. partem. quartam. pag. s. s. ad f. Sulpicia. Erato. et. fund. Calidianum. pag. s. s. ad f. C. Marcilio. L. Ennio. et. fund. Marcilianum. pag. s. s. ad f. Marcilio. Pietate. et. Sulpicia. Erato. et. fund. Homusianum. pag. s. s. ad f. Sulpicia. Erato. et. Sertoria. Polla. quos. pluribus. summis. prof. est. H-S XLII D C C. N. in H-S III D. N. Item. fund. Papirianum ... g. (*Supple*, pag. *id est* pago.) s. s. ad f. M. Vibio. et pop. et fund. Matellianum. pag. s. s. ad f. M. Vibio. et fund. Elleianum. pag. s. s. ad f. Sitrio. et Sulpicia. Erato. et fund. Calpurnianum. pag. s. s. ad l. (*Corrige*, ad f.) Dellio Vero et. Valerio Vero quos. pluribus summis. profes. est. H-S XXVIII. in H-S ∞ DCCC-

XI. N. Item. fund. Plautian. qui est. in Placentino. pag. Veronensi. ad f. Pompeio. Primigenio. et pop. et fund. Philetianum. cum meride. Vicriana. in Placentino. pag. Herculanio. ad f. Cærellio. Vero. et. pop. quem. duabus. summis. prof. est. H-S XXIII DC. N. in H-S II. (*Publicius professus est prædia rustica* H-S CCLXXI C. *Accepit* H-S XXI DCCCXI).

47. L. Virius. Fuscus. prof. est præd. rustica H-S CCLXVIIII. Accipere debet. H-S XXI DCL. M. et obligare. fund. Oclavianum. qui est. in Placentino pag. Herclanio. ad f. Glitia. Marcellina. Albio Prisco. et. pop. quem prof. H-S XXXVI. in H-S III. CLN. Item. fund. Virtianum qui est. in Placentino. pag. s. s. ad f. Velleio Ingenuo. Licinio. Senino. et. pop. quem prof. est H-S XL. in H-S III D N. et fund. Numisianum. pag. s. s. ad f. Petronio Servando et Ræcio Fortunato et pop. quem prof. est. H-S LXV. (*Lege*, H-S LXV) in H-S VI D N. Item fund. Hostilianum. pag. s. s. ad f. T. Avillio. et. Licinio. Senino. et. pop. quem. prof. est H-S X. Item. fund. Virtianum. pag. s. s. ad f. Publicio Senino et Pomponia Procula. quem prof. est. H-S XXXVI in H-S IIII. Item. fund. Pistel. et fund. Calvianum. pag. s. s. ad f. Tullio Primigenio. et. Olio. Pudente quem prof. est. H-S XX in H-S IIII. D. N. (*Fuscus professus est prædia rustica* H-S CCLXIX. *Accepit* H-S XXI DCL).

48. Item obligatio prædiorum facta per Corlium Gallicanum ob H-S LXXII. ut. ex. indulgentia. optimi. maximique. principis Imp. Cæs. Nervæ. Trajani. Augusti. Germanici. pueri. puellæq. alimenta. accipiant. legitimi. N. XIIX. in. singulos. H-S XVI. N. fiunt. H-S III. CCCCLVI. legitima. H-S XII. fit summa utraque H-S III DC. quæ fit usura ⁞ ⁞ ⁞ summæ s. s. (*Cornelius Gallicanus obligavit prædia ob* H-S LXXII. *Ex quincunce usura fiebat annua summa* H-S III. DC. *Inde alimenta accipiebant pueri legitimi* XVIII. *in singulos menses* H-S XVI. *puella legitima, in singulos menses* H-S XII).

49. C. Cœlius. Verus. professus est saltus Avegam Veccium Debelos cum figlinis saltús Velvias Leucomelium qui sunt in Veleiate pag. Albense et Velleio. ad f. re. p. Lucensium et re. p. Veleiatum H-S XC. Accipere debet H-S IX. Item prof. est. fund. Valerianum t (*Supple*, et) Ovianas. Adrusiacum Luciliacum. p. p. dim. et fundum Noniacum. pro. p. IIII qui sunt in Veleiate pag Statiello ad f. Annia. Vera. re. p. Lucensium. et pop. H-S LX. Accip. debet H-S VI. (*Verus professus est saltus et fundos* H-S CL. *Accepit* H-S XV).

50. L. Cornelius. Severus. professus. est. saltum. Blæsiolam. qui est. in Libarnense. et Veleiate pagis. Bagienno et Moninate ad f. Vibio Severo. et pop. H-S CCCL. Accipere debet H-S XXXV. (*Severus professus est saltum* H-S CCCL. *Accepit* H-S XXXV).

51. C. Vibi. Severi. profitente. ipso. fundi. Aurelianus. Cœlianus. qui. s (*Lege*, sunt) in Veleiate pag. Ambitrebio ad f. C. Volumnio Memore et p (*Lege*, populo) H-S XXI. (*Corrige*, H-S XXX) Accipere debet H-S III. (*Fundi Aurelianus et Cœlianus, quos Vibius Severus professus est, fuere* H-S XXX. *Accepit* H-S III).

52. Item saltus Attinava cum fundo Flaviano. Messiano. Vipponiano qui est. in Veleiate. pag. Ambitrebio. ad f. L. Cornelio Severo et pop. H-S XXX. Accipere debet H-S III. (*Vibius Severus professus quoque est saltum Attinavam, æstimatum, ut supra*, H-S XXX. *Accepit quoque* H-S III).

53. M. Mommei. Persici profitente.

ipso. saltus Nevidunus. in Veleiat. pag. Sulco. ad f. Licinio Catone. Vettis. fratribus. et pop. H-S $\overline{\text{LX}}$. Accip. debet H-S $\overline{\text{V}}$. (*Mommeius Persicus professus est saltum Nevidunum* H-S LX. *Accepit* H-S $\overline{\text{VI}}$).

54. Vibiæ Sabinæ. profitente. Vibio. Idæo. saltus Carucia et Velius et fund. Nævian. p. p. dim. pagis. Salvio. et. Valerio inter ad fines rem ... censium. (*Supple*, rem p. Lucensium.) et. P. Nævium. Probum. et. C. Titium Graphicum et Q. Cassium. Faustum. et pop. H-S $\overline{\text{C}}$. Accip. debet H-S $\overline{\text{X}}$. *Vibiæ Sabinæ saltus fundusque æstimatus* H-S $\overline{\text{C}}$. *Accepit* H-S $\overline{\text{X}}$).

Hæc est insignis Inscriptio Tabulæ Trajanæ ex ære, pondo librarum 600. in qua videre est egregium optimi Principis monumentum: simul quoque pronum est intelligere quomodo apud Romanos terræ describerentur. Inde quoque accipimus multa adhuc apud nos manere in agrorum nostrorum divisionibus et appellationibus antiquitatis vestigia. Denique haud supervacuum erit observare illas agrorum descriptiones, quæ nobis ita difficiles, ita dispendiosæ, videntur, fuisse Romanis facillimas et saluberrimas.

FINIS.
